



Don du Comte
Ghiliossi de Lemie
à Matthieu Bonafous
1821

MARCI

HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS, ALBAE EPISCOPI, OPERA,

*

Quorum catalogum sequens pagella continet.

Philosophi



LVGDVNI,
APVD ANTONIVM GRYPHIVM.
1566.

EORVM QVAE IN HOC opere habentur Catalogus.

M. HIERONYMI VIDAE

MAR. HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS ALBAE EPISCOPI HYMNI DE rebus diuinis nunc primùm editi.

DEO OPT. MAX.



Accipe summe Pater summi fabricator Olympi
Quæ tibi, quæ Nato, quæ amborum carmina amori
Sacra ferens cecini, cæliq; Quiritibus olim,
Dū vacat, atq; humiles iuuat altè linquere terras,
Et fortunatas Superûm percurrere sedes.
Ipse ego, tentatum multis opus antè, camœnas
Vertice ab Aonio duxi Iordanis ad vndas,
Pérq; Palæstinos saltus, super ardua sisto
Montis Idumæi, sæpe vnde fauentibus auris
Tollere se, & liquidas mecum iuuat ire per oras.
Et cælum peragrare, adytisq; insistere diuûm,
Atque tuos etiam non exhorrescere vultus.
Nulla erat antè via: prærupta atque aspera saxa,
Et densi latè obducebant omnia vepres.
Ipse manu validam quatiens vtraq; bipennem

Latum limitem ago fruticum cedentibus vmbris.
Iamq́; aditus datur, atque via licet ire patenti.
Sat ludo scenæq́; datum. Ludicra priorum,
Fictáq́; sat vacuas tenuerunt carmina mentes.
Nam quis non teneros molli pede lusit amores,
Et nemora, & fontes, atq́; inter pocula lusus?
Aut quis non diuosq́; virosq́; in prælia miscet,
Dum validos iuuat arma tubasq́; æquare canendo?
Vana superstitio mentitos numina diuos
Iam sileat: pudeat scelerum, quæ plurima cœlo
Affingunt, pudeat sedes scelerare beatas
Versibus, & superos probris inuoluere nostris.
Iam pia relligio cælo caput extulit aurea
Luce fugans tenebras, haud falsi numinis index.
Carmina nunc mutanda, nouo nunc ore canendum.
Iamq́; alias siluas, alios accedere fontes
Edico: iam nunc polluto calle relicto
Hàc iter esto, huc Musarum reuocantor alumni.
Hac casti vates in relligione manento.
Iam teritur via facta recens, veniuntq́; vocati
Certatim vates: noua cursu semita feruet.
Quàm iuuat interdum vestigia nostra legentes
Cernere nos iuxta iuuenes per amœna vireta
Eductos studio nostro decerpere flores,
Quos capiti imponant plexa sibi quisq́; corona!
Spero etiam fore cùm quæ nos extendimus ipsi
Infabricata, acieq́; retusa, vtcunq́; dolata,
Dum me deficiunt aliis rupta otia curis,
Dum populos mihi commissos pascoq́;, regoq́;

Olim

Olim aliquis diuis & Musis carior ipsis
In melius feret, atq; impensius arte polibit.
Et quæ ut nostra primo patefacta labore est,
Mollius ille uiam solidabit marmore secto,
Auro addens etiam decus, & Gangetide gemma,
Vt teneant oculos discrimina mille colorum.
Mi sat erit specimen clari monstrasse laboris,
Vt superet mox ille, ut pulchra præmia laudis
Prima ferat, primos felix potiatur honores,
Inde alij atq; alij semper melioribus auris.
Hæc quæcunq;, tamen tibi qualiacunq;, sacramus
Summe pater. cui nam hæc potius de more dicemus
Mortali, in terris qui gratus digna rependat? (gum
Præmia nulla hominũ moror, haud me purpura re-
Vlla mouet: nullos nos supra inhiamus honores.
Si terrena forent quicquam aut mortalia cordi,
Sat mihi Tuscorum Medycum persoluit honorum,
Et sat opum, rebus cum maximus alter, & alter
Præesset, præstantesq; uiros ad digna uocando
Munera ad egregias pretijs accinderet artes.
Nil ultra in terris quæro par regibus ipsis,
Contemptu rerum, contemptu diues honorum.
Tu mihi solus ades: mihi tu persoluere solus
Præmia magna, meisq; potes subscribere uotis,
Nulla licet meritis abs te sint debita nostris
Præmia: tu nisi quæ nobis uictoribus offers
Sponte tua bonus, at nil tale merentibus ipsis,
Dum sontes, & adhuc dubia certamus arena.
Nam licet humana non spernas munera uocis,

Nil nostri tamen oris eges, laudumq; tuarum
Omnia plena, sonant cælo, terraq;, mariq;.
Siqua mei tamen est ratio tibi habenda laboris,
Quæ tua magna quidẽ in gen⁹ indulgẽtia nostrũ est,
Da Pater, extremæ cùm vitæ aduenerit hora,
Te præsente mori, nil me terrentibus vmbris,
Inq; tuos animam amplexus effundere ouantem.
Hoc tantùm mihi, plura aliis optantibus adde.

HOcce quid est? vbi sũ? quæ mẽtẽ insueta libido
Sollicitat? solito longè mihi pectora maior
Arripuit calor, & labefactis ossibus hæsit,
Insolitoq; meas nouus est vapor igne medullas.
Quò rapior? quò vota trahunt? quæ tanta cupido
Seuocat abductam mortali à corpore mentem,
Ignotasq; vias latè iubet ire patentis
Aetheris, & liquido mihi sedem figere cælo?
Terra vale, curæq; humiles, hominesq; valete.
Nulli audita cano. veterum omnibus obuia vatum
Carmina iandudum; & mortalia cuncta perosus
Tollor humo, totusq; leuem propè vertor in auram:
Aëreasq; plagas superare, & linquere nubes
Sub pedibus, rapidoq; viam coniungere Soli
Dulce mihi, summoq; in vertice sistere mundi.
Non iter occurrens nostrum tot motibus aër
Detineat studio spectandi, & quaque legendi.
Nil morer aut ventos, aut saui fulminis alas,
Nubesq;, pluuiasq;, niuesq;, albasq; pruinas,
Eque coloratis cælestem nubibus arcum

Fæde

Fœderis antiqui monimentum insigne per æuum.
Omnia iam vulgata. meas neque clara morentur
Astra vias, non sideribus voluentibus orbes
Instabiles. gelida quis nescit cornua Lunæ,
Aut quibus indicta est radiantis regia Solis?
Ipse licet Sol alta petat, totiesq́; profundi
Impositus cæli dorso liquidum æthera tranet,
Ille meis longè inferior tamen euolet alis,
Altius ipse viam ingredior. quodcunque creatum
Infra me iacet: alituum gens incola cæli
Ipsa etiam subsunt acies post terga relicta.
Supra axes mundi, supra mirantur euntem
Sidera, vestigantem ecquid sit originis expers,
Quodq́; vt morte caret, pariter quoq; nesciat ortus
Quod semper fuerit, quod nunquam cœperit esse,
Auctoremq́; sui se tantùm nouerit ipsum,
Cætera cùm penitus fuerint ipso omnia ab vno.
Hoc molimur opus. voti hæc summa ardua nostri.
Ignotum, piceaq́; procul caligine septum
Nubibus in medijs acie deprendere tendo.
Quicquid id est, magnum certè & mirabile nosco
Numen habere, licet lateat. fugiatq́; videri:
Quid vc sit ignorem, cuncti tamen esse videmus,
Clarius atque suo longè se lumine prodit.
Ac veluti, obiectu nebulæ cùm delitet olim
Tum nemo potis est obductum cernere Solem:
Non tamen ignorem qua cæli parte prematur
Obsessum iubar, immenso quod lumina mundo
Sic etiam positum, lucemq́; diemq́; ministrat,

AEthereiq́;, Vtcunq;, ignis tralucet imago:
Haud secus id nostros sub sensus ire recusat,
Nec se oculis planè mortalibus explicat Vnquam.
Esse tamen scimus, mentisq́; indagine porrò
Deprensum largo sentimus pectoris haustu
Vndiq; diffusum, nobisq́; in Viscera lapsum,
Corda mouens intus, non missa murmure Vocis,
Sed tacito impulsu, atq; potenti numinis aura,
Qua nos Vsq; mouet. Quo Verò id nomine dicam?
Aut nullum, aut prorsus non enarrabile nomen.
Illi nomine enim quid opus discriminis ergò,
Cùm nullis penitus regnet consortibus Vnum?
Non animal, nõ res, non pars, non fœmina, non mas,
Quicquid es: ô seu Vis, seu mens, seu spiritus ille,
Qui mare, qui terras, qui cælum numine comples,
Cuncta mouẽs, mota amplectẽs, amplexa gubernãs:
Primò te esse quidem cuncti sentimus, & Vnum,
Inde bonum simul experti Verumq́; Vocamus.
Nec tamen es tantùm Verusq́;, Vnusq́;, bonusq́;,
Cætera ceu possunt dici quoq; pleraq;, sed tu
Ipsum esse, ipsum Vnum, Verumq́;, bonumq́; Vocaris:
Quæ tamen inter se haud distant diuersa, sed Vsq;
Sunt cõnexa adeò Vt penitus sint quattuor Vnum.
Nec confusa Vno tamen inuoluuntur aceruo,
Singula sed propria ratione & nomine distant,
Inq; Vicem secreta suo se munere produnt.
Mira quidem hæc: tibi sed nil est mirabile porrò.
Quod fieri nequit, ipse potes, potes omnia quando.
Nec tibi Vis Vlla obstat. agis simul omnia. nec te

Est

Est opus antè animo quod agis versare sagaci.
Quod vis, id potes, idq; simul molimine nullo
Perficis usq;. tuum sanè est opus ipsa voluntas.
Quod loqueris, facis idem: opus & vox editur vnà.
Vt dixti, vt subitò ad verbum emersere creata
Omnia, & ex nihilo cœpit splendescere mundus.
Tu rerum tu principium, tu terminus idem.
Principium sine principio, sine fonte scatens fons.
Tu tibi principium, tibimet tu terminus ipse:
Incipis abs te, si incipis, in te desinis ipsum.
Incipis idcirco nunquam, non desinis vnquam.
Ceu, se qui sequitur longis anfractibus vsq;
Per sua decurrens vestigia, labitur annus:
Nec se sponte sua discedens deseret vnquam,
Donec tempus erit, donec qui tempora cœpit,
Finiet idem, instantis origo & terminus aui,
Cùm volet, haud idem sibi finis, & exitus ipsi.
Non tibi heri, non cras, non quod fuit, aut erit olim,
Obijcitur, sed nunc hodieq; haud labitur vnquam.
Quod factum, infectum facis, indictumq; videri
Quod dictũ est, penitusq; hominũ de mente reuellis.
Quod nunc est, tibi semper erit. nec præterit ætas,
Nec te tempus habet. quæ nobis cunq; futura,
Sunt tibi facta, oculisq; tuis subiecta priusquam
Terra patens foret, aut cæli pulcherrimus ordo.
Tunc neq; tempus erat, neq; post, neq; dicier antè.
Omnia solus eras, in te omnia, tunc quoq; te nos
Aut cælo dignos, aut certè sontibus vmbris
Transcripsisse ferunt, & iam sua præmia cuiq;

Pro meritis soluisse, vel vt tua certa voluntas.
Quanuis hinc longo fuimus post tempore creti.
Proinde preces cũ stat nobis tibi fundere, laudésve,
Antè audis quàm sint concepta in pectore nostro,
Et benefacta hominum, & commissa piacula nosti,
Antè homines dias veniant quàm lucis in oras.
Omnia scis, & cuncta vides. tibi lumina mille,
Mille acies. at parua loquor. tu lumina totus,
Totus & ipse acies, nec quicquam te latet horum
Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ serò deinde futura.
Nec tibi opus luce ad visum neq; lumine. tu lux
Ipse tibi, tu cuncta illustrans lumina lumen.
Et latebras quærant mortales turpibus orsis,
Nec metuant oculos incurrere cuncta videntis?
Non vsquam locus vllus vbi non ipse quiescas,
Omnibus inq; locis ades omni tempore præsens
Diditus in parteis omnes. tamen omnis vbiq;
Integer vsq; manes. nec te regio vlla prehensum,
Conclusúmve vsquam cohibent loca: liber vbiq;
Funderis, atq; extrà nullus te terminus arcet.
Et si quid mũdus quod nõ circũ ambiat vsquã est,
Id nihil est nisi tu, tuaq; haud finita potestas.
Non oneri tamen es rebus quibus insitus hæres.
Ipse sed es tibimet sedes gratissima vbiq;:
In te vno requies tua: tu te nixus in ipso es,
Cuncta tua replens vires totus in omnibus vsq;
Tactum omnem supra, sine vi, motúve, sitúve.
Quod si adeo non sit, subito passim omnia casu
Cernere erit ruere, in nihilumq; redacta referri.

Omnia


Omnia sustentas: procuras omnia, alisq́;,
Dum presens ades. ipsa tua est præsentia vita,
Omnibus ipsa salus. agis omnia in omnibus, vno
Excepto tamē: ipse mali neq; enim auctor in vllo es,
Nec potis es sanctam noxæ vlli flectere mentem:
Quod cadit in nostros. simulac te amisimus, ausus.
Cætera semper agis. non te tamen omnia agentem
Exercet labor: at requies tibi summa: tibi alta
Otia, tranquillaq́; solutus mente quiescis.
Omnia fers, oneri tamen haud obnoxius vlli es.
Ceu quoq; si fortè admissis irascere nostris,
Pace tamen tecum fueris, placidaq́; serenus
Mente sedes. varium sanè & mutabile quicquam
In te non cadit, aut nostra inconstantia mentis.
Vtq; nouus nunquam, nunquam veter incipis esse:
Semper idem es, plenusq́; tui. procul extera queq;
Atq; aliena tibi absistunt. quicquid potis esse,
Aut non esse, tibi non congruit. omnia firma
In te sunt, nullos hominum metuentia casus.
Quicquid habes, vnus ditissimus, illud es ipsum.
Et nihil est in te penitus te præter eundem,
Tuq; tui pars ipse, tui pariter quoq; totus es:
Accessus tibi sunt nulli, nulliq́; recessus.
Quicquid habes, tibi fixū adeò atq; tenaciter hæret,
Vt nequeat traduci aliò, neq; vertier vnquam.
Dum luces, lux ipsa quidē es: dum viuis, id ipsum es
Viuere: dum sapis, ipsa adeò sapientia tecum est,
Vt nusquam queat abs sese diuellier ipsa.
Quandoquidem nihil es concreti, aptiue secari

EORVM QVAE IN HOC
opere habentur Catalogus.

M. HIERONYMI
VIDAE

MAR. HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS ALBAE EPISCOPI HYMNI DE rebus diuinis nunc primùm editi.

DEO OPT. MAX.



CCIPE *summe Pater summi fabricator Olympi*
Quæ tibi, quæ Nato, quæ amborum carmina amori
Sacra ferens cecini, cæliq; Quiritibus olim,
Dũ vacat, atq; humiles iuuat altè linquere terras,
Et fortunatas Superûm percurrere sedes.
Ipse ego, tentatum multis opus antè, camœnas
Vertice ab Aonio duxi Iordanis ad vndas,
Pérq; Palæstinos saltus, super ardua sisto
Montis Idumæi, sæpe vnde fauentibus auris
Tollere se, & liquidas mecum iuuat ire per oras,
Et cælum peragrare, adytisq; insistere diuûm,
Atque tuos etiam non exhorrescere vultus.
Nulla erat antè via: prærupta atque aspera saxa,
Et densi latè obducebant omnia vepres.
Ipse manu validam quatiens vtraq; bipennem

Latum limitem ago fruticum cedentibus vmbris.
Iamq́; aditus datur, atque via licet ire patenti.
Sat ludo scenæq́; datum. Ludicra priorum,
Fictáq́; sat vacuas tenuerunt carmina mentes.
Nam quis non teneros molli pede lusit amores,
Et nemora, & fontes, atq; inter pocula lusus?
Aut quis non diuosq́; virosq́; in prælia miscet,
Dum validos iuuat arma tubasq́; æquare canendo?
Vana superstitio mentitos numina diuos
Iam sileat: pudeat scelerum, quæ plurima cœlo
Affingunt, pudeat sedes scelerare beatas
Versibus, & superos probris inuoluere nostris.
Iam pia relligio cælo caput extulit aurea
Luce fugans tenebras, haud falsi numinis index.
Carmina nunc mutanda, nouo nunc ore canendum.
Iamq́; alias siluas, alios accedere fontes
Edico: iam nunc polluto calle relicto
Hàc iter esto, huc Musarum reuocantor alumni.
Hac casti vates in relligione manento.
Iam teritur via facta recens, veniuntq́; vocati
Certatim vates: noua cursu semita feruet.
Quàm iuuat interdum vestigia nostra legentes
Cernere nos iuxta iuuenes per amœna vireta
Eductos studio nostro decerpere flores,
Quos capiti imponant plexa sibi quisq; corona!
Sperò etiam fore cùm quæ nos extendimus ipsi
Infabricata, acieq́; retusa, vtcunq́; dolata,
Dum me deficiunt aliis rupta otia curis,
Dum populos mihi commissos pascoq́;, regoq́;

Olim

Olim aliquis diuis & Musis carior ipsis
In melius feret, atq; impensius arte polibit.
Et quæ vt nostra primo patefacta labore est,
Mollius ille viam solidabit marmore secto,
Auro addens etiam decus, & Gangetide gemma,
Vt teneant oculos discrimina mille colorum.
Mi sat erit specimen clari monstrasse laboris,
Vt superet mox ille, vt pulchra præmia laudis
Prima ferat, primos felix potiatur honores,
Inde alij atq; alij semper melioribus auris.
Hæc quæcunq;, tamen tibi qualiacunq;, sacramus
Summe pater. cui nam hæc potius de more dicemus
Mortali, in terris qui gratus digna rependat? (gum
Præmia nulla hominū moror, haud me purpura re-
Vlla mouet: nullos nos supra inhiamus honores.
Si terrena forent quicquam aut mortalia cordi,
Sat mihi Tuscorum Medycum persoluit honorum,
Et sat opum, rebus cùm maximus alter, & alter
Præesset, præstantesq; viros ad digna vocando
Munera ad egregias pretijs accinderet artes.
Nil vltrà in terris quæro par regibus ipsis,
Contemptu rerum, contemptu diues honorum.
Tu mihi solus ades: mihi tu persoluere solus
Præmia magna, meisq; potes subscribere votis,
Nulla licet meritis abs te sint debita nostris
Præmia: tu nisi quæ nobis victoribus offers
Sponte tua bonus, at nil tale merentibus ipsis,
Dum sontes, & adhuc dubia certamus arena.
Nam licet humana non spernas munera vocis,

Nil nostri tamen oris eges, laudumq; tuarum
Omnia plena, sonant cælo, terraq;, mariq;.
Siqua mei tamen est ratio tibi habenda laboris,
Quæ tua magna quidē in genꝰ indulgētia nostrū est,
Da Pater, extremæ cùm vita aduenerit hora,
Te præsente mori, nil me terrentibus vmbris,
Inq; tuos animam amplexus effundere ouantem.
Hoc tantùm mihi, plura alijs optantibus adde.

Hocce quid est? vbi sū? quæ mētē insueta libido
Sollicitat? solito longè mihi pectora maior
Arripuit calor, & labefactis ossibus hæsit,
Insolitoq; meas nouus est vapor igne medullas.
Quò rapior? quò vota trahunt? quæ tanta cupido
Seuocat abductam mortali à corpore mentem,
Ignotasq; vias latè iubet ire patentis
Ætheris, & liquido mihi sedem figere cælo?
Terra vale, curæq; humiles, hominesq; valete.
Nulli audita cano. veterum omnibus obuia vatum
Carmina iandudum: & mortalia cuncta perosus
Tollor humo, totusq; leuem propè vertor in auram:
Aëreasq; plagas superare, & linquere nubes
Sub pedibus, rapidoq; viam coniungere Soli
Dulce mihi, summoq; in vertice sistere mundi.
Non iter occurrens nostrum tot motibus aër
Detineat studio spectandi, & quæque legendi.
Nil morer aut ventos, aut saui fulminis alas,
Nubesq;, pluuiasq;, niuesq;, albasq; pruinas,
Eque coloratis cælestem nubibus arcum

Fœderis antiqui monimentum insigne per æuum.
Omnia iam vulgata. meas neque clara morentur
Astra vias, non sideribus voluentibus orbes
Instabiles. gelidæ quis nescit cornua Lunæ,
Aut quibus indicta est radiantis regia Solis?
Ipse licet Sol alta petat, totiesq; profundi
Impositus cæli dorso liquidum æthera tranet,
Ille meis longè inferior tamen euolet alis,
Altius ipse viam ingredior. quodcunque creatum
Infra me iacet: alituum gens incola cæli
Ipsa etiam subsunt acies post terga relictæ.
Supra axes mundi, supra mirantur euntem
Sidera, vestigantem ecquid sit originis expers,
Quodq;, vt morte caret, pariter quoq; nesciat ortus
Quod semper fuerit, quod nunquam cœperit esse,
Auctoremq; sui se tantùm nouerit ipsum,
Cætera cùm penitus fuerint ipso omnia ab vno.
Hoc molimur opus. voti hæc summa ardua nostri.
Ignotum, piceaq; procul caligine septum
Nubibus in medijs acie deprendere tendo.
Quicquid id est, magnum certè & mirabile nosco
Numen habere, licet lateat. fugiatq; videri:
Quid vè sit ignorem, cuncti tamen esse videmus,
Clarius atque suo longè se lumine prodit.
Ac veluti, obiectu nebulæ cùm delitet olim
Tum nemo potis est obductum cernere Solem:
Non tamen ignorem qua cæli parte prematur
Obsessum iubar, immenso quod lumina mundo
Sic etiam positum, lucemq; diemq; ministrat,

AEthereiq́ꝫ, vtcunqꝫ, ignis tralucet imago:
Haud secus id nostros sub sensus ire recusat,
Nec se oculis planè mortalibus explicat vnquam.
Esse tamen scimus, mentisq́ꝫ indagine porrò
Deprensum largo sentimus pectoris haustu
Vndiqꝫ diffusum, nobisq́ꝫ in viscera lapsum,
Corda mouens intus, non missa murmure vocis,
Sed tacito impulsu, atqꝫ potenti numinis aura,
Qua nos vsqꝫ mouet. Quo verò id nomine dicam?
Aut nullum, aut prorsus non enarrabile nomen.
Illi nomine enim quid opus discriminis ergò,
Cùm nullis penitus regnet consortibus vnum?
Non animal, nō res, non pars, non fœmina, non mas,
Quicquid es: ô seu vis, seu mens, seu spiritus ille,
Qui mare, qui terras, qui cælum numine comples,
Cuncta mouēs, mota amplectēs, amplexa gubernās:
Primò te esse quidem cuncti sentimus, & vnum,
Inde bonum simul experti verumq́ꝫ vocamus.
Nec tamen es tantùm verusq́ꝫ, vnusq́ꝫ, bonusq́ꝫ,
Cætera ceu possunt dici quoqꝫ pleraqꝫ, sed tu
Ipsum esse, ipsum vnum, verumq́ꝫ, bonumq́ꝫ vocaris:
Quæ tamen inter se haud distant diuersa, sed vsqꝫ
Sunt cōnexa adeò vt penitus sint quattuor vnum.
Nec confusa vno tamen inuoluuntur aceruo,
Singula sed propria ratione & nomine distant,
Inq́ꝫ vicem secreta suo se munere produnt.
Mira quidem hæc: tibi sed nil est mirabile porrò.
Quod fieri nequit, ipse potes, potes omnia quando.
Nec tibi vis vlla obstat. agis simul omnia. nec te

Est

Est opus antè animo quod agis versare sagaci.
Quod vis, id potes, idq; simul molimine nullo
Perficis usq; tuum sanè est opus ipsa voluntas.
Quod loqueris facis idem: opus & vox editur vnà.
Vt dixti, vt subitò ad verbum emersere creata
Omnia, & ex nihilo cœpit splendescere mundus.
Tu rerum tu principium, tu terminus idem.
Principium sine principio, sine fonte scatens fons.
Tu tibi principium, tibimet tu terminus ipse:
Incipis abs te, si incipis, in te desinis ipsum.
Incipis idcirco nunquam, non desinis vnquam.
Ceu, se qui sequitur longis anfractibus vsq;
Per sua decurrens vestigia, labitur annus.
Nec se sponte sua discedens deseret vnquam,
Donec tempus erit, donec qui tempora cœpit,
Finiet idem, instantis origo & terminus æui,
Cùm volet, haud idem sibi finis, & exitus ipsi.
Non tibi heri, non cras, non quod fuit, aut erit olim,
Obijcitur, sed nunc hodieq; haud labitur vnquam.
Quod factum, infectum facis, indictumq; videri
Quod dictũ est, penitusq; hominũ de mente reuellis.
Quod nunc est, tibi semper erit. nec præterit ætas,
Nec te tempus habet. quæ nobis cunq; futura,
Sunt tibi facta, oculisq; tuis subiecta priusquam
Terra patens foret, aut cæli pulcherrimus ordo.
Tunc neq; tempus erat, neq; post, neq; dicier antè.
Omnia solus eras, in te omnia, tunc quoq; te nos
Aut cælo dignos, aut certè sontibus vmbris
Transcripsisse ferunt, & iam sua præmia cuiq;

Pro meritis soluisse, vel vt tua certa voluntas.
Quanuis hinc longo fuimus post tempore creti.
Proinde preces cũ stat nobis tibi fundere, laudésve,
Antè audis quàm sint concepta in pectore nostro,
Et benefacta hominum, & commissa piacula nosti,
Antè homines dias veniant quàm lucis in oras.
Omnia scis, & cuncta vides. tibi lumina mille,
Mille acies. at parua loquor. tu lumina totus,
Totus & ipse acies, nec quicquam te latet horum
Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ serò deinde futura.
Nec tibi opus luce ad visum neq; lumine. tu lux
Ipse tibi, tu cuncta illustrans lumina lumen.
Et latebras quærant mortales turpibus orsis,
Nec metuant oculos incurrere cuncta videntis?
Non vsquam locus vllus vbi non ipse quiescas,
Omnibus inq; locis ades omni tempore præsens
Diditus in parteis omnes. tamen omnis vbiq;
Integer vsq; manes. nec te regio vlla prehensum,
Conclusúmve vsquam cohibent loca: liber vbiq;
Funderis, atq; extrà nullus te terminus arcet.
Et si quid mũdus quod nõ circũ ambiat vsquã est,
Id nihil est nisi tu, tuaq; haud finita potestas.
Non oneri tamen es rebus quibus insitus hæres.
Ipse sed es tibimet sedes gratißima vbiq;:
In te vno requies tua: tu te nixus in ipso es,
Cuncta tua replens vires totus in omnibus vsq;
Tactum omnem supra, sine vi, motúve, sitúve.
Quod si adeo non sit, subito paßim omnia casu
Cernere erit ruere, in nihilumq; redacta referri.

Omnia

Omnia sustentas: procuras omnia, alisq́;,
Dum presens ades. ipsa tua est præsentia vita,
Omnibus ipsa salus. agis omnia in omnibus, vno
Excepto tamē: ipse mali neq; enim auctor in vllo es,
Nec potis es sanctam noxa vlli flectere mentem:
Quod cadit in nostros, simulac te amisimus, ausus.
Cætera semper agis. non te tamen omnia agentem
Exercet labor: at requies tibi summa: tibi alta
Otia, tranquillaq́; solutus mente quiescis.
Omnia fers, oneri tamen haud obnoxius vlli es.
Ceu quoq; si forte admissis irascere nostris,
Pace tamen tecum frueris, placidaq́; serenus
Mente sedes. varium sanè & mutabile quicquam
In te non cadit, aut nostra inconstantia mentis.
Vtq́; nouus nunquam, nunquam veter incipis esse:
Semper idem es, plenusq́; tui. procul extera quæq;
Atq; aliena tibi absistunt. quicquid potis esse,
Aut non esse, tibi non congruit. omnia firma
In te sunt, nullos hominum metuentia casus.
Quicquid habes, vnus ditißimus, illud es ipsum,
Et nihil est in te penitus te præter eundem,
Tuq́; tui pars ipse, tui pariter quoq; totus es:
Accessus tibi sunt nulli, nulliq́; recessus.
Quicquid habes, tibi fixū adeò atq; tenaciter hæret,
Vt nequeat traduci aliò, neq; vertier vnquam.
Dum luces, lux ipsa quidē es: dum viuis, id ipsum es
Viuere: dum sapis, ipsa adeò sapientia tecum est,
Vt nusquam queat abs sese diuellier ipsa.
Quandoquidem nihil es concreti, aptive secari

In parteis, sed mens purissima corporis exors:
Ipse tuis pollens opibus, nihil indigus extrà.
Idcirco vsq; tibi constas, & sedibus ijsdem es:
Nec te operum piget auctorem; non pœnitet vnquam.
Et siquando opus incœptum non perficis, & ie
Subducis, non consilium immutabile vertis,
In melius sed flectis opus. neq; enim illa voluntas
Tum primùm subit. à prima sed origine rerum
Sic fixum stabat menti, immotumq; sedebat.
Nam veluti varios in serta recentia flores
Iungere nos iuuat, & longo contexere tractu,
Atq; ita consertos diuûm suspendere templis:
Æternas sic te in seriem connectere causas
Æternam perhibent, vt firma lege sequatur
Vsq; alia ex alia, stabilis neq; desinat ordo.
Has præter nihil in terris, cælóve, mari ve
Euenit: eueniunt præeuntibus omnia causis:
Vt non è nostro cadat vllus vertice crinis
Te sine, non vlla in siluis ex arbore frondes.
Vnus cuncta moues causarum maxima causa:
Et nihil est Fortuna, nihil quoque denique Casus,
Incertum quodcunque cadat, nisi nomina vana,
Quæ sumus infirmis commenti sensibus ipsi.
Quippe obscura licet sint pleraque & abdita nobis,
Fit tamen haud quicquam quod nō prouideris antè
Quàm vasti æthereos mundi procuderis orbes,
Sæclorumq; nouus procedere cœperit ordo.
Atque ideo nobis interdum siqua videntur
Facta quidem temerè, & penitus ratione vacare:

Non tamen euersa te protinus accusamus
Iustitia, at potius nebulis adscribimus atris,
Et tenebris, quibus indociles inuoluimur ipsi.
Quis mentē abstrusam, quis numinis alta profundi
Consilia exploret? latet inscrutabilis ordo,
Et series longa tegitur conserta catena.
Antè oculis alti mortalibus abdita ponti,
Antra legam penetremq́ imi sola operta profundi,
Obseruata vaga tua quàm vestigia mente,
Occultasq́ vias penitus deprendere possim:
Vsque lates, gaudesq́ nigris obnubilus vmbris,
Nec toto appares vsquam mortalibus ore.
Quas ego non latebras, quas nō mundi impiger oras
Nequicquam scrutatus, inacessosq́ recessus
Sæpe adij, dum te per plana, per ardua quæro,
Actus amore tui, flagransq́ cupidine vultus,
Nubila quo cæli, tempestatesq́ serenas?
Nam quoniam in terra visum te sæpe recenti
Audieram, priscisq́ parentibus ore locutum,
Primùm terram adij, multum scitatus ab illa,
Ecquid fortè suis latitantem viderit antris
Teq́, tuosq́ aditus, & inobseruabile porrò
Norit iter. nihil illa meo sermone mouetur,
Sed circunfuso se ostendit in aëre tantùm
Pendentem, atque suis libratam nixibus offert.
Tum pictos varijs prætendit floribus agros,
Tot siluas, tot de nullo quoque semine plantas,
Pomaq́, & haud vno nitidas è germine fruges:
Tempore quæque suo vice prouenientia certa,

Tum

Tum variaslatè diuerso in corpore vitas,
Alituum pecudumq́ genus, genus omne ferarum,
Quæq́ suam certo seruantia fœdere formam,
Naturæ & stabili se propagantia lege.
Hoc opus omne tuū, hæc manuū monimenta tuarū.
Tu sator atq́ opifex rerum, atq́ ipsius origo
Naturæ, si quicquam illa est, nisi nomen inane.
Te tamen haud vllis terrarum partibus vsquam
Aspicio, tua nec coràm fas ora tueri,
Nec nisi sese oculis præbent mortalia nostris.
Inde abeo. & quoniam cùm nondum luminis ortu
Clara foret tellus, sed adhuc in nocte lateret
Fumida, suffundens cæcæ caliginis vmbras,
Iam tuus æquoreis innabat spiritus vndis
Luce recens orti perfundens cærula ponti.
Protinus immensi conuertor ad æquora ponti
Vestigans, liquidis ecquis Deus erret in vndis:
Apparet vastus tumidarum gurges aquarum:
Nil nisi pontus adest, variæq́ sub æquore formæ,
Monstraq́, deformes phocæ, atq́ immania cete,
Totq́ alij vitreo nitidi sub gurgite pisces,
Qui sese vsq́ etiam generatim in sæcla propagant,
Quadrupedum vt genus omne, vt vitæ pēnipotentū:
Nec minus vndisoni maris admirabile visum est
Ingenium, accessus tot certa lege recessusq́,
Et modò crescentis salsas superare lacunas
Littora, detecto modò se subducere fundo.
Bisq́ die id, dum Sol semel vndiq́ circuit orbem.
Ista quidem auctorem longe super omnia magnum,

Arti

Artificem præseq́ꝫ ferunt, vltroq́ꝫ fatentur.
At nihil hic simplex nostris non sensibus haustum,
Subiectúmve oculis video, nil funeris expers,
Necdum oculos lux illa explet lux maxima nostros,
Lucis inaccessis habitans pulcherrima in oris.
Post hinc digrediens volucres quoq; toller in auras,
Aëreasq́ꝫ plagas, si fors tu spiritus auris
Misceris. gaudesq́ꝫ leues percurrere tractus.
Occurrunt mihi ventorum spirantia flabra,
Nimbiq́ꝫ, & pluuiæ atq; niues, canæq́ꝫ pruina,
Et ros, concretiq́ꝫ instar salis horrida grando,
Fulguraq́ꝫ, elisisq́ꝫ corusci è nubibus ignes.
Quæq́ꝫ mouent humiles auditæ tonitrua mentes.
Magna quidem hæc visu, artificem testātia magnū.
Nam quis non Deus, humana sed stirpe creatus,
Alituúmve etiam superûm de gente volucri
Tam varium excudat tanta arte coloribus arcum
Mortalíve manu, opus haud imitabile fulmen?
Parua sed ista tua mihi sunt vestigia lucis.
Necdum se mihi vis aurai simplicis illa,
Spiritus ille offert replens nullo omnia tactu.
Nondum te teneo. qua te regione requiram?
Quò sequar? vt perhibent, tibi sedes arduus æther.
AEthera conscendam? quis quæso accommodet alas
Præpetis enanti mihi nunc super astra columbæ?
Astra sequar pennis, puraq́ꝫ in luce quiescam.
Iamq; adeò immensi suprema volumina mundi
Intueor propius rapida vertigine volui,
Cætera in obliquum aduerso nitentia motu

Sidera perstabiles orbis qui voluitur, axes
Vnde dies nocti semper succedit, & vsq;
Mensibus exactis in sese voluitur annus,
Verq; suo rediens semper se tempore profert
Post Hiemẽ, sequiturq; Aestatẽ Autũnus inhærens.
Vix oculis propiora fero mortalibus astra.
Admiror lucem, admiror rutilantia longè
Lumina, & inuenti mihi spes accenditur ignis,
Quem cupio, quẽ dudum inhiãs toto æthere quæro.
Vt verò, ethereæ lucis fontemq; domumq;,
Longius aspexi medium inter sidera Solem
Auricomum, & totum radijs vibrantibus aureum,
Lætitia exilui, neq; tantum lucis in vllo,
Qui non longè esset supra omnia, credere quibam.
Lux tamen illa expers vita, & sine sensibus ignes,
Lux alia de luce, alijs deq; ignibus ignis,
Artificemq; suum ceu cætera sidera nouit.
Necdum oculis sese præbet nitor aureus ille,
Qui cùm cuncta mouet, non est obnoxius vlli
Exterius qui se moueat. se conciet ipsum
Sponte sua exoriens nunquã, vt neq; desinet vnquã.
Restabant vna aligeræ toto æthere mentes,
AEthereæ cælestum animæ, vitæq; volucres,
Primorem stipant quæ mentem examine denso,
Vsq; ministerio intentæ, iussaq; rotatu
Sidera perpetuo torquent voluentia mundi.
Accessi, mediumq; dedi me latus in agmen.
Hic choreæ, hic cantus hilares, thiasiq;, choriq;,
Gaudiaq;, & læti lusus, hic omnia læta.

Illum

Illum adeò, mihi qui visus præstantior omni
Illorum è numero sanctum ceu numen adoro.
Inclamant omnes. in primis verba precantis
Ipse arcet refugitq;, humilis cui tura parabam:
Séque Deum negat, atque Dei vix cernimus ipsi
Instar ait, simul ad laudes. & carmina lætus
Interrupta redit, cantúsque instaurat, & illud
Sanctius, ac claris longè sublimius astris
Cum socijs lumen canit indefessus, & vsque
Læta cohors regem læto clamore salutans,
Sanctus, Sanctus, ait, Sanctus, ter maxime, terq;
Optime, quo melius nihil ac nihil omnia præ te.
Tu pater es, tu te fœcunda mente volutans,
Ipsummet te totum obiens, in téque reflexus
Concipis ipse tui exemplum, tuæ imaginis instar
Haud vlli visum, sed inobseruabile prorsum:
Ceu cùm secum aliquid mortales farier orsi
Concipiunt tacito antè latens in pectore verbum,
Quàm vox aëreas audita edatur in auras.
Sed quod tu tecum mente ingens concipis alta,
Verborū haud simile est hominū, dū corde premūtur.
Sed sine principio dictu mirabile Verbum,
Quod semper fuit, est, & erit sine fine, sine vllo
Interitu æternum, nullóque obnoxius æuo
Fœtus, ab æterno genitus, sine matre parente
Filius, æterno proles æquæua parenti.
Semper es, & nunquam tecum vnicus ipse fuisti,
Quin fuerit tecum pariter quoque & vnica proles.
A vobis nunquam alter abest. regnatis vtérque

Omnipotens, & vterque ingens, immensus vterque,
Et pariter Decus, æqualisq; potentia vtrique.
Quin & concordes, vósque inter mutua amantes,
Communi (nullis opus extricabile verbis)
Afflatu æternum semper spiratis amorem.
Quódque ab vtroque fluit, consorti Spiritus aura
Numen habet pariterque Deus quoq; regnat vbique
Omnipotens, ceu tu, omnipotens, ceu Filius ipse.
Treis tamen esse deos siquis putat, auius errat:
Vnum numen idem tribus est, tribus vna voluntas,
Vna eadémque tribus natura, atque vna potestas,
Maiestásq; eadem, atq; Deum ter dicimus vnum.
Quandoquidem quod tu, sit quanuis alter, & alter,
Haud tamē est qui tu, ast alius numeratur vteruis,
Nec Natus Pater est, nec Natus Spiritus, aut tu
Alteruter, vestrûm sua sunt discrimine certo
Munera cuique: nihil confusum est, inq; solutum.
Tergeminóque Deus polles cumulatus honore.
Te nullus fuit ante Deus, neque post erit vllus.
Vnus es, æterno qui numine cuncta gubernas
Abditus, ingens, omnipotens, ter vbique tremendus,
Cuncta supercilio quatiens, cuncta igne corusco
Terrificans, cæli superas dum concutis arces.
Hæc memini, atque alia alterni miranda canebant,
Et mihi sublimem lucem eminus ostendebant,
Lucem admirandam, quam cernunt clarius ipsi,
Cùm sint æthereæ, & nullo propè corpore mentes,
Dura quibus tristis præclusa est ianua lethi.
At mihi mortali in medio caliginis atræ

Visa

Visa est clausa, nigráque procul circundata nocte.
Incertum possim nebulosam an dicere lucem,
Lucentémne magis nebulam iubar intus inesse:
Dignosco tamen auriflui fulgoribus ingens,
Quódque omnem exuperat magno discrimine lucem,
Si quicquam fas supremæ componere luci,
Vnde omnis ceu fonte fluit lux cætera largo.
Terrenam vt superant cælestia lumina lucem,
Cætera vt ingenti concedunt sidera Soli
Lumine, Sólque animos cælestes aureus infra est.
Sic tibi non tantùm assurgit lux omnis vbique
AEtheris immensi, tibi sed collata repentè
Fit nox, & nigra pallens obducitur vmbra.
Inde mihi si quis quandóque eruperit ardens
Per cælum radius, mentíque affulserit ignis,
Præterit, & rutila cæli fugit ocyor aura:
Quæ cecidit, seu visa polo cecidisse sereno,
Nec blando mihi fas oculos saturare nitore.
Sic mihi nunc si quis velamina nubis opacæ
Demat, & exertum penitus det cernere lumen,
Quod colimus, cui tura damus, cui ponimus aras,
Ignotúmque animis cupidis ardemus, & vsque
Flagrantes acri frustra tabescimus igni.
Quòve magis sensu comprendere tendimus, ægrósque
Altius in cælum visus attollimus, hoc tu
Effugis, aspectúque magis tua subtrahis ora
Nube tegens, piceáque inuoluis nubis amictu,
Exiguamque tuæ miramur imaginis vmbram.
Ac veluti si quis Solis Lunæve labores

Deficiente velit paulatim cernere lucem,
Non ille arrectos extollat ad æthera vultus,
Verùm aut subiectis cælum speculetur in vndis,
Aut vitro lucente, vbi plurima ludit imago:
Sic nobis altum spectantibus ora tueri
Fas nunquã tua, nec veram propè cernere formam,
Infirmi nequeunt humani luminis orbes.
Maximus es, nemo quantũ tamẽ expedit vnquam:
Optimus es, nulli qualem tamen edere fas est.
Credo equidem faciem propius tuáque ora tueri,
Atque vt: es omnino potis est haud noscere quisquã,
Terrena quàm mole diu membrisq; prematur.
Auersum te terga oculis vix cernimus ægris.
Et potius, quid non sis, quiuis promere possit,
Quàm vera valeat penitus te reddere forma,
Quippe tuæ aspicimus tantùm vestigia dextræ.
Quicquid habet tellus, mare, cælũ quicquid & æther
Latipatens, opus omne tuum: quodcunque videmus,
Sentimúsve, tuum est: nobis hæc reddit imago.
Plurima te in speculo, liquidisq; tuemur in vndis.
Terga tua sunt hæc, & posteriora figuræ.
Proinde quis amota te possit comminus vmbra
Ferre oculis, qualis, quantúsve amplecteris omnia,
Vndique diffusus, nullo de lumine lumen,
Lux nulla de luce, omnis sed lucis origo?
Nemo equidem credo vim tantam luminis absque
Interitu ferat, aut torrentis flumina lucis.
Iccirco te mortales metuúntque tremúntque,
Séque tua cupidos solantur imagine formæ,
Atque

Atque aciem ad veros non audent tollere vultus.
Omnibus es timor, vnde Deum dixisse priores
Te credunt aliqui vera rationis egentes.
Te vulgus tremat & mortalis catera turba,
Sisq́; aliis metus, vt libet, ac formidinis horror.
At mihi blādus amor, mihi sis placidißimus ardor:
Noctes atque dies toto te pectore versem.
Te sine sit mihi dulce nihil, te pro omnibus optem,
Vnum deperéam: totis hunc sensibus astum
Implicitem: hunc imis exardens oßibus hauriam:
Hoc mihi soluantur flagrantes igne medulla:
Hos mihi mens vnos semper suspiret amores,
Nunquam operū, nunquam meritorū oblita tuorum,
Quòd sim, quòd viuam, quòd sensu animóq; capaci
Praditus vtar. Vti sancta tua imaginis instar,
Muneris omne tui est: tibi gratia debita soli,
Cui nunquam dignas potis vllus soluere grates
Pro meritis, licet ille sacra se destinet ara
Sponte sua, & sauos torrendum iactet in ignes.
Sancte veni, neq; te iam aspectu subtrahe nostro.
Lux nulla de luce, vllo haud de lumine lumen,
O' nitor exoriens nostra pulcherrime nocti!
Quo fugis? appare mihi tandem, & nube remota
Exerere, atque tuo flagrantem refice vultu,
Voxq́; meas age nunc primùm tua personet aures.
Te semel inspecto vitam haud finire recusem,
Si nequeam insolitam vim lucis ferre profusa.
Sed potero, atq; operum patiens amor omnia vincet,
Qui me iandudum male habet, totisq́; medullis

Vrit, tabentiq; animo te suggerit vnum:
Vnum te noctu, te luce vsque aucupor vnum,
Vsque tui desiderio perfixus amoris.
Ac veluti, ab nemorũ quem dudũ algẽtibus vmbris
Excivere canes, medióque egêre sub æstu
Aequora per longo camporum libera cursu,
Ceruus hians liquida fontem memor optat aquai,
Suetus vbi gelida sese perfundere lympha:
Haud aliter fontem mea te sitis arida viuum
Suspirat, cælóque cadentem demoror imbrem.
Rumpe moras, age, fons viuus, cæli aureus imber
Labere, & aurifluo labris sitientibus amne
Affer opem, arentémque sitim ros imbrifer exple.
Iandudum desiderio, genibúsque solutis
Deficio exanimis, tua dum frustrà atria lustro,
Ostiáque insisto immensam claudentia lucem.
Pande fores, te pande mihi, per te datur vnum
Ad te aditus, túque ipse tuimet ianua clausa es.
Suscipe me, & validas intranti suffice vires,
Et mihi quicquid opũ, quicquidve daturus honorum
Tolle precor, mihi te solum nudúmque rependе.
Es mihi pro rebus cupido satis omnibus vnus.
Egredere optatos fulgur velut exere vultus,
Et ferrugineum caliginis aufer amictum,
Lumine Sol oriens rigat vt cæli arua recenti.
Si verò, cùm sis passim ingens, totus vbique,
Respuis externos sine corpore spiritus haustus,
Atque ipsi verè penitus tibi cerneris vni,
Quod nihil omnino præ te sit corporis exors,

Quódve

Quódve loco certis non insit partibus orbis:
Saltem parua tuæ lucis scintilla corusco
Emicet igne, meamq́; serenus discute noctem.
Cernere si nequeo, temet sis quantus in ipso,
(Quod dabitur, simul orbem acri lustraueris igni)
At saltem qui sis in rebus, quantus abundes
In nobis, quantusq́; animis cælestibus insis,
Aspiciam, dulciq́; tuo fruar eminus ore.
Tantum si mihi non pigeat te ostendere, qualem
Affulsisse ferunt vacuis in saltibus olim
Pastori Isacida, soceri dum pasceret agnas
Collucente rubo, flammisq́; ardente coruscis,
Cùm tamen illæso frondes cum stirpe virerent:
Aut quale effusum per cornu rasile transit
Lumen, & inclusus transpectu cernitur ignis.
Quanquã ô, sed mea me grauiora piacula tardant
Ne te ferre queam, qualem te Legifer idem
Palmiferi vidit nimboso in vertice Sinæ
Fulminibus crebris fumanti monte tonantem.
Da mihi te, eq́; rubo tua vox vtcunq; feratur,
Meq́; voca, mea nec quicquam commissa morentur.
Si potuit quondam qui teq́; tuosq́; petebat
Insidijs, sanctum de cælo cernere lumen,
Teq́; audire fuit postquam ad meliora vocatus,
Exutus veterem Paulus cum nomine mentem:
Me quoq; verte: tuũ est misereri, & parcere semper
Subiectis, coramq́; admissa fatentibus vltrò,
Quos tuus ipse sui Natus lauit amne cruoris:
Quando operis tibi cura tui, nec deseris vnquam

Quos semel in dias eduxti luminis oras,
Sponte sua sibi ni desint, perdántque volentes.
Mentibus in nostris semper seris aurea recti
Semina, si quicquam ingredimur te iudice dignum,
Tu nobis das velle prius, dein sufficis aptam,
Qua fieri id possit, vim: nec te subtrahis vnquam,
Tramite ni recti malè suasi sponte relicto
Labimur in scelus, & votis agitamur iniquis,
Atque tuam oppositis animis auertimur auram.
Tunc fugis, & fædis abes irreuocabilis orsis.
Nam quamuis hominē admoneas, foueasq́ tegasq́,
Quodlibet audēdi est tamē omnibus æqua potestas,
Et nobis laxas nostri vsque relinquis habenas,
Iustitiæ tantùm memores rectiq́ piiq́
Esse iubes, atque ipse coli te præcipis vnum.
Et quamuis mortale genus nil promere possit
Laude tua dignum, nec quicquam mente capaci
Concipere egregium: neque enim te pingere veris
Fas cuiquam dictis: sed inenarrabile numen
Maiestasq́ tua est: nostras tamen optime laudes
Non refugis, gaudésque hominum pietate benignus.
Quippe tener simul emersit per inania mundus,
Cuncta tuas ora in laudes soluêre repentè,
Artificémque agnouit opus, te lucidus æther,
Te sancti volucres, noua gens radiantis Olympi,
Et numen sensere tuum polus alter & alter,
Lunáque, Solq́ recens, & sidera matutina.
Omnia plaudebant, supera omnia læta sonabant,
Et cecinere nouum tibi carmen Vesper & Ortus

Inter

Interea aëreis sua erat quoque plurima campis
Lætitia, & toto strepuere tonitrua cælo,
Continuóque ignes fulsere in nube corusci,
Atque humiles rutila lustrarunt lampade terras.
Nec vos immensi mora distulit æquora ponti.
Exultastis aquæ plausu, exultastis arenæ,
Et caudis nitidi planxistis marmora pisces.
Cernere erat, quà cæruleas supereminet vndas,
Omniferam dorso tellurem murmure læto
Intremere, & celeri velut assultare chorea.
Necdum quadrupedes gustarant pabula in aruis,
Nec variæ volucres rostro se pascere acuto
Assuerant: prius omne pecus, prius omne volantum
Reptantúmque genus mira te laude ferebant,
Et rerum auctorem seruatorémque canebant,
Ipse latens, mediisq; in nubibus igne coruscus
Gaudebas, operiq; tuo faber indulgebas,
Qualis, cui crescit natorum plurima pubes,
Omnes cùm videt insignes pietate, sibiq;
Subiectos, pater ille animum labefactus amore
Lætatur secum, & tacito sub pectore gestit.
Tandem natus homo est, cœpitq; animata moueri
Gleba recens, cælóque arrectos tollere vultus.
Illi præ cunctis animantibus ipse dedisti
Diuinos altæ mentis diuinitus haustus,
Vt nullum in terris propius te accedat & vndis
Ingenium haud veræ omnino rationis egenum.
Muneris idcirco tanti memor ore canebat,
Et meritas toto soluebat pectore grates.

Cum consorte tori incedens per amœna vireta,
Halantesq; tibi flores & serta legebat.
Felix ò nimium, tecum si fœdere pacto
Mansisset dictis, nec turpi iura resoluens
Arsisset voto, vetitiq; cupidine pomi
Seq; suumq; genus veniens mersisset in æuum,
Omnia suffundens mortis nigrore repentè!
Tu tamen ò nostras nimiùm miserate ruinas
(Suasit amor) demum nos vltrò in pristina reddis,
Nec sinis in tenebris altaq; voragine volui.
Nam tandem auxilium cœlo demittis ab alto,
Qui reduces noctis nos tanta euolueret vmbris,
Non tot veridicis olim de vatibus vnum,
(Quod poteras) non alitibus de ciuibus vnum,
Qui cœli supera alta colunt, sed munere tali
(Quæ pietas? qui tantus amor?) tuus vnica proles
Fungitur ille, tui vera atq; simillima imago
Filius, æternùm qui tecum viuit, & vnum
Est & idem tecum, tibi nec diuellitur vnquam.
Nascitur humana sub imagine, nascitur ille
Qui semper fuit, est, & erit, cui sidera parent:
Mortaliq; Deus tegitur sub mole, nec artus
Respuit humanos, nec vitæ incommoda nostræ,
Factus homo, mortiq; etiam se subijcit vltrò.
Vt nos æternæ mortis de faucibus haustos
Eriperet, claroq; humiles inferret Olympo.
Ille etiam, mundo cùm venerit vltimus æui
Terminus, antè noua quàm flagrent omnia flāma,
Arce tuo missu ad terram descendet ab alta

Aetheris, ut vitas hominúmque: & crimina discat
Quæsitor quem non benè vel malè facta latebunt
Pro meritis statuet pœnas, & præmia cuique.
Cùm verò ingenti flamma arserit orbis vbique,
Continuò tellure noua, cælóque recenti
Cernere erit lustrata hominum volitare per auras
Corpora clara magis cæli radiantibus astris,
Omniáque ætherei complere sedilia cæli.
Tu pater in medijs tot millibus æthere summo
Totus collucens, radijsq; micantibus ardens
Longè omnes supra pro maiestate sedebis
Cum Nato æquipotente, tuúmque afflabis amorem
Omnibus, atq; tuo lætos dignabere vultu,
Vnde animis venit alma quies, sine fine voluptas,
Tunc te sicut es, & sine nube videbimus atra,
Et nil iam leuibus speculi debebimus vmbris,
Felices omnes, & conditione beati,
Quisq; sua, haud animis tendent optantibus vltrà,
Alter & alterius non suspirabit honores.
Omnibus vnus erit iunctis amor, atq; fouebunt
Mutua se, dulcique animis ardore liquescent.
Nec se vlli poterunt posthac summittere culpæ,
Vt cæli volucres post prima pericula ciues.
Ter felix sine fine quies, sine fine voluptas.
Tunc neque erit finis, neque tempus. desinet æuum,
Quodq; est, quodq; olim fuit, & qđ deinde sequetur,
Vnum erit. immensi requiescent sidera mundi,
Mobilis & circumtorqueri desinet orbis,
Ipse etiam cursusq; sui, assiduiq; laboris

Oblitus Sol stabit: iners nihil edet in auras
Terra parens: nil iam gigni, nil crescere, aliue
Cernere erit: nil mutari, nil denique obire:
Omnia semper erunt eadem, terra, æquora, cælum,
Sideráque ultrici mundi lustrata fauilla
Haud infra ætherei fulgebunt lumina Solis,
Lumina, quæ solita mundo nunc luce ministrat.
Tunc mage erit longo Sol lucidus interuallo.
Nullus erit nimbus, nulla toto æthere nubes,
Quæ sese obijciant, & opacum lumen obumbrent.
Otia mundus aget: tu solus gignere prolem
Vnigenam perges fæcundo in sæcula uerbo.
Gignendi nec finis erit, & uterque beatam
Concordi afflatu semper spirabitis auram,
Sol uti inexhaustum nihil unquam mittere lumen
Desinit, usque noua perfundens omnia luce,
Omnia perpetuo conseruans fota calore.
Vnus cuncta reges: eris omnia in omnibus unus:
In te unum conuersi animis flagrantibus omnes,
Mirari, amplectiq; omnes, pascíq;, fruiq;,
Aeternúmque tuas resonabunt omnia laudes.
Salue summa boni, fons ueri, lucis origo.
Siquid iustitiæ est nobis, rectiq; pijq;,
Si quicquam uirtutis, id omne, id fluminis instar
À te fonte uenit recti omnis, cùm tibi iuncti
Hæsimus, hāc trahimus tua per commercia partem.
Tu pietas, tu iustitia es, tu cætera uirtus
Omnis, & in nostras emanas undique mentes.
Tu uigor es rerum, tu uis, tu lucidus ille

Splen

Splendor, quo cæli regitur pulcherrimus ordo.
Tu Soli radios, tu præbes augmina Lunæ,
Cæteráque accendis, pascisq́ micantia cæli
Sidera luce tua, & totum iubare æthera vestis.
Sæcula tu reparas semper, fugientia mundo
Tempora dispensans, annos, mensesq́ diésque,
Et lucis noctisq́ pares tu diuidis horas.
Atque orbis velut es sator vnicus, omnium origo,
Sic etiam tu cunctarum concordia rerum,
Tu mundi tu concentus, tu consona Musa,
Perpetua in seriem nectens elementa catena,
Suspendisq́ grauem telluris in aëre molem.
Et suspendis aquas, tot vasti stagna profundi,
Atque pares orbis lati moderaris habenas.
Omnia solus agis, solus Pater omnia curas.
Nec te centimanum dicam, tamen es tibi totus
Ipse manus, totusq́ oculi, digitiq́, pedésque,
Brachiáque, & mundo noua semina sufficis vnus.
Vsque nouas animas in membra recentia fundis
Humani generis sator indefessus, & orbem
Finibus in cunctis varijs animantibus imples:
Nec sine te it quicquam aëreas in luminis oras.
Per te concipiunt fœcundis imbribus agri:
Semináque educit dias calor almius in auras.
Gramine conuestis sola: versicoloribus arua
Floribus appingis, pictisq́ tapetibus ornas
Semper vere nouo, nec certus rumpitur ordo.
Spicea serta gerens, maturáque semina curua
Falce legens, alimenta animantibus, ingruit æstas.

Rore leui arentes reficis nocte humidus herbas:
Hinc varia arboribus pendentia poma coloras,
Et nitidas lentis suspendis vitibus vuas.
Venit hiems: niue, & albenti tegis arua pruina,
Tellurémque gelu premis, & vaga flumina sistis.
Tu quoties libuit, veluti deprompta reclusis
Thesauris, profers ventorum immitia flabra.
Imbripotens, nimbos tempestatésque coërces.
Fulguribus terras & saeuo fulmine terres.
Omnia mox caeli detecta luce serenas,
Aëreas equitans nubes, latáque sonoris
Ventorum inuectus pennis caua nubila differs.
Das leges & iura polo: tibi curia sancti
AEtheris obsequitur, nutúsque obseruat heriles
Sanctorū chorus alituum. tibi in omnia summum
Imperium: tu rex regum: tibi sceptra, tibi ipsa
Regna accepta ferunt reges, & numen adorant
Accurui, votísque vocant, metuuntque tremúntque,
Atque humiles vni tibi corda ferocia ponunt.
Insani, tibi qui se frustrà opponere signis
Infestis audent, atque irrita bella lacessunt.
Quādoquidē ceu das, adimis quoque regna superbis.
Quanta tua sit vis, quàm saeua potentia dextra,
Caelestum volucrum scit quondam maximus ales,
Olim qui roseo ceu Lucifer ore nitebat,
Et matutino praebebat lumina caelo:
Cum socijs nunc in tenebris, & nocte profunda
Sontibus infelix aeterno carpitur igni,
Noctipotens vmbris terror crudelibus & fax,

Lucifugisq; animas miseras exercet in oris.
Scit Babylon superas educta turre sub auras
Terrigenas quali disieceris ense gigantes.
Scit Segoris, scitq; infelix Asphaltidos vnda
Accola quas vrbes subito telluris hiatu
Hauseris, & pluuio gentem deleueris igni
Ausam immane nefas, vim cæli inferre ministris
Aligeris teneræ iuuenum sub imagine formæ.
Tantus agit furor insanos, tam cæca cupido.
Tu pedibus salsas das ire impunè per vndas
Suspensis genti, dum vim fugit hostis, amicæ,
Et mare veliuolum concreta diuidis vnda.
Nec mora, vorticibus pelagi in se deinde reuersis
Arma inimica, viros, currúsque sub æquore mergis,
Et duram Aegyptum luctu prosternis amaro,
Quam non vlla prius potuerunt edita cælo
Flectere signa iræ cælestis nuntia monstra.
Tu potes hostiles nullo ariete vertere muros,
Ad solum clamorem hominũ, sonitúmque tubarum.
Tu quoties opus, insolitis terroribus hosti
Aduerso immittis tenebrásque, metumq;, fugamq;,
Et conuersa adigis dare terga sequacibus vmbris.
Vox tua terribile est tonitru, tua dextera fulmen.
Tu populum innumerum deserta per inuia vectum
Concreto cæli pauisti rore tot annos:
Tu largum duris è rupibus elicis amnem:
Tu dulces in aquas fontes conuertis amaros:
Tu rerum quandoque vices & fœdera rumpis,
Et quas fixisti leges, idem ipse refigis.

Hinc

Hinc precibus validi herois, dum prælia tendit,
Sol cælo stetit immotus, mirantibus astris,
Cæteráque assuetos requierunt sidera cursus.
Hinc conuersa retro quoque flumina subsedere,
Aut subitò obscœno manarunt rubra cruore,
Et segnis quadrupes humana voce locuta est.
Olim etiam pluuiam multos innubilus annos
Haud aër dedit, & latices latuere reposti.
Ante haustum largis deleras imbribus orbem.
Tu cererem exiguam nati conuertere in artus
Diuinos, corpúsque potes sacrantis ab ore.
Quid mirum si ferrum etiam natet amne liquenti
Suspensum, nec mole graui subsidat in ima?
Si vim sponte suam dediscat mitior ignis,
Nec pueros cremet in media fornace canentes?
Arida si nitido reuirescens germine virga
Non expectatos det obusto cortice flores?
Per te etiam surdis penitus sæpe auribus orti
Sunt visi claras audire & reddere voces.
Necnon capti oculis, & blanda luce carentes
Iucundum cæli potuerunt cernere lumen:
Vt sileam quos in media iam morte iacentes
Incolumes seruas, nutúque in pristina reddis.
Quinetiam extinctos, ima & tellure repostos,
Cùm libet, amissa reuocas ad munera vitæ,
Idq; aliis das posse, tuas qui pectore casto
Implorant vires, & sanctum numen adorant.
Nil adeò nostris tam viribus inconcessum,
Quod non eualeat quisquis te pectore toto,

Toto

Toto corde colit, totis te sensibus haurit.
Ille etiam auulsos in salsas æquoris undas
Transferet, ac coget par inania currere montis.
Ille etiam velut ante oculos ventura videbit
Vaticinans, populisq; canet longè antè futura.
Largius ipse homini te sæpe infundis amico,
Cætera de nihilo quem propter cuncta creasti:
Illum etiam demum cæli dignaris honore.
Respice nos bonus, & nodo tibi necte tenaci.
Nos facere id potis est unum, ac seruare beatos.
Nam quicunque tibi se iunxit, & altius hæret,
Teq; habet, omnia habet, nulliusq; indigus ultrà est.
Omnia sunt in te per te, omnia, te omnia ab uno.
Siquid opus, nulli dees, omniaq; omnibus unus
Sufficis, & te, qui sis omnibus omnia, præbes.
Tu vigor es fessis, iactatis æquore vasto
Tu portus, tu fons liquidæ sitientibus undæ:
Tu requies, tu pax animis placidissima nostris:
Tu modus es rerum, mensusq;, & dædala forma,
Metaq;: tu pondus, numerusq;, ordoq;, decorque:
Tu cunctis communis honos, tu vita salusq;:
Tu cunctis communis amor, tu plena voluptas
Omnibus, & virtus: abs te sapientia, siqua est
Mortali: tu lex, tu spes certissima, tu lux,
Tu via, tu ratio. desunt mihi carmina, desunt
Verba, tibi quo plura cano, tibi plura canenda.
Restant, mortali non euoluenda labore.
Non te orbes capiunt, non ampli semita cæli
Ardua, non ratio, non mens, non denique sensus.

Atq; adeò maris immensi tot stagna, tot vndas
Ebibere enitor, totúmq; haurire profundum.
Hic mihi si æternùm sonet immortalis aheno
Gutture vox, centúmq; obeant hæc munera linguæ,
Semináq; excudam laudum vsq; abstrusa tuarum,
Haud equidē exiguam sperem comprendere partem.
Sint ideo potiùs tibi nostra silentia laudi.
Ô decus, ò iubar æternum, inuiolabile lumen!
Summū, vnūq; bonū, summarū maxima summa.
Siquid honos, siquid laus, siquid gloria, id omne
Vnus habes: tibi honos, tibi laus, tibi gloria soli.

DEI FILIO, DEO OPT. MAX.

PRincipio ante æui primordia, & ante creata
Omnia verbum erat æternum, immemorabile verbum,
Vsq; Deum propter residens, haud numinis expers,
Diuiniq; haustus: sed erat quoq; numen idipsum,
Eq; Deo Deus, & verum de numine numen,
Quod Deus æterna produxit origine, nullo
Temporis obsequio se in semet mente reflectens,
Concipiénsq; sua propriū hunc sibi imaginis instar,
Quo sine nil horum constat, quæcunq; creata.
Fons vitæ, fons lucis erat mortalibus ægris.
Lux ea sed tenebris primò radiabat in altis,
Nec claram cæcæ lucem agnouere tenebræ.
Huc missus vates, lucem qui proderet almam

Gentibus, & largo lustraret lumine mundum,
Veridicóq; rudes prænuntius ore moneret,
Non lux ipse quidem, sed tanti luminis index.
Lux erat ille autem, qui primo lumine semper
Affulget primas mundi ingredientibus oras.
Non aberat mundo mundi fabricator: at ipsum
Auctorem haud agnouit opus, sed ei obstitit orbis,
Inq; sua aduenientem alij exclusere, neque illum
Admisere sui: sed quotquot luce recepta
Accepere, pijs tum primùm oblata facultas,
Et monstrata via est, qua cæli surgere ad auras
Possent, séq; Deo ceu pignora iungere cara
Lustrati velut, atq; iterum diuinitus ortis.
Nam verbum omnipotens (agite hic assurgite dictis
Mortales venerati animis) mirabile verbum
Dilapsum cælo moribundos induit artus,
Factus homo Deus, & nostris habitauit in oris,
Vnde salus omnis nobis est orta sepultis.
Tantáne te pietas miserantem incommoda nostra,
Tantus adegit amor, cæli vt de lumine claro
Te nostris velles vltrò immiscere tenebris,
Cùm sis æterni proles æterna parentis,
Luciferum ante satus roseum? tu Lucifer ipse,
Cæteráq; astra tuo tu lumine cuncta serenas,
Qui gigni neq; cœpisti, neq; desinis vnquam:
Principio semper genitus, gignendus & vsq;:
Principium de principio, de fonte oriens fons.
Tu Sol, atq; idem splendor de Sole resurgens,
Splendor, qui Solem illustras splendoribus ipsum,

Lux de luce micans, clarum de lumine lumen:
Sol omnis fons iustitiæ, pietatis origo,
Splendor, qui totum illustras splendoribus orbem,
Tu mortale hominum genus ipsa ab origine rerum
Vidisti curas humiles, & vana fouere
Consilia, accuruum terris, cælestium inane.
Huc ideo accessi moribundo corpore septus,
Te medium dans inter nos interq; parentem:
Vt nos erudiens nunquam antè audita moneres,
Arcanis inscripta notis in codice clauso,
Quem septem custodibant adamantina signa.
Hic veterum coràm euoluens oracula vatum
Lustrasti nos luce noua, vt concreta videntes,
Atq; oculis subiecta, etiam possemus adire
Quæ fugiunt hominum visus, vix peruia menti,
Atq; ita nos veheres tua per vestigia ad astra:
Qualis auis, non iam implumes cùm sedula natos
Inuitat, tenditq; volatu educere in auras,
Ipsa superuolitat nidum alludentibus alis,
Paulatimq; leui se tollit in aëra lapsu:
Non alia humanum genus arte obtusa tot annos
Corda gerens poterat sublimi pectore digna
Concipere, & volucri cælum tramittere mente.
Nam tibi cũcta Pater quæ sunt, quæ ve antè fuere,
Quæ ve dehinc ventura, vni detexit, & æquè
Omnia scis, & cuncta vides, videt omnia vt ille.
Te quanuis genuit Pater auctor, non tamẽ vnquam
Te fuit antè Pater: nunquam non ipse fuisti
Filius æterno soboles æquæua parenti.

Cen

Ceu (quamuis longè æternis pereuntia distant)
Splendor ab igne oritur, splendorem non tamen ignis
Ante iit, at simulatque ignis tum cœpit oriri,
Ortus item pariter splendor diffulsit ab igni,
AEternusque foret pariter si æternus & ignis.
Nō Pater est te maior: habes Patris omnia, & in te
Est Pater, ut genitore itidem tu semper in ipso es.
Quæque potest Pater, æquè eadē potes omnia ab illo:
Tantum te genuit pater amplius, ipse neque illum
Gignis, nec Pater es, sicut neque Filius ille.
Tu Patris æterni æterna atque simillima imago:
Tu Patris inuicti robur, tu dextera, & ingens
Brachium, inexhaustusque vigor, virtusque perennis:
Tu Patris æterna es sapientia cuncta videntis,
Qua maria, & terras, cœlū, æthera, cuncta creauit.
Nam Deus æthereos cùm mundi excuderet orbes,
Aëreasque plagas conflaret, cumque liquores,
Et circunfusas laticum suspenderet vndas,
Libraretque suo tellurem pondere nixam,
Inque vicem validis connecteret omnia vinclis,
Ipse aderat operi indulgens, nutu omnia firmans,
Omnia componens: sine te nihil: omnis vbique
Est per te decor, & rerum pulcherrimus ordo.
Nanque sinu Patris ipse aderas noua cuncta creātis,
Ante mare, & terras, cœli ante patentia regna,
Ante humiles colles, ante alta cacumina montes,
Fluminaque, & fontes genitus. prærupta priusquam
Fundamenta graui telluris mole locaret,
Filius extabas ante omnia sæcula natus,

Amplexúsq; Patrem æterno deuinctus amore
Gaudebas tecum, torrens vnde illa voluptas
Illa immensa fluit, gaudent quâ cuncta creata,
Quæ sensus hominũ supra est, super omnia abũdãs:
Auribus vt nemo hanc, nemo vnquam mẽte capaci
Hauserit in terris: animas ea sola beatas
Afficit æthereis exemptas corpore in oris,
Vt nihil vlterius quærant, nihil amplius optent.
Tu tamen ò nostros adiÿsti sponte labores,
Mortalésq; auras hausisti, has noctis in vmbras
Editus, humanósq; puer collectus in artus,
Verus homo, verus pariter Deus, vnus vtrunque
Nasceris, & cœli nostri non respuis oras,
Eq; sinu Patris in terras te deÿcis imas,
Solis lucis egens, cùm sis fons lucis, & ipsum
De nihilo extuderis, nullâq; è lampade Solem,
Cæteráq; illustrans cœli succenderis astra.
Nasceris, & subito aspectu cœlum omne serenas,
Editus in lucem pura de virginis aluo,
Quæ penitus thalami tactúsq; ignara virilis
Numinis afflantis sancta concepit ab aura.
Nasceris: in terris pax nascitur aurea tecum,
Pax omnem sensum exuperans, insueta voluptas.
Nasceris: vt verni species patefacta diei
Omnia lætitia perfundis, gaudia vbiq;
Plena feris: mira rorant dulcedine montes
Vndiq;, mellifluaq; redundant nectare valles
Vndiq;, fœlici distillant omnia rore.
Nam cœlum omne liquens, cœlíq; volubilis orbes

Desuper

Desuper insolitis tunc imbribus irrorarunt,
Et pluuiam nubes felici rore dedere,
Quo tellus imbri, Zephyrisq; tepentibus alma
Concepit grauis, & gremio flos ortus aperto:
Exeris os, campisq; comas diffundis apricis,
Circum suaue rubens, & circunfusa coloras
Gramina: diuinos longè rus halat odores.
Tu ros, tu pluuia, éque polo fluis aureus imber:
Expectatus ades tot sæcula ab omnibus imber:
Candida te excipiunt intactæ vellera lanæ:
Nec tamẽ excepto maduit lana humida ab imbri.
Porta æterna manet cæli alto in limine clausa,
Per quam aditus nulli penitus fuit orbis ab ortu:
Ipse sed ingrediens soli tibi sponte patentes
Isq; redisq; fores, nec claustra immota resignas,
Quale vitrum radijs penitus Sol transit adactis,
Illæsóq; domus subit interiora metallo,
Intimáq; illustrans penetralia lumine vestit.
Plurima fortè olim serpens tabo atq; veneris
Fontésq;, fluuiósq;, lacúsq; infecerat omneis:
Omnes errabat mors passim infusa per vndas.
Circum victa siti longas effusa iacebant
Per ripas armenta, genus simul omne ferarum,
Nulláq; suspectas labris arentibus vndas
Libabat quadrupes, vicináq; flumina tantùm
Spectabant verita cæcum sub gurgite virus.
Ecce ferus ceruo aßimilis caprea've fugaci,
Montis ab aërei decurrens vertice summo
Tramite decliui saltus præteruolat altos.

 Iamq;

Iamq́; fugam per plana tenens ingentia campi
Transmittit spatia, & volucri volat ocyor aura.
Conuertere oculos commota armenta repentè
Ad sonitum, atq; viam venienti abducta dedere.
Ille lacum ingrediens longo ferit æquora cornu,
Fronte quod in media solum gerit. ilicet omnis
Ad tactum subitis feruoribus æstuat vnda,
Exultantq́; vada, spumisq́; incanuit amnis.
Nec mora, prosiluere feræ simul vndiq; in vndas,
Securaq́; mali medicatum hausere liquorem.
Currite montanæ vos, huc accurrite nymphæ,
Ferte rosas: legite alipedi candentia vestro
Lilia, narcissosq́;, & purpureos hyacinthos.
Texite odoratas vario de flore coronas,
Atq; salutiferum sertis innectite cornu.
Tu noster quadrupes, cæli ô lux clara sereni:
Vertice ab æthereo tu nostræ causa salutis
Certa venis, tuáq; omne abigit præsentia virus.
Grex lectarum ouium cæsis custodibus ibat
Omnis Idumæis paßim dispersus in aruis.
In pecus omne feræ grassari impunè: fremebant
Hic illic miseris balatibus omnia circùm.
Pastor ab aduerso Carmeli vertice missus
Venisti tu cogere oues, ouiúmque mederi
Vulneribus pius, ingluuiémque inhibere luporum,
Vnius vt tandem pastor foret vnus ouilis.
Currite Idumææ vos, huc properate puellæ:
Visite pastorem nunquam ante hæc secula visum,
Cernite vt incessu grauis, vt spectabilis ore

Egre

Egregio, formáq; viros supereminet omneis,
Cuncta Deo similis, vultum, vocemq;, coloremq;,
Haud spirans mortale. Dei quantum instar in illo?
Sternite humum venienti, & olentia spargite vbiq;
Gramináq;, & flores, calátisq; occurrite plenis,
Et patrio de more nouum date gutture carmen.
Ecquis Idumæo venit ecce è tramite pastor
Transiliens colles, montana cacumina tranans,
Diuini specie iuuenis pulcherrimus oris,
Vndiq; diuinum iactans de corpore amorem?
Ecquis odorato vt thalamo nouus ecce maritus
Egrediens multo incedit sublimis honore,
Fragranti latos humeros adopertus amictu,
Atq; ipsos blando mentis exurit amore?
Omnia amant iuxta, mitescunt omnia circum.
Currite pastores, pastorem visite amantem:
Currite longinquis reges à finibus orbis.
Dona parate opibus, regúmque inuisite regem.
Sed quid ego aspicio textum illi informe rubore,
Squalentem guttis tunicam? chlamys atra colorem
Insolitum, veluti calcata duxit ab vua,
Compressiq; pedum macularunt vincla racemi.
Ah tibi quis niueos tam fœdè infecit amictus?
Ah tibi quò species euanuit illa repentè,
Qua sanctarum animæ in cœlo lætantur amorum
Alituum cælestum acies, gens æthere nata?
Túne ille æternæ splendor nitidissime lucis,
Pulcher luce magis, roseo formosior astro,
O cœli iubar, ô oriens, ô Lucifer alme

Lumine cuncta rigans, illustrans omnia luce?
Lucis vbi nunc ille nitor? tún' Phosphoörus ille,
Præbebas mundo qui lumina matutinus?
Quem quondam vario rerum ipsa in origine cantu
Laudabant celeres mundi septemplicis orbes,
Laudabant elementa, tuum admirata decorem,
Laudabant alternantes & vesper & ortus,
Lunáque, Sólque, Polóque orientia sidera vtroque.
Hei mihi Lucifero quantum mutatus ab illo es?
Hei mihi mutato quàm factus decolor ore?
Quàm niger aspectu, quàm deformatus amictu?
Quis te percoxit tantus calor? haud tibi vultus
Sol æstu infuscat: non purpura tinxit amictus.
Longè alius rubor, atque alij infecere colores.
Solus amor nostri fuit horum causa malorum,
Solus amor fusci fuit idem causa ruboris.
Vnus tu nobis collectas comprimis vuas
Suppositus trabe, mole graui, sub pondere iniquo,
Déque tuo expressi tortu fluxere liquores,
Et totum quæ vina hilarant dulcedine mundum.
Ast etiam quænam iuuenili in corpore cerno
Vulnera? quàm lata patefactum molle fenestra
Pectus hiat? plantæ quàm dira cuspide fixæ?
Ecce manus ambæ ferro quoque arantur acuto,
Vulnificisque caput redimitus sentibus horres,
Affixúsque trabi vitam heu quoque denique fundis.
Cui hominum hoc de te licuit scelus? an Deus istis
Vulneribus, mortique etiam succumbit acerba?
Ipsi tunc etiam flerunt tua funera montes,

Asperáq; saxa tuo doluerunt fissa dolore.
Ipsa parens frugum sese mœstissima Tellus
Planxit, & insolito tremuit succussa fragore,
Nec potuit lacrymas Sol dissimulare, serenam
Cùm ferrugineo faciem velauit amictu.
Ah dolor, admissi nullius conscius, insónsq;
Occidis, & pœnas aliena ob crimina pendis,
Qui neque contraxti proauitam ab origine culpam,
Nec tenui ipse tuum maculasti crimine nomen:
Nos inconcessa decerpsimus arbore poma,
Vnde omnis spes nostra absumpta, salúsq; sepulta,
Ipse tuo cunctam soluisti sanguine noxam,
Arboris affixus plantas, & brachia trunco.
Nostra tua de peste salus, de funere vita
Nostra oritur, latiq; tuo languore valemus.
Nanq; licet mortale tibi, & violabile corpus
Esset mortali vt matris de sanguine cretum,
Nulla tamen furti obstabant contagia auiti,
Antiquæ ve notæ suberant vestigia nusquam,
Quam generi princeps hominum generator inurens,
Heu genus infelix transmisit in omne nepotum.
Quandoquidem intemerata parẽs genitricis in aluo
Ipsa suæ afflanti circundata numine, labem
Vel non admisit, vel protinus eluit omnem.
Tu volucris fœta illa, tuo quæ sanguine natos
Pascis, & admoto terebras tibi pectora rostro:
Agnus eras sacer ille patri mactandus ad aram,
Victima morte obita qui nostra admissa piares,
Ablueresq; tuo nos hostia sancta cruore.

Tanta

Tanta molis erat nos cæli in regna reponi,
Vnde procul pulsi malesuadi fraude colubri,
Sedibus ignotis tot longè errauimus annos,
Pellacis colubri, hamata qui agmine cauda
Magnam etiam superûm detraxit ab æthere partẽ.
Vincis io, atq; hydro tandem obluctatus acerbo
Infernas penetras sedes, & morte subacta
Viuis adhuc vita meliore, animasq; piorum
Carcere perfracto Erebi vastator ab vmbris
Eripis, & tecum cæli alto in culmine sistis.
Tu leo promissus magni de sanguine Iudæ
Nasceris ille, malisq; venis occurrere nostris.
Vincis io, & magna vi vincula nostra refringis,
Vincula queis sibi nos addictos hostis habebat,
Atq; triumphatum compescis viribus orcum.
Quiq; modo informi letho sine honore iacebas,
Iam pulcher visu, iam formosissimus ore
Pristina diuini præ te fers signa decoris,
Atq; agis insignem repetẽs supera alta triumphum:
Qualis vbi exutus senium, nitidúsque iuuenta
Puniceis surgit Phœnix à funere plumis,
Iámque suos adit AEthiopes, Indósque reuisit,
Circa illum volucres varia comitantur euntem,
Et vario indulgent cantu, plausúq; sequuntur.
Tu lapis, informi primò quem mole iacentem
Proiecere viri, neq; eum inter læuia saxa
Miscuerunt operi mox ipsa in fronte locatus
AEdibus in summis, quà prominet angulus extrà,
Parieti vtriq; datus validis compagibus omne

Nectis

Nectis opus, totáque nites spectabilis arce.
Nec tamen hic indefensos nos deseris vnquam,
Vsq; foues præsens, & amico numine firmas,
Nósque mari in vasto tot tempestatibus arces.
Nec sinis abruptis victa rate obire procellis.
Tu pelagi velut in medio firmissima cautes,
Quam neq; conuellunt venti, neq; fluctibus vnda:
Hac super alta noua posuisti mœnia genti,
Quæ totum daret aucta tuis sub legibus orbem.
Hic adeò fessis statio tutissima nautis,
Huc, quæ sæpe mari in medio nostra ardua puppis
AEstuat insanis ventorum exercita flabris.
Se recipit, temnitq; minas & murmura ponti:
Vsq; inuicta silex te sæuis obijcis vndis:
Impetus huc omnis illisáq; frangitur vnda.
Obice quo defensa, licet vi crebra fathiscat,
Tuta tamen ponto nunquam caua mergitur alnus.
Tu nos (olim vt pollicitus) non deseris vnquam:
Tu nos de cælo præsens pascisq; tegisq;,
Sufficis æternæ tu nobis pabula vitæ.
Tu noster victus, tu nobis pabulum & esca.
Tu cælo ros concretus demitteris alto
Suauis, & optatos referens cuiq; ore sapores.
Tu nobis liquidæ emanas fons viuus aquai:
Flumine ab æthereo semper sitientia labra
Nostra rigas, largumq; in nobis efficis amnem,
Cuius rursus aquæ salit vsq; ad sidera cursu
Impetus, & superûm lætantem temperat vrbem.
Abs te omnis vis nostra oritur, vigor omnis abũdat:

Nostraq́ꝫ siqua tuo firma est in robore virtus.
Tu velut in campis latis vberrima vitis
Brachia protendens: nos ceu qui plurimus inde
Palmes agit sese, laxisq́ꝫ effundit habenis,
Et grauidus circum nitidis exuberat vuis.
Tu fortunati abstrusus thesaurus Olympi,
Aurum vbi cælicolûm, & gēmæ seruātur, & omnes
Cæli claudis opes ditissimus, atqꝫ recludis:
In nos vsque etiam mortales largus inundas:
Huc omnis pleno dimanas copia cornu.
Abs te omnis auri vis atque opulentia abundat.
Quod semel æterno longè ante exordia rerum
Manere concessit genitor tibi, conditor orbis,
Semper habes, nec cùm hîc terrenos induis artus,
Amittis quicquam decoris cælestis in æthra.
Non te adeò intacta claudebant viscera matris
In terris, vt non quoque in æthere luce micares
Idem eadem, æterno genitus sine matre parenti.
Nec minus ac prius æthereo Deus altus Olympo
Regnabas cum Patre, licet terraq́ꝫ mariq́ꝫ,
Errares hòmines inter mortalia curans,
Verus ibi, hîc verus, nec nos ludebat imago,
Et plagis cùm te obijceres morti obuius vltrò.
In te solus homo sensu tulit aspera morte,
Nec Deus est quicquam lacero tum corpore passus.
Nam diuina quidem, quæ simplex, quà ve tuentum
Reijcit aspectum, complecti nescia sensu,
Cùm natura sibi applicuit mortalia membra,
Naturāq́ꝫ hominū, haud maculas contraxit ab illis,

Nullaq́ꝫ

Nullaq; per talem admiſit contagia nexum,
Sed penitus ſeorſum pura atque intacta remanſit,
Cui nihil omnino terrenæ labis inhæſit:
Diſsimiles ſpecies naturæ vtriuſque repugnant.
Sicut vbi immundas Sol lambit lumine foſſas,
Tetra vbi proluuies graue olet cœnoq; fimoq;,
Non tamen effuſi radij dum ſordibus errant,
Infuſas ducunt ea per commercia ſordes.
Rurſum igitur ſolito pariter ſublimis honore
Regnas,humani præ te fers corporis artus
Amplius,intacta quos traxti è virgine naſcens
Filius omnipotens Patris omnipotentis & hæres.
Sed quod erat mortale olim & violabile corpus,
Nunc immune necis ſtellas ſuper emicat omnes,
Præfulgensq; nouo premit ipſum lumine Solem,
Quaq; tuos anima acceſsit diuinitus artus,
Formari inciperes ſanctæ cùm matris in aluo,
Numinis inſolito tecum dignatur honore,
Feliceſq; animas longè ſupereminet omneis,
Tecum vnà imperium cæli omnipotentis adepta.
Nanque tibi,quæcunq; vſquam potis eſſe,poteſtas
Omnis vbique data eſt cælo,terraq;,mariq;,
Omnia vt æterna ditione in ſecula frænes.
Inſuper inſigni es genitoris munere adeptus
Præclarum,& dictis non enarrabile nomen,
Inſolitum euectum ſuper omnia nomina nomen,
Quod cælum,tellusq; tremunt,atque infera regna,
Suppliciterq; vni genua accuruantur vbique.
Idem etiam effœtorum venerit vltima mundo
Temp

Tempestas, rapidis qua flagrent omnia flammis,
Mortales iterum missu genitoris in oras
Adueniens, hominum vt vitas & crimina quæras,
Pro meritisq; voces ad pœnam & præmia quenq;,
Te genus humanum aspiciet fulgere per auras
Aëreas fulua in nebula, quem mille sequentur
Sanctorum hinc atq; hinc acies, cœtusq; volucrum.
Quattuor ære cauo ventos de partibus orbis
Omnibus humanum genus huc excire iubebis.
Omnibus innumeræ gentes à finibus ibunt
Magnum ad concilium, non tantum corpora viua,
Verumetiam quondam defuncta cadauera vita,
Ossaq; ab exesis surgent rediuiua sepulcris,
Atq; iterum blanda data inibunt limina lucis.
Mille hominū hinc, illinc acies, nouaq; agmina vbiq;
Occurrent tibi per volucres aliqui aëris auras.
Interea magni simulator iudicis hostis
Seditione potens multos sub imagine falsa
Ludet, & abductos recto sub signa vocabit,
Atq; tibi infestas contrarius instruet alas.
Quem verus mundi pro talibus arbiter ausis
Turbine corripiens terræ ima in viscera condes.
Vt verò genus humanum tot millia campis
Institerint latis, victor medio ipse theatro
Secernes, dextráq; pios in parte locabis:
Læta gregem ceu pastor agens in pascua, mites
Matutinus oues semper seiungit ab hœdis.
Læua autem coges sontes, miserabile vulgus.
Tum cælum quoq; signa dabit: tum cardine rupto

Axis

Axis vterq; loco absiliet, stellaq́; ferentur
AEthere præcipites: tum Sol ferrugine tectus
Protinus amissa ceu mœrens luce latebit,
Lunaq́; obisse suum mirabitur obruta lumen.
Omnia noctescent tenebris caliginis atra.
Tum flammæ vltrices, vibrataq́; fulgura cælo
Corripient subitis mortalia cuncta fauillis.
Ardebunt fontes, ardebunt flumina, & alta
AEquora, flammescétq; auris candentibus aër,
Et veter extremos considet mundus in ignes.
Tum cælo lignum venerabile sideris instar
Fulgebit, nostræ monimentum insigne salutis,
AEthere mixta comas ramis felicibus arbos.
A læua sontes, & quos scelera impia damnant,
Ibunt infernos Erebi flammantis in ignes,
Omnes, vt sua quenq; prement commissa, cremādi.
Dextra autem insontes, quorúmue oblita piacla,
Digrediens terris tecum ad tua regna vocabis,
Felicem quenq; in sedem, quam cuique parauit
Protinus à prima Pater æquus origine rerum,
Insigniq́; vehes victor super astra triumpho.
Salue vera Dei Soboles, rex ætheris idem,
Bis genite, humani generis certissima vbiq;
Spes, atq; indubitata salus, lux aurea mundi,
Nobiscum Deus, interpres superûmq́;, hominumq́;:
Tu capitis nostri gemmis contexta corona,
Ipsum tu caput, & decus omne, & gloria nostra:
Tu rex, tu nostri dux agminis inclytus ille,
Quem metuunt inferna acies, gens æthere pulsa.

Tu custos vigil, & magni tu pastor ouilis:
Tu medica arte potẽs, qui vulnera nostra mederis:
Tu via, tu veri vis, tu te vita secutis.
Tu nostri fundamentum templi, atque columna,
Templum ipsum, & cælo contermina vertice turris,
Pérque gradus ara assurgens, aráq; sacerdos:
Ianua tu, ac reserans cæli penetralia vectis:
Tu ratis & portus, tu lex, tu legifer ipse:
Tu folia euoluis signato in codice clausa,
Abstrusásque notas, septenáque claustra resignas:
Tu nobis nostra auersum ob commissa parentem,
Et mala pro meritis cuiq; haud toleranda parãtem,
Concilias bonus, atque tua pro gente precando
Vsque assurgenti te cominus obijcis iræ,
Vulneráque obtẽdis, quæ quondam es corpore passus
Deditus, & laceros pro nobis detegis artus.
Tu Patris admotus dextræ, subnixus eodem
In Solio immensum consorti numine mundum,
Maiestate eadem, paribus frænatis habenis,
Omnia perpetuo afflantes recreatis amore:
Omnia concordi reparatis sæcula nutu.
A genitore fluit per te vis omnis amoris,
Mutua quo inter sese & amant redamántque beati
Cælicolæ, inq; vicem mortales. spiritus ille
Qui mare, qui terras, qui cælum numine complet,
Vobiscum Deus ipse etiam, tres ordine certo
Numen idem, tres tergemino Deus vnus honore,
Maximus, optimus, omnipotens in sæcula regnas.

SPIRITVI SANCTO
DEO OPT. MAX.

AN Deus in nobis? quid nos mortalibus oris
Seuocat, ô, nostrásque rapit super æthera mentes?
Non ea vis opis humanæ, non pectoris huius:
Desuper extimulat numen: Deus insidet ipse,
Intus agit Deus, & nostro se pectore versat.
Hoc duce mortales fines transcendimus aptis,
Cognatisq; animis cælo supera alta tenentes.
Hoc sine prostratiq; solo, in tenebrisq; voluti
Iactamur, nec mens nobis ignobilis altum
Quicquã agitat. quicquid recti sanctiq; mouemus,
Hoc manat de fonte: boni hinc fluit omnis origo.
Hoc de sole oritur lux, hoc de lumine lumen
Quo fruimur, quo nos supra nos tollimus acti:
Hoc vno afflati præcordia ab igne calemus.
Si nunc ille meis sese implicet ossibus ignis
Plurimus, & sancto me cæli incendat amore:
Si lux illa meis oculis se lumine largo
Explicet, & nubem de pectore differat atram,
Quo me tollere humo valeam, & sublimia cæli
Rimari, quò fas acie sit cernere coràm,
Vnde ea vis ipsa, vnde calor, quo fonte redundet
Indeprensus amor, qui tanti luminis ortus.
Si mihi nunc ipsum referet se denique numen,
Séq; suumq; initum, primúmq; ab origine fontem.
Fallor? an ille ruit calor? ecce mihi artubus ardor

Ingruit. ante oculos lux en mihi plurima oberrat.
Vnde noua hæc species? Vnde hæc tam clara repentè
Tempestas? iam tollor humo, iam plurima nubes
Rarescit, soluitq́; aciem, tenebræq́; dehiscunt.
Iam videor (liceat dictis res pandere opertas,
Quisquis es, ore tuum sit fas recludere numen)
Iam videor, qua sidereæ plaga lucida cœli,
Vera vbi pax, vbi summa quies, vbi plena voluptas,
Cernere sublustri non enarrabile lumen
In nebula, immensum radijs quæ circuit orbem.
Luminis in medio regem ipsum ardentis Olympi
Ingentem, immensum, miro splendore prementem
Omnia, & humanos stringentem lumine visus.
Omnia maiestas replet, omnia gloria obumbrat.
Propter eum sedet en Gnatus Patris vnica proles
Aeterni æternus, pariter sine stirpe, sine vllo
Semine, principióque carens, & temporis exors:
Quem pater vsque alta se in semet mente reflectens
Ipsæ suæ æternum concepit imaginis instar,
Arcanum ceu sub tacito nos pectore verbum
Concipimus, quod mox linguaq́; sonóq́; receptum
In vocem formetur, & extra rumpat in auras.
Ambobus par maiestas, par gloria, & vnum
Numē idēq́; quod est Genitor, pariter quoq́; Natus,
Vnum ambo, æternus pariter, immensus vterque,
Omnipotens & vterque, orbis fabricator vterque.
Nil Patris sine, nil Nati sine numine cretum.
Ecce autem vlterius quis tanti luminis ardor?
Mira oculis mihi se facies nutantibus offert.

Hic ego totum aciem cuperem me vertere in ipſam.
Indq́; oculos,tenuemq́; in mentis ſimplicis auram,
Res incomprenſas ſenſu quò cernere poſſem.
Quis porrò tantis radijs globus igneus ille
Circuitu longo amplexus cæli aurea templa?
Vt procul abſiliunt flammæ hinc atque inde coruſcæ,
Vt porrò abſiſtunt ſcintillæ,vt & ignis anhelat,
Et facibus crebrò emiſſus fluit aureus imber?
Quàm placida mihi demulcet præcordia flamma?
Quàm mira mihi pertentat dulcedine pectus?
Aut me animus fallit,mentémque inſomnia ludūt,
Aut domus hæc ſancti fornaxq́; & fomes amoris.
Huc omnis conflàtus amor,conflata vbi ptas
Omnis,& ex omni conceſſit gratia cælo.
Nam quis tertius ille micat qui propter vtrunque,
A Genitore fluens per Natum numine iuncto?
In medijs vix apparet ſplendoribus aurea
Nube,mea prohibet quæ lumina circunfuſus.
Quàm ſimilis parq́; ambobus ? quā numine cōpar?
Hic Deus, hic(ni fallor) adeſt quem denìq; quæro,
Quem ſequor,humanà quem tendo expromere voce,
Implentem maria,& terras,cælìq́; profunda
Numine,& ampliuaga recreantem protinus aura,
Non factum genitúmve, nec vllo auctore creatum:
Profluit ecce Patris Gnatiq́; è numine eodem
Numen idem,ſemétque ideo procedit ab ipſo
Numen idem,calor omnipotens,diffuſilis aura,
Perpetuò itq́; reditq́; reciproca,mutuus amor,
Amborum communis amor:hic aureus ille

Halitus: hic Deus ille, hic amor, quo cuncta creata,
Omnia quo constant, quiq; omnia condita seruat,
Et maria, & terras, aurásque, & sidera cæli,
Atque homines, & quæ sub cælo animantia viuũt,
Quadrupedũ genus, & volucrũ, vitásq; natantum,
Gramináque, & stirpes, animáque carentia saxa,
Erutáque effossa tandem tellure metalla:
Omnia quæ in nihilum redeant collapsa repentè,
Sustentata forent nisi tanti numinis aura.
Hic amor est quo mortales regnator Olympi
Prosequitur bonus: hic idem quo nos quoque contrà
Grati illum ardemus, quo se superique hominésque
Mutua amant inter sese pietate fouentes.
Hic amor est cæli, terrarum hæc mutua flamma,
Cuncta fouẽs, nodúsq; tenax, & amabile vinclum,
Cælestum vis magna, Dei immemorabile donum.
Hinc omnis pietas, hinc omnis denique virtus,
Aura potens, amor ignipotens, spirabile numen,
Spiritus ipse tui apparent vestigia vbique
Numinis ãpla, tuũ est quodcũq; vbicũq; videmus.
Tu Patris æterni virtus, tu dextera, & ipsi
Tu digiti quibus immensum fabricauit Olympum
Rerum Opifex quibus ingentem per inania librat,
Et circunfuso suspendit in aëre molem,
Cuncta tuis elementa ligans contraria vinclis,
Muneribúsque tuis passim plena omnia abundant.
Cùm Pater omnipotens cum Nato immania mũdi
Mœnia constituens cæli procuderet orbes,
Tertius ipse aderas, (neq; enim distractus ab illis)

Omnia

Omnia componens. iam tum aurea luce coruſcus,
Summa æquitans lauibus mulcebas æquora flabris,
Iam tum purgatus liquentem fluctibus vndam
Flamine luſtraſti, quæ dehinc mortalibus ægris
Elueret prima contractam ab origine labem,
Vnde ſalus animis proauita fraude ſepultis.
Inde rudes illi prima illa à ſtirpe parentes
Terrarum obliti cœpere ad ſidera mentes
Tollere, mortalémque hominem deſueſcere, puro
Pectore concepto per te iam deſuper igni,
Et peragrare acie cæli ſublimia templa,
Admiſsi ſuperæ depaſci lumina lucis,
Vimq; Dei paulatim animus ſentire latentis
Occultam, ingentem, tum veri pectore pleno
Cernere venturos caſus, longéque remotos
Veridica populis porrò prædicere voce.
Hinc ſacri tripodes, hinc ſancta oracula diuûm,
Hinc Solymi vates numeris arcana locuti,
Carmináque ediderunt diæ præſaga Sibylla.
Idem à ſtirpe feros, & duro pectore agreſtes
Erudiens ſubito egregias diuinitus arteis,
Inſtruis, atque loqui docto das ore repentè,
Et cauſas orare, & ſanctas condere leges.
Nam genus humanum terris extollere ab imis
Ad cæli iubar, & ſuperis adiungere tendis,
Nubiferóque vehis nos aëre in æthera purum,
Nec quiſquam ſanctis excluditur ætheris oris
Aut fato aduerſo, aut alicuius numinis ira,
Debitus æternis mundi ante exordia pœnis.

Cùm primùm dias exorti luminis oras
Vi∫imus antiqua ∫uffu∫i labe parentis,
Qui ∫e∫eq́ ∫uumq́ genus corrupit in æuum,
Immemor heu nimium promi∫si fœdere pacti,
Indecores cælo vix lumina tollimus ægrè,
Pro∫tratiq́ ∫olo ∫ine ∫pe, ∫ine honore iacemus
Tran∫cripti infernis Erebi po∫t funera flammis:
V∫queadeo veteris ∫erpunt contagia noxæ.
Tu verò no∫tris vbi ∫en∫ibus a∫pirare
Incipis, auxilioq́ venis fera corda mouendo,
Admoniti incipimus paulatim agno∫cere rerum
Auctorem, regemq́ hominum ∫uperùmq́ fatentes
Oramus nobis facilem, veterumq́ malorum
Nos piget, & vitæ execramur facta prioris.
Iā magis atq; magis (neq; enim tu de∫i∫is v∫quam)
Spe veniæ haud dubia audemus cōfidere rebus,
Iamq́ iuuat quæcunque iubent oracula legésque
Explorare animis, & iu∫∫a cape∫simus vltrò.
Continuò ne ∫int nobis facis abdita fraudi
No∫tra admi∫∫a tegens, & crimina noxia deles
Imbre tuo, veterúmque malorum obliuia mi∫ces,
Atq; nouam in nobis mentem, noua corda renatis
Sufficis, ab∫ter∫áque nitent noua cuncta ∫cnecta,
Et ∫imul optato mentes ∫uccendis amore,
Quo cælo placiti, quo digni euadimus a∫tris.
Hoc ∫uperùm Pater in∫igni nos munere donat
Sponte ∫ua bonus, haud no∫tra pietate merentes.
Non opis id no∫træ, non nobis tanta facultas,
Ni Pater omnipotens ad cari vulnera Nati

Respiceret, qui morte obita mala nostra piauit,
Humanúmque suo lauit genus omne cruore.
Inde salus, operum inde omnis fiducia nostrûm.
Nequa tamen prisca subsint vestigia labis,
Sponte caput sacris de more immergimus vndis,
Præsenti quas illustras tu numine præsens,
Et veluti instillas vitam hoc sub gurgite mersis:
Vnde renidescunt animæ, velut æra corusca
Detersa prorsus prisca rubigine scabra.
His opibus firmati animi, his radicibus acti
Tollunt se, in meliúsque suis quoque viribus vsi
Crescunt, & superas per se nituntur ad auras,
Dum pietate sua meriti post funera cælum
Concilio Superûm atque æterna pace fruantur.
Hæc promissa pijs animis vberrima merces,
Præmia tanta manent tam paruo parta labore.
Te sine nil tamen audemus, nil possumus ipsi,
Et benefacta parum valeant sine numinis aura
Nostra tui. non tantùm animos impellere nostros
Incipis è tenebris reuocans in lumen apertum
Sponte tua, haud meritis nostris (à te omnis opũ vis
Nostra oritur: nostri tu fons & causa vigoris)
Verùmetiam mox ipse iuuas comes additus vsque,
Fortunásque tua nostros virtute labores.
Ac veluti arescant herbæ, siluæq; comantes
Intereant, nisi mater alens radicibus imis
Sufficiat vires occultáque pabula Tellus:
Sic noster sine te vigor & vis desinat omnis
Hausta citò, incassúmque fluant sine fruge labores.

Mille animis ſeſe obijciunt diſcrimina noſtris:
Mille nocent peſtes, occultúsque imminet hoſtis
Semper, & egregijs hominum inuidet additus orſis.
Quot ſcelerum facies, tot nobis retia tendit,
Tot laqueos. quis enim queat hos euadere caſſes?
Aſt vbi noctipotens manus haud ignara nocendi
Incautos petit inferno ſummiſſa barathro,
Lucifugæ peſtes, tetræ ſine corpore vitæ,
Intentántque dolos, nobísque illudere doctæ
Nituntur recto captas abducere menteis.
Ilicet ipſe ades, & medio in certamine feſſis
Affulges, retegiſq; dolos, atque irrita frangis
Tentamenta, tuóque magis nos numine firmas.
Omnibus auxilio es, ſatis omnibus vnus vbiq;
Diditus, & gentes paſsim diffuſus in omnes.
Nec quenquam tu muneribus bonus eximis vltro
Ipſe tuis, omnes inuitas, allicis omnes,
Omnibus incutiens blandum in præcordia amorem.
Infelix qui te non audit crebra vocantem,
Pulſantemq; diu: duro ſed corde reluctans,
Sed tua iuſſa negans clauſas dimittere in aures,
Ah miſer oblato ſeſe ſubducit amori,
Ipſe ſuis obſtansq; bonis, lucemq; peroſus.
Quò monitus te quiſq; libentius audit, eo illi
Semper ades, propiorq;, & numine largius imples.
Et cui tu ſemel indulges, non deſeris vnquam,
Seſe ſponte ſui niſi deſerat immemor ipſe:
Heu nimium infelix, ab ſemet proditus ipſo.
Nam ſimul atq; animus maculis ſe inficit, aberrãs

Curric

Curriculo huc illuc palanti corde, relictis
Limitibus, Superûm ac recti contemptor, & illex.
Continuò fugis, ac polluta ab sede recedis.
Persentit miser ille tuum euanescere numen,
Omniaq́ in peius ruere, & retrò acta referri,
Et magis ac magis vsq; obtusa rigescere corda.
Qui modò sidereo tendebat lumina cælo,
Arrectus penetrans acie sublimia Olympi,
Colloquioq́ fruens Superûm: nunc obsitus vmbris
Obscuris, atq; ora solo teterrima pressus
Serpit humi, in cœnoq́ graui sine honore volutat.
Cunctaq́ se circum tenebris noctescere cernit.
Qualis qui modò conspectis tendebat in armis
Actus equo, prima signans intorsa iuuenta
Ora puer, forma ante alios pulcherrimus omnes,
Si, cùm primùm castra subit, fortè acta sagitta
Hostis ab aggeribus candentia pectora fixit,
Voluitur: ora modis tabescunt pallida miris:
Labitur omnis honos, fugit omnis gloria formæ:
Et modò qui toto spirabat corpore amorem,
Nunc grauis aspectu est, aurasq́ incestat odore:
Sic animus te præsenti nitidissimus olim,
Te fugiente, situ ac tenebris inuoluitur atris
Decolor, atq; omni formæ spoliatus honore.
Sic olim qui matutini sideris instar
Larga ministrabat radianti lumina cælo,
Lucifer ille chori caput altis & iubar, alto
Excussus cælo lucemq́ exutus in ima
Coniecit sese, & nigris immiscuit vmbris.

Fortu

Fortunatus & ille, Dei quem Filius olim
Vnicus in partem regni sortémque locarat,
Bis senos inter proceres lectißimus ibat:
Verùm sponte sua deiectus culmine tanto,
In præceps ruit abs tete sine luce relictus.
Tanta tui immemorem ceperunt tædia amoris.
Non tamen vt primùm te quisque auertitur, illum
Deseris omnino longa irreuocabilis ira:
Sed longè obseruas, tendat quocunque secutus,
Atq; iterum atq; iterũ mulces, nec deficis vnquam.
At veluti genitrix puerum qui plurima fugit
Conscius ob malefacta domi, seq; abdidit altis
In siluis, nunc huc errans, nunc auius illuc,
Prosequitur pia, & incassum vestigia ponè
Obseruata legit: precibus nunc allicit illum,
Nunc commota minas addit, si fortè latescens
Audiat, & voces incertas irrita iactat.
Quàm metuit néue esca feræ, neu præda latroni
Incomitatus eat, torrentisue incidat vndis?
Haud secus, auersa siquis te mente reliquit,
(Ah miser) oblitúsque sui, ingratúsque salutis,
Prosequeris, rursúsque vocas, rursúsque remulces
Auersum, inuitúmque trahis: si fortè vocatus
Audijt, indolutq; admißis crimina fassus,
Lustratúsque sacerdoti commissa piauit:
Protinus insinuas illi te, iterúmque reuisis,
Sopitósque iuuat rursus succendere sensus,
Fœderáque ablutis maculis in prima reponis,
Nec semel id satis: at quoties te auertitur ille,

Te

Te toties vltro auerso placabilis offers.
Est venia locus vsque, & habent peccata regressum,
Nec requies, donec vita labentibus annis
Vltima cuique dies moribundi aduenerit aui.
Tantus amor nostri, tanta custodia curæ.
Fortunatam animam, macula cui contigit omni
Detersa afflari tam sancta desuper aura,
Cui datur incendi tam sancto desuper igni,
Semper & in dulci flagrando viuere flamma.
Illa Deum, Deus illam vltrò bonus ardet, amantiq́;
Indulgens vltrò dulcem respondet amorem.
Quicquid agit, fluit insolita dulcedine amoris.
Semper amat tecum, dulciq́; in amore quiescit.
Tota in amore, parum curans mortalia, fixa est.
Nec potis est ipsum tam sanctum numen amare,
Quin quoque mortales iuncto simul ardeat igni.
Ante alios tamen ò felices, térque beatos,
Atque quater, grauida qui te genitricis in aluo
Hauserunt, neque dehinc in dulces luminis oras
Exorti excussere tuum de pectore numen,
Sed culpæ exortes, & vita puriter acta
Seruauere tuum intacti sub funere munus.
Id paucis concessum autèm, quos æquus amasti,
Et quibus eximia indulsisti numinis aura:
Non tamen excepto diuini corpore nati,
Te tam præsenti quisquam vnquã numine passus,
Quàm quondam Iudæa genus, pulcherrima virgo,
Quæ Superûm puro concepit ab æthere regem
Semine de nullo, nullis temerata hymenæis.

Nunc

Munere tu solus functus thalamiq́ue, thoriq́ue,
Virgineam implesti fœcundis flatibus aluum.
Huc omnis vis, huc æstus profluxit amoris,
Eruptiq́ue ingens totis fornacibus ignis.
Quo verò aggrediar post matrem carmine, quãto
Numine, quàm largo torrente vndaueris ipsos
In partus, mecum hic fandi vis victa laborat,
Verbaq́ue res superat, maioraq́ue viribus audeo,
Ardua, inaccessa, & nulli concessa priorum.
Quanto animus, qui numen erat, flagrasse putãdus
Igne intus, toto cùm dulcem corpore amorem
Iactaret: quacunque viam spectabilis ibat,
Huc, illuc circum ora ferens gratissima cælo,
Omnia inundabant mira dulcedine, amabant
Omnia, non ipsi montes ardere vacabant,
Vsque adeo occultos afflabas sensibus ignes,
Et latos membris haud vlli visus honores.
Olim etiam apparens oculis mortalibus, olli
Luce palam, cunctisq́ue videntibus affulsisti
Præpetis in faciem collectus, & alba columba
Ora gerens, mira de cælo voce secuta.
Post iterum te mortales mortalibus ægri
Conspexere oculis manifesto numine ferri
Cum sonitu cælo illapsum sub imagine flammæ
Multifidæ, linguis veluti vibrantibus aureis,
Terrificisq́ue locum implesti splendoribus omnem.
Filius omnipotens Patris omnipotentis vt olim
Pollicitus fore sidereas rediturus ad arces,
Vt pro se in terris sua deinceps munera obires,

Nec

Nec nos in tenebris volui paterere relictos.
Protinus ecce viri calefacti numinis igni,
Qui modò morte ducis prostrati cuncta timebant
In latebris, nunc intrepidi mira ore loquuntur,
Mira sonant: varias linguis, longeq; remotas
Inter se gentes imitantur munere vocis,
Vno eodemq; sono diuerso more locuti.
Agnoscunt populi patria commercia lingua,
Verbaq; quisq; sua, atq; eadem discrimina vocum:
Quiq; modo indociles vitam piscosa secundum
Flumina venatu tenui sine more trahebant,
Edocti nunc mira canunt pracepta per vrbes:
Continuò penetrant aulas & limina regum,
Contra stare ausi soliorum edicta superba,
Bis seniq; hominum genus id, te præside freti
Extincti ducis, ac deuicta à morte reducti
Nobile per gentes omneis vexere trophæum,
Et factum egregium totum sparsere per orbem.
Inde alij atq; alij tanto pro nomine vitas
Effudere alacres, in aperta pericula euntes.
Atq; ita terrarum totius protinus orbis
Tam varias linguis gentes, quàm moribus omnes
Iunxisti, vt populus ijsdem sub legibus vnus
Extemplò fieret, studijsq; & amore coirent.
Hac homines tu pace ligas, ijs nexibus vnum
Efficis, & vinclo nectis fera corda tenaci.
Infelix domus illa, vrbes cælestibus illæ
Inuisæ, quas igne tuo non plurimus afflas.
Tu placidam per corda feris mortalia pacem,

Blan

Blandáque mortali præbes solatia vitæ,
Lætitia ingentem perfundens vndique mundum,
Per te odia & lites, per te fera bella quiescunt.
Tu pacem regésque inter, populúmque patrésque
Concilias: das te in mediũ, & sacra fœdera sancis.
Tu thalamos socias, noua tu connubia iungis,
Quæq́; homines pacta inter se conuẽtáque firmant,
Ipse ligas, propria vt maneant compagibus arctis.
Quodcunque incipimus recti, quodcũque paramus,
Aspicis, & cursu medio nostra orsa secundas:
Nec quicquam ordimur nisi nomine rite vocato
Antè tuo, stratiq́; solo genibûsque voluti
Auxilium, atque tui flammã imploramus amoris.
Ipse venis: tu pectoribus mala gaudia nostris
Excutis, abstergisque animos, purósque reuisis,
Et nos largus opum dono septemplice lætos
Insignis, nostrásque vehis super æthera mentes.
Tu matutinus, tu vespertinus, & imber
Aureus ille venis cælo, sitientia corda
Nostra rigans, lætisq́; feracia frugibus exples.
Cùm sese obiecit nobis res dura repentè,
Hæremúsque diu ancipites, animisq́; labantes
In tenebris versamur, ades lux protinus, & nos
Instruis, ac mentem pulsa caligine lustras.
Nec cunctaris vbi tristis præcodia mœror
Nostra premit: solator ades, dulcémque profundis
Lætitiam mœstis, & gaudia mentibus affers,
Terrorésque animis arces, & numine amico
Pectora demulcens pulsa formidine firmas.

Insup

Insuper & nobis quæcunque vbicunque pericla
Obijciunt sese, nusquam nos deseris ipse,
Nusquam abes, & duce te casus euadimus omnes.
Salue hominum pax & requies, diuina voluptas:
Huc ades, atque tuum populis innecte calorem.
Siquando validis hominum fera pectora flammis
Flagrasti, & rapidis feruoribus indulsisti,
Nunc opus igne tuo, nostras succende medullas
Acrius, & totus nobis incumbe caminis.
Aspice mortales quàm densa nube premantur,
Aut quibus in tenebris iaceant, quo frigore segnes
Algescant animi priscæ pietatis inanes.
Incipiant flammis desueta calescere corda,
Et cælum aspicere, & iucundum cernere lumen,
Exutiq; dolos recti accendantur amore,
Rursus, & ad priscas referant se moribus arteis.
Præcipuè tamen obscura caligine mersa,
Quæ sanctum euersis Germania numen ab aris
Expulit, & cælum sceleratis prouocat armis,
Luce tua verum agnoscat lustrata, nec vltrà
Sæuiat, at veteri pietate resuscitet ætas,
Vnaq; nobiscum sit ei sententia concors.
Quòd si sponte tuis stimulis parere recusat,
Et lucem refugit, furijsq; insistit in ijsdem,
Sit nostros saltem reges diuinitus inter
Iam iam aliquis pariter pietate insignis & armis,
Cui largo infundas diuinum numine robur,
Atque habilem pariter membrisq; animisq; vigorē.
Quo sese præstans animi, patiensq; laborum

Audeat indomitis vrgenti opponere bello,
Atque armis petere, atque malo ad meliora vocare,
Ac ferro latè serpentem excindere pestem.
Vt coëant animi, & studijs communibus acta
Nobiscum tendat gens effera, sentiat vnum.
Siqua tamen lapsis contagia moribus obstant,
Et uetus in nobis uirtus elanguit illa,
Illa, prior qua fama ætas super æthera adibat,
Irrepsitq; situs deiectis legibus ater,
Rursus nostra tua recalescant pectora flamma,
Huc iace sancte tuis tedam è fornacibus vnam,
Quæ totum accendat sanctis ardoribus orbem.
Nos primùm pete, qui in sedem conuenimus vnam,
Saxa vbi depressum condunt prærupta Tridentum,
Hinc atq; hinc varijs acciti è sedibus orbis,
Vt studijs iuncti, atq; animis concordibus vnà
Tendamus duce te freti succurrere lapsis
Legibus, & versos reuocare in pristina mores,
Teq; ideo cœtu celebramus, & ore ciemus,
Sancte veni, penitus te mentibus insere nostris
Aura potens, amor omnipotẽs, cæli aurea flamma.

IESV CHRISTO OPT. MAX.

ET solus latè locus est, & fletibus aptus,
Et redijt, qua non mœstior vlla, dies.
Ipsi etiam montes, densæ hac in rupe cupressi
Ipsa etiam querulo vertice flere iubent.
Tunc etiam silices durum sensere dolorem,

Et

Et rupti ingenti dissiluere sono.
Tunc etiam, sed iam erumpit mihi pectore fletus,
Et lacrymas oculi fluminis instar agunt.
Flere iuuet saltem, lacrymisq; explere dolorem,
Quando aliud nil est quod tibi persoluam:
Mutua nec satis est, vitamq; rependere vita,
O qui nostra tuo funere damna leuas.
Nos Patris æterni nostra irritauimus iras
Fraude, cruore tuo tu probra nostra lauas.
Nos dulces vetita decerpsimus arbore fœtus,
Distentus dira tu trabe furta luis.
O nimiùm nostros nimiùm miserate labores,
O nostri nimiùm, nil memor ipse tui.
Non genus humanum, non mundi machina tanti,
Non tanto merces digna labore fuit.
Scilicet æterni proles æterna parentis
Factus homo, sontes ne moriamur obis?
Quem Pater ipse sui, sine origine, concipit instar,
Dum sese æterno cogitat vsque animo.
Me miserum, quæ te pietas, pulcherrime rerum,
Tam noua, qui quæso, tam nouus egit amor?
Ah sat erat te sidereis de sedibus actum
Tædia virginei longa tulisse vteri,
Aut hinc mortales eductum in luminis auras,
Cum pecore, agresti delituisse casa,
Inde vagum huc illuc nostros adisse labores,
Dum mundum ad leges & noua iura vocas:
Neve ignominias memorē, aut quæ plurima inultus
Passus es indigno corpore ludibria.

Hei mihi non auibus ve feris ve cubilia desunt,
At rerum auctori desit vbique locus.
Sola fuit tibi quæ nodosis roboribus crux
Heu nimium durum præbuit hospitium.
Hæc fuerat seruis pœna olim, hæc furibus æqua,
Quos tecum cerno mortem obijsse parem.
Quæ tam dira manus? quæ nam tam barbara porrò
Gens, tantum obtusis sensibus ausa nefas?
Quò ruitis miseri? qui tantus mentibus error
Insidet? in vestrum tenditis exitium.
Me potius, meme qui feci hoc perdite ligno,
Hic nihil admisit: fraus mea, furta mea.
Téne ita cum duris pendère latronibus, omnis
Vitai cursus cui sine labe fuit?
Qui neque contactu intemeratæ virginis alui
Contraxti antiquæ signa luenda notæ.
Sed Genitrix pura cæli concepit ab aura,
Nec potuit facies dissimulare genus.
Vt sileam benefacta, tot & miracula rerum,
Quæ non humana perficiuntur ope,
Insigni poteras forma, & iuuenilibus annis
Immissæ pectus reddere molle feræ.
Pulcher luce magis, vel sidere matutino,
Oceanus liquidis quod modò lauit aquis.
Sed quē hic te aspicio? hæc facies tuáne illa serena?
Hinc oculi? hic roseo gratus in ore color?
Atqueane hæc menti lanugo? hoc verticis aurum
Propexum? hic toto corpore priscus honos?
Quà modò cunque ibas, blandi noua semina amoris
Iactab

Iactabas, dulci in ore sebebat amor.
Húncne ego conspicio te formosissime rerum?
Heu color, heu species quàm tua facta alia!
Squalidula vt facis, vt lassula lumina iiuent.
Languidula vt ceruix, mortua vt ora iacent.
Non ea cæsaries, concretaq; sanguine barba,
Non est is planè qui modò vultus erat.
Serta tamen capiti, regisq; insignia cerno,
Sed quæ vulnificis sentibus hirta rigent.
Et pictum video corpus iuuenile rubore,
Sed quem haustus flagris sparsit vbique cruor.
Ne palmas morer, aut terebratas cuspide plantas,
Hei mihi, quàm latum pectore vulnus hiat?
Quod tulit as, quæ nam hasta tuo intepuisse cruore?
Nec tum æs deliquit? nec fuit hasta cinis?
Cùm Sol ipse caput nitidum abditus obscurarit,
Et vasto Tellus sit tremefacta sinu?
Debueras Sol æterna ferrugine cælum
Occulere, & terris vsque negare diem.
Debueras Tellus æterno percita motu
Collabi, humano haud vltrà adeunda pedi.
At vos monstriferi quid tunc ò barbara ponti
Condita desertis æquora littoribus?
Quæ vos quæ tenuere mora? quibus abdita claustris
Hic nulla effusis signa dedistis aquis?
Vos tum diluuio mersas absumere terras
Æquum erat, atq; hominū fluctu abolere gen⁹.
Nam quid enim cælum, atq; vltores ætheris ignes
Flebilibus precer hic in mea vota modis,

Cùm Pater & cæli, rapidi moderator & ignis,
Qui poterat flammis omnia diluere,
Ipse suum Gnatum pro nobis iusserit vltrò
Supplicium infandæ morte subire trabis?
Agnus eras sacer ille, sacram mactandus ad aram
Pro nobis æterno hostia sacra Patri.
Fixum erat id cælo, nulla pote mole moueri:
Nil Sol, nil Tellus, nil maria alta iuuent.
Tu quoque te nostræ es largitus sponte saluti,
Et tibi pro cunctis dulce obijsse fuit.
Atque ideo orabas moriens veniam hostibus ipsis,
Ne foret hoc illi munus inane tuum.
Hoc quoque nos fruimur, grato sed amore dolemus,
Et memores tumulo soluimus exequias.
(Tu tamen exutus, quæ morti obnoxia, viuo
Sedibus æthereis corpore sceptra tenes:
Venturus nostr.us extremo tempore noxas
Quæsitum, cùm res funditus igne ruent.
Aspice nunc bonus, & dignos nos effice quos tunc
Exemptos pœnis in tua regna vehas.

IN EVCHARISTIAM.

THura pij date thura: volet vapor ater ad auras:
Suppliciter genibus nixi aduoluamur ad arã.
Numen inest, magni præsentia numinis instat:
Christus adest, veroq; animis se corpore nostris
Terrenam in speciem, vescis sub frugibus offert,
Mortalesq; fugit crusti sub imagine visus.
At verò, quod non oculi sensusq; capessunt.

Obtusi

Obtusi comprensum, animi vis viuida sentit
Interius, pulsaq́ue fides caligine monstrat
Indubitata, Dei ex ipsius vocibus orta.
Quod neque percipiant animi, nisi luminis aura
Diuini euecti extulerint se nubila supra,
Oblitiq́ue hominem penitus, cælestibus apti.
Ergo age prisca fides nostro succurre labori:
Quod renuunt sensus, ratio quod nostra refutat,
Ipsa doce, in tenebrisq́ue tua nos erige luce
Illustrans, certa dum relligione parentum,
Annua sacra ferunt ciues, tantoq́ue paratu
Intenduntq́ue vias, & textis compita inumbrant,
Hostia qua festam ducenda est sancta per vrbem
Ordine flammarum longo, pompaq́ue frequenti,
Nos quoque solennem læti comitemur honorem:
Flore nouo spargamus humum, fundamus odores,
Veris opes, varias, interq́ue canamus eundem
Lætitiam ingentem, & sacra mysteria lucis,
Vt cæli quondam rex omnipotentis, homo idem
Ac Deus humanos indutus corporis artus
Bis sex cum socijs epulatus nocte suprema
Insolitasq́ue dapes, insuetaq́ue pocula mensis
Intulerit, miranda nouo de more locutus:
Vtq́ue laboratam cererem, immedicataq́ue liba
Fregerit, & socijs dederit partitus in omnes,
Dilueritq́ue merum patera libantibus eadem,
Vtq́ue omnes verbis extremùm affatus amicis,
Non illas de more dapes, non pocula sueta
Testatus dare: sed formam sua viscera in illam

Vera, ac viua nouis epulanda apponere menſis.
Hoc eſt corpus, ait, meus hic de vulnere ſanguis
Fundendus, commiſſa hominum qui diluat omnia.
Hoc eſte, hoc omnes haurite ex pocula fonte.
Sic facite, & poſthac ſeruate in ſæcula morem,
Et ſacris moniti iam nunc aſſueſcite menſis.
Nam quoties hæc verba meo mea nomine docti
Nota ſuper ſanctis repetetis frugibus ore,
Ipſe adero, totoq; epulis ſubitò inſerar almis
Corpore, viſceribuſq; meis & ſanguine opimo
Excipiam lætos, veteris ſolamen amoris,
Et nunquam noſtri hinc aboleſcet gratia lethi.
Infelix verò, his dapibus quicunque carebit
Auerſus, tanti meritiq; & muneris exors:
Nulla illi poſt funus erunt commercia noſtri.
Vos tamen has luſtrati animis accedite menſas,
Et manibus puras puris contingite fruges.
Eſte procul quibus eſt fœdi mens conſcia facti,
Vita pijs erit, atque eadem mors ſontibus eſca.
Vno eodemq; ſalus fluet, atq; è fonte venenum.
Sic ait: atque ſuis manibus ſeſe ipſe gerebat,
Ipſe onus, ipſe oneris pariter moderator & auctor,
Omnes dum ſacro libamine pauit ad vnum,
Factorum ac decorum monimentũ inſigne ſuorum.
Quem ritum moniti mox ſeruauere minores,
Libamuſq; ſacrum ſacro cum ſanguine corpus.
Nam ſimul ante aram verba illa auguſta ſacerdos
Protulit ore premens, cælo dilapſus ab alto
Chriſtus adeſt, vinoq; epulis ſe corpore miſcet.

Illa

Illa crediderim cæli ardua tecta sub hora
Feruere, stellatasq; fores, atque ostia pandi,
Plumipedesq; acies lato descendere Olympo,
Et terras petere, atque aram se examina circum
Fundere, cælestiq; dapes sepire corona,
Et totum effundi tanta ad spectacula cælum,
Dum numen sese terrenis inserat escis:
Non tamen omninò manifesto corpore vulgo
Dat se in conspectum, visus tactusq; refugit,
Externa tectus forma: nec crede sapori,
Dum gustu exploras Cererem laticesq; Lyæos
Diuinum in corpus, versosq; in sanguinis vndam.
Nam penitus re mutata manet ipsa figura
Quæ fuit antè, manet faciesq;, colorq;, saporq;
Pristinus, & quanuis id sit quod non fuit antè,
Quale tamen fuit antè manet, quantumq; videtur,
Nil versum exterius: sed enim simile omnia priscæ
Naturæ, vt specie queat vna fallere visus
Obtusos, dum sola oculis & sensibus ipsa
Obijcitur species, frugumq; occurrit imago,
Quæ gustum visumq; hominum tactumq; lacessit.
Intus Christus inest, & inobseruabile numen.
Tum quanuis animo atque oculis diuersa simul se
Obijciant, aliudq; oculis, aliudq; tuentes
Mente volutemus, tantùm tamen vna subest res,
Vnaq; vis: neque enim coëunt duo corpora in vno,
Quod ratio vetat, & prorsum natura refellit.
Haud secus exuuias indutus & ora leonis
Incedat si fortè aliquis plaudente theatro,

Non duo tunc pariter considant pelle sub illa
Vir feraq;: at potius dicam exteriora leonis,
Interiora hominis. quid enim componere fando
Diuina humanis prohibet, sublimibus ima?
Credite mortales, mentesq; abducite ab agris
Sensibus, atque animo cælum peragrate volucri.
Credite, ne titubate: hîc vera est corporis vmbra,
Hîc corpus verum: hic est vera cruoris imago,
Hic verus cruor, ipse suimet Christus imago.
Credite mortales: animos adhibete fidemq;,
Mortales, genus infirmum, confidite dictis
Illius, qui nec fallit, neq; fallitur vnquam:
Quandoquidem nihil externæ clarissima dicta
Lucis egent, per seq; suo se lumine produnt.
Antè mare & tellus, & cæli concidat axis,
Illius quàm cassa fide sint aurea dicta,
Sanguine quæ moriens nobis testata reliquit.
Non tamen ad nostras acies venit, hacq; nigranti
Stipat se veluti nebula, atq; obducitur vmbris,
Quanta sit vt nostris fidei indulgentia tectus
Exploret, non visa iubens nos credere, ceu quæ
Luce palam sunt vsq; oculis obnoxia nostris.
Cùm tener orbis adhuc foret, ac pubentibus annis,
Iam tum relligio hæc atauos incessit agrestes:
Iam tum aliquis longè præsaga mente recludens
Sacra abstrusa rudem congesto cespite in aram
Triticeos orbes, & liquida vina ferebat,
Plurimaq; orabat cæli conuersus ad axem.
Quæ fieri humana nequeunt ope, cuncta Deo vni.

Peruia

Peruia sunt & plana: potest Deus omnia quando.
Ille potis medijs pueros educere flammis
Illæsos, nutuq; ignem sopire furentem:
Ille potis summis ferrum suspendere in vndis,
Vt natet, & non iam propria vi tendat ad ima:
Ille etiam quoties penuria adegit edendi,
Millia multa hominum solis saturauit in agris,
Et cerere è tenui ingentes conflauit aceruos:
Illius imperium pauet omnis victa potestas:
Assurgit rerum natura, elementaq; parent
In quacunq; iubet migrantia sæpe figuram:
Qui potuit liquidas in vinum vertere lymphas,
Aut virgam in colubri sinuosos flectere tortus,
Rursus & in veterem formam transferre colubrum,
Non poterat sanctum in sua viscera vertere crustũ
Funditus, atq; etiam forma ipsa pascere sensus,
Atq; nouam subitò ecce oculis offerre figuram,
Nec se conijcere in miras tecto ore latebras?
Illi aliter visum, ne viscera fortè cruenta
Humanum horreret genus, attactusq; paueret,
Dum premeret tremulã mandẽs sub dentibus escã.
Nam sicui veram in speciem manifestius olim
Ostendit sese, nudoq; apparuit ore,
Ac tepido emicuit saliens cratere fugatis
Sanguis imaginibus, stetit, immotusq; sacerdos
Abstinuit tactu, atq; impasta altaria liquit,
In solitam donec redierunt omnia formam.
Haud secus admota qui morbis arte medentur,
Ne gustu horrescat languens medicamen amarum,

Melle linunt super, & dulci sub cortice condunt.
Ne verò quo liba modo, quóve ordine quare
Tenuia diuinos Christi conflentur in artus
Vi sermonis, & omnipotenti numinis aura.
Nulli fas hominum mortali corpore septo
Scire ea, vix volucres norunt sine corpore mentes
Aligerum genus, atherei gens incola cæli.
Tantùm agite, properate, sacris discumbite mensis:
Diuinas libate dapes, libate beata
Pocula, velatumq; dapis sub imagine numen
Concipite. intus inest numen: Deus insidet intus:
Christus adest, & nos inuitat corpore vesco.
Ne dubitate, Deus simul hic, simul æthere in alto.
Cunctus adest simul hic, simul & quocunq; vocatur:
Rite tamen templis in cunctis, omnibus aris,
Diuinum dum farre pio libamus honorem.
Quodq; hîc, est & ibi pariter discrimine nullo.
Totus ibi, hic totus, neque eum tempúsve locúsve
Esse vetant, quibus haud diuina obnoxia, vbique.
Quinetiam violare manu ne parcite liba
Mystica, & in socios partiri protinus omnes.
Nam fragilem quotcunque in frusta incideris orbem
Cælestis libi, Christi inuiolabile corpus
Restat idem in cunctis, orasq; amplectitur omneis,
Nec findi in parteis vllas diuina potest vis.
Nos tamen albentem frugemq; & fissile crustum,
Et liquidos latices veneramur numinis instar:
Non quia sint ipsum numen color ille saporq;,
Sed quia diuini sint numinis argumenta,

Significentq́ oculis quod mens inde altius hauriat.
Quod nequeunt oculi, nequeunt deprendere sensus.
Atque ideo exiguo quouis in fragmine Christum
Accipimus, quauis sacrati in parte liquoris
Nãq́ subest sanctũ: vt nunquã sine sanguine corp⁹,
Sic quoque non suberit sanctus sine corpore sanguis.
Nec toto hic maius quàm quæ pars esse videtur.
Quantus ibi, hic tantus. Deus haud includitur vllis
In spatijs, nec fas metiri corpora sancta.
Omnis ibi, hic omnis, hic integer, integer illic.
Sicut vbi (quanquam ratio diuersa) liquenti
Sæpe lacu in noctem Lunæ resplendet imago
Plurima, & hic illic sese speculantibus offert
Omnib⁹ vsq́ eadẽ, atq́ sui ipsa simillima vbiq́ est.
Sicut item speculi si in partes fregeris orbem,
Quicquid ab aduerso reddebat imaginis orbis
Integer, illud idem pars qualibet vndique reddet,
Nec plura in toto quàm mox in parte videbis.
At verò quanquam qui se sub frugibus offert,
Ille idem est Patris æthereà qui regnat in aula,
Hic aliter tamen atque illic, vtcunque se habet res.
Ille idem est etiam trabe qui pendebat ab alta.
Hic tamen exemptus morti vim haud accipit vllã
Artubus immortale atque impenetrabile corpus,
Cui morbi nihil efficiant, algórve, famésve.
Nec toties morti locus est in corpore Christi,
Qui semel admissis pro nostris obtulit vltrò
Ipse suum caput æterno sacra victima Patri.
Multa licet sanctis toties eat hostia ab aris,

Et matutinis renouentur funera sacris.
Tam quamuis, dum languentum seruantur in vsus
Sancta adytis occlusa, situ consumpta vetusto
Interdum aspicias, squalentiaq; exiguus mus
Carpserit, aut similes tulerint libamina pestes,
Vim nullam admittit tamen inuiolabile corpus.
Nam rerum species vbi cœpta peste teneri
Polluta, numen subitò euanescit in auram,
Corporis exuuias laceras sine honore relinquens:
Relliquiæ restant ambesæ, ingloria signa.
Quæ pietas, qui tantus amor tibi, maxime rerum.
Vt Deus æterni soboles æterna parentis
Tam fragili ingrediens vltrò pro fruge venires,
Atq; homini fieres repetitis pabula mensis,
Et matutinis toties sacra hostia in aris?
Hoc erat ille sacer qui quondam apparuit agnus
Suppositus pueri insontis pro cæde paratæ.
Hoc erat ille, vetus quem gens epulata quotannis
Mandebat rite, ac solenni more sacrorum
Cum festinata cerere atq; agrestibus herbis.
Festinata ceres tu nobis, tu mola adorea,
Farq; pium, tu liba sacros lectißima in vsus,
Liba, quibus nulli fas quondam assuesse profano,
Hoc erat illa atauis deserta per inuia nostris
Protinus è cœlo veniens errantibus esca.
Copia nil aliud tostæ tanta illa volucris,
Desuper insolitum nidorem halantibus auris,
Nil aliud ros concretus portenderat ille
Dulcis, & optatos referens cuiq; ore sapores.

Vescimur hoc vere nunc cæli rore, fugata
Nube palam: veros nunc icta è caute liquores
Haurimus, lateris q; tui nos irrigat unda
Mixta mero, suaues misces nanq; inde liquores,
Et dulci ambrosia, dulci nos nectare pascis.
O' hominum miserate famem, miserate labores
Vno cùm satures tot cæli examina verbo,
Alituum cælestum acies, tot millia millium!
Quæ tibi tanta fuit rerum pulcherrime cura?
Qui tibi tantus amor nostri, vt tua viscera nobis
Obijceres epulanda, dares te in pocula, in escam,
Quos tamen ex humili finxisti puluere quondam
Infirmos, decoris q; tui nihil instar habentes?
Tu volucris fœta illa, tuo quæ sanguine natos,
Visceribus q; tuis terebrato pectore pascis.
Tu, quoties facimus, te q; vltro in vota vocamus
Verborum memores, cæli ecce allapsus ab aula
Candidus ille venis Agnus, viua hostia ad aram,
Quam veterum portendebant oracula vatum,
Corda q; nostra simul replet ecce inopina voluptas.
Elicimus tenui liquidis te murmure ab astris,
Visceribus non nostra tuis quò viscera alantur,
Nec tuus vt sanguis nostri pars sanguinis haustus
Euadat (neq; enim confuso corpore in vnum
Miscentur quæ morte carent, mortalibus addita)
At potius veluti gemma q; aurum q; medentur
Corporibus sæpe affectis, morbis q; resistunt,
Non quòd ea stomachi rapido concocta calore
Paulatim sese languentum in viscera vertant:

sed

Sed quia vi quadam inspergant admota latenti
Lætitiam, dulciq; hilarent præcordia motu.
Sic quoque tu nostris animis & mentibus hærens
Robur ades, vires occultaq; pabula præbes,
Nec quicquam in nostros tua viscera digeris artus,
Sed potius nos admotus te vertis in ipsum.
Hinc primum specimen degustant corpora nostra
Vitæ immortalis, superûmq; assuescimus æuo.
Quippe hominum sic diffusus per pectora vbique
Mutua mortales concordes fœdere iungis
Aeterno: quos pascis, amas, quos corpore sancto
Refficis, vno eodemq; repente in amore calescunt,
Et dulci inter se nodo iuncti vsque tenentur.
Atque ita nobiscum Deus hic mortalibus oris
Vsque manes, verti dum cæli desinat orbis,
Olim vt pollicitus: nec habent promissa regressum.
Te duce securi gradimur per quæque viarum
Aspera, suscepto te non deest copia victus:
Tu dux, tu comes: æterni tu copia victus:
Et quæ deficimus, tu nobis omnia supples,
Siqua fortè labant in nobis spesq; fidesq;,
Continuò tua nutantes præsentia firmat:
Teq; omnis præsente viget fiducia nostra,
Solis nota pijs, vulgo inconcessa voluptas.
Accedo has quoties epulas, subitò æthera mente
Concipio, subitò mihi sensus eripis omnes,
Inq; tui aspectu liquido ardens corde quiesco,
Sanctum, augustum, almũ, cæli admirabile munus.
Qua te voce sonem? quo te nunc nomine dicam?

Null

Nullum te dignum reperimus carmine nomen:
Nullum te dignum verbis molimur honorem.
Salue vita hominum, non enarrabile donum,
Desuper illabens noua cælo gratia aperto.
Per te melliflui rorant dulcedine montes:
Per te melliflua complentur Nectare valles,
Omnia inexhausto mellis torrente redundant:
Omnia amant: sancti tu nobis pabula amoris
Sufficis, æterni tu nobis pocula amoris,
Ipse amor, ipsa animis nostris innexa voluptas.

I. CHRISTO OPT. MAX.

De Carolo v. Imper.

DE coniuratis Germanus hac dicat arma,
Christe, tibi, has victor Carolus exuuias.
Non hoc ille sibi tanto discrimine bellum est
Aggressus, cura sed tua causa fuit:
Quò gentem euersas victam reuocaret ad aras,
Ne caderet priscus religionis honos:
Obiecit sese furijs Aquilonis iniquis,
Nec timuit sæuis obuius ire feris.
Vicit io, & fusos disiecit montibus hostes.
Gens fera procubuit Cæsaris ante pedes.
Iamq; adeò ille animo sibi qui promiserat alto
Imperia atq; Aquilas, cernitur ire minor:
Qui gentem in regem, regni spe captus inani,
Inq; suum armauit membra coacta caput.
Quo ruis ah demens? quæ te tam dira cupido
Impulit? ipse tuum tendis in exitium.
Sic adeò virtus, sic magni Cæsaris arma

Nota tibi, & nuſquam cedere docta manus?
Non Aquila imbellis forti contendit hirundo,
Non metuit cerui cornua longa leo.
Cùm pugna abſtinuit, tua demens arma timori
Eſſe ratus, ſubitò tu tibi victor eras.
Tollebasq; animos vento tumefactus inani,
Iam meditans ipſi demere ſceptra Ioui.
Ille autem parcens cùm prælia detrectaret,
Horrebat gentis cæde madere ſuæ,
Contigit en nulla tandem victoria cæde.
Victus es, & nuſquam ſanguine inũdat humus,
Hac opus a[illegible]e fuit, cognatæ ita parcere genti,
Hoc decuit ciues vincere marte pium.
Haud minor inuitos ciu[illegible] ſeruaſſe putandus,
Quàm foret externos ſternere cæde, labor.
Sed quoties renuit collatis cernere ſignis,
Te toties vicit: ter tua cauſa iacet.
Terq; piam Deus hac cauſam ratione probauit.
Pro vero ſteterunt numina. cede Deo,
Cede: animisq; tumentibus altos exue faſtus,
Et patrum ſanctis legibus obſequere.
Nec tantum in te poßit amor ſceleratus habendi.
Deſine ſacrilega carpere ſacra manu.
Iam redeat verſa ad ritus Germania auitos
Armipotens: priſco viuere more iuuet.
Sentiat vnanimis nobiſcum nube remota.
Sit nobis eadem relligio & pietas.
Siqua tamen lapſis contagia moribus obſunt,
Mutua communi probra lauemus aqua.

Et quæ de spatio palantia deflexere,
Priscorum ad rectum nos reuocemus iter.
Interea Cæsar claris aßuete triumphis,
Qua iam cœpisti tendere, perge Via.
Hac iter ad cœlum: duri clariq; labores
Exemptum morti te super astra Vehent.
Iamq; tibi longè cedit superata Vetustas:
Iam tua Romulidûm gloria obumbrat auos.
Et maiora manent, licet hæc sint maxima de te
Sidera Venturi nuntia mira parant.
Grata tua est cœlo pietas, mensq; optima. nil est
Quod metuat Virtus præside tuta Deo.
I præstans animi, maioraq; mente capesse.
I decus, i Vera gloria militiæ.
Ille eris, immensum qui Christi legibus orbem
Subijcias, Vbi Sol cunq; colorat humum.
Iamiam Vnum duce te reget Vnus pastor ouile:
Disiectas cogi te duce oportet oues.
Christe gregis pastor tanti, rex maxime regum,
Huic tua pugnanti prælia dexter ades.
Cumq; tua intrepidus subeat tot Vbiq; pericla
Pro causa, obiectis da superare malis:
Atq; diu incolumem serua mortalibus oris.
Hoc tuta in terris Vindice sit pietas.

IN I. CHRISTI CRVCEM.

N*Am quod te memorem, quo casum à Vertice lignum*
Dulce optanti animo mihi robur, amabilis arbos?
Te bona crux nimbi tempestatesq; corusca,

Infernaq́ʒ poteſtates fugiuntq́ʒ tremuntq́ʒ,
Inq́ʒ tuos aciem nequeunt intendere ramos.
Infelix olim fueras feraleq́ʒ lignum,
Supplicij genus, infirmis trabs hoſpita lethi:
Nūc prope numē habes. ſancta et venerabilis arbor,
Cælo mixta comas caput inter ſidera condis,
Hoſpitis ingentis pulcherrima reddita tactu.
Te tulit ante humeris, quem tu mox ipſa tuliſti
Rex hominum ſuperumq́ʒ Dei certiſsima proles.
Depoſiti ingentis, capitis tibi credita cura
Tam cari: tanti tu pignoris vnica cuſtos.
Fortunata, tibi diuinos contigit artus
Tangere, tam ſanctiq́ʒ inſpergi rore cruoris.
Fortunata. ſalus in te omnis noſtra pependit:
In te meta fuit noſtrorum extrema malorum.
Per te iam Pater omnipotens mortalibus ægris
Dat veniam, & veteres bonus obliuiſcitur iras.
Pro nobis ſtetit, atq́ʒ reis pro ſontibus ipſe
Filius orauit cauſam, & nece diluit vltrò
Crimina. tu ſedes oranti grata fuiſti,
Victima pro nobis magno ſeſe ille Parenti
Obtulit: oblato tu nobilis ara fuiſti.
Illum afflictum atro ſudantem ſanguine præſens
Vidiſti, & vitam per cuncta exempla trahentem,
Tandem animam longis ſingultibus expirantem.
Fortunata arbos, in te ille vnicus ales
Depoſuit ſenium, moribundosq́ʒ exuit artus,
Vt nouus exurgens rurſus nitidusq́ʒ iuuenta
Æthereas pennis cæli remearet ad auras

Omnige

Omnigenum volucrum cantu & plaudentibus alis.
Fortunata arbos, in te fixa illa volucris
Molle sibi rostro pectus terebrauit acuto,
Atq; suo implumes saturauit sanguine natos.
Quæ pietas? qui tantus amor? nos crimine nostro
Occidimus: moriens nos ille à morte reduxit,
Deleuitq́; notas, quas non contraxerat ipse.
Nos ideo nunquam è stratis consurgimus orta
Luce, vel ingressa iam nocte ad strata redimus,
Nostra tuo quin nos armemus pectora signo,
Et tua lustrata imprimimus vestigia fronti.
Nil agimus, nil incipimus, nil pectore magnum
Molimur, non antè tuo munimine tecti.
Auspicijs tu nostra tuis incœpta secundas:
Tu nostrum augurium, tu sors, tu præpetis omen.
Quinetiam ad quosuis motus, ad murmura quæq;,
Et strepitus improuisos noctuq́; dieq́;
Ad tua confugimus tremefacti protinus arma,
Queis freti vanum reuocamus corde timorem.
Proinde tibi magni curuato poplite reges
Oscula dant proni, positisq́; insignibus vltrò
Assurgunt, tectamq́; auro gemmisq́; micantem
Suspendunt inter baccata monilia collo,
Et duce te audentes in aperta pericula vadunt,
Præmittuntq́; tuum pugnanda in prælia signum.
Iãq; Aquilis tua Romulidûm mage nota figura est,
Hoc signo dux in campis pugnauit opertis
Inclytus infernas acies, obscœnaq́; contra
Castra, Erebiq́; plagas victor penetrauit ad imas.

Exemitq́; pios vinclis & carcere cæco,
Quos secum spolijs veheret super æthera opimis.
Nobile tu signum, tu pompa insigne præibas
Semper & egregij testis prænuntia facti.
Templorum te culminibus, tè turribus altis
Erigimus: tu summa tenes fastigia, vbiq;
Turres, tecta tua sunt omnia tuta sub vmbra.
Cumq́; omnes nos extremo sub tempore vitæ
Deseruere, comes remanes tu sola, nec vnquam
Amplexu, dum spiramus, diuellere nostro.
Nec tantùm viuos, sed & aure munere cassos
Tutaris, positosq́; cauis impressa sepulcris.
Quid mirum summo si te veneramur honore?
Ipsi etiam pueri læti, immixtæq́; puellæ.
Serta tibi & flores nectunt, tibi carmina dicunt,
Te celebrant cætu, te festa fronde coronant.
Iamq́; adeò latè in terris tibi templa, tibi aras
Mortales statuunt, tibi cerea dona cremantur,
Et pia thura, diemq́; tuo de nomine dicunt.
Ac propè diuinos orbis largitur honores,
Haud quia sit numen, quia sit tibi sensus, at olli
Ista ferunt cuius letho tibi gloria parta est.
Quin. suprema dies arsuro vbi venerit orbi,
Sideris in morem fulgebis, & æthere toto
Flagrantem insolita lustrabis lumine mundum.
Luce pijs addes animos: at sontibus ingens
Horror eris. cupient retrò transacta referri
Lustra, suis frustra orantes obliuia factis.
Tu lignum porrò illud eras, medicabile lignum,

Tactu

Tactu cuius aquam in dulcem fons versus amarus
Tu lignũ,gen⁹ in quo hominũ, gen⁹ omne animãtũ
Seruatum quondam immensis euasit ab vndis.
Túne etiam malus,túne ille altißimus olim
In quo sublatus pendebat aheneus anguis?
In te oculos conuersi omnes,conuersa tenebant
Ora:salus id erat serpentum morsibus ictis.
Quippe hominum infern⁹ genus omne momorderat
Tu nobis tu complexo serpente mederis (anguis
Omnibus,& validos in pristina sospita reddis,
Tu nos infernis penè haustos eripis vndis.
Tu dulces in aquas fonteis conuertis amaros:
Et lacrymas tandem nostras in gaudia vertis.
Salue hominũ indubitata salus,spes certa quietis
AEternæ per te patet alti ianua cæli.
Vtq; orbi quondã ingressa est mors arbore ab illa,
Per te hominum generi sic tandem reddita vita est.
Effice mortales curis mortalibus omnes
Oblitis per te diuina luce fruamur,
Amplexiq; tuos tollamur in ardua ramos.
Vitam autem quia non datur omnibus exhalare
Tali in sede,ipsumq; imitari funere regem.
Vt pueri infirmo nequeunt medicamina ferre
Corpore,& altrices ipsæ acria pocula sumunt,
Ad pueros virtus tamen hausto in lacte redundat.
Sic fluat extincti diuino è corpore regis
In nos transfusus dolor,& præcordia tangat.
Saltem animo,saltem mæsto doleamus amore
Noctes atq; dies,neq; nos conturbet amator:

Verùm ea amarities nobis medeatur, & ægra
Quæ nunc nostra iacent, recreentur corda, necisq́;
Illius emanet nostra in præcordia virtus,
Sponte sua nostras qui soluit sanguine pœnas.

MAGNAE MATRI VIRGINI.

AT quo diua tuas mortali carmine laudes
Ingrediar, quas cælestes cælestibus oris
Vix audent tentare chori? nec mole grauantur
Corporea, atq; tuos coràm mirantur honores.
Ipse, mihi quoties animum tua viuida imago
Impulit, atq; aciem te contra tollere tendo,
Obruor, & nimia perfundor luce, nec absens
Ferre tui valeo radios, aut spicula vultus.
Nam tu Sole velut diuinum corpus amicta
Incedis regina, caput redimita coronis
Sidereis, tibi sub pedibus micat aurea luna,
Igneáq; astra premis subterlabentia mundi.
Mente olim Pater omnipotens te legerat alta
(Nondum mundus erat) multis de millibus vnam,
Quæ cæli regem pareres enixa sub auras.
Atq; ideo postquam diuino fœdere rupto
Primus in ipso parens hominum se perdidit ipse,
Seq; suumq; genus veniens corrupit in æuum,
Sola malo exorta es, veteriq; imperuia noxæ,
Seu tua te genitrix intactam, & prorsus auita
Secretam maculæ grauida concepit in aluo,
Seu simul atq; vtero concreta es, cælicolûm rex
Communem exemit labem, puramq; reliquit,
Ne tuus exoriens pura dilapsus ab æthra

Parte olim fœtus foret insyncerus ab vlla.
Nec priscam traheret materno à sanguine labem.
Teq; dehinc crescens procul omni innoxia culpa
Sanctam, incorruptam seruasti præside amico
Tuta Deo: ac veluti lætis nitidissima campis
Virga oritur, primosq; nouo dans vertice flores
In regum fortunatos traducitur hortos:
Continuò sedes liquisti paruula auitas,
Templi adytis oblata, parentum debita votis,
Sancta vbi priscorum vatum monimenta reuoluens
Sensisti Superûm regem tot vocibus olim
Promissum terris mortali matre oriturum.
Iam tum lætitia dulciq; cupidine pectus
Capta, Deum casta versabas mente propinquum,
Et venerans matri fœta pia dona parabas,
Si sors ò vestris ea sors contingeret oris,
Si vestro concessa forent ea munera seclo.
Nescia venturi nondum tua gaudia cernis:
Nondum nympha tuos persentis pectore honores.
Iam iam, nulla mora, adueniet demissus ab astris
Nuntius: ille tuas quàm lætis vocibus aures
Mulcebit? quanto implebit præcordia amore
Pennipotens? tu cælicolûm acceptissima regi,
Plena Deo, nuribus felix magis omnibus illa es.
Parce metu: humanum virgo obliuiscere morem:
Concipe diuinos haustus, teq; insere cælo.
Non aliam porrò manet huius gloria partus.
Tu rerum auctorem tactus ignara virilis
Concipies, grauis æthera diuinitus aura.

Soláq; virgineum seruabis fœta pudorem:
Vellus vti lana impenetrabile restitit imbri,
Cætera cùm madeant grauib⁹ circū humida nimbis:
Tu porta clausa æternum, superûm ipse per illam
Ingreditur rector, nec claustra immota resignat.
Tu rubus ille oculis flamma crepitante cremari
Visus, at illæsæ mansere in stipite frondes.
Hinc etiam pueris media in fornace pepercit
Ignis & innocua lambebant corpora flamma.
Hæc te monstra petunt vnā, hæc miracula tangunt,
Promissis nec sera fides: simul ecce repentè
Cum tonitru medium veluti discedere cælum
Vidisti, simul auricoma circundata nube
Sensisti præsens in te descendere numen
Desuper afflatam leuiter spirantibus auris.
Quis tibi tunc sensus? qui virgo in pectore motus?
Credo equidem, tibi cor dulci flagrabat amore,
Et penitus totis ardebas suaue medullis.
Tum quoq; lætitia ac mira dulcedine pectus
Delicuisse reor, tibi cùm montana petenti
Læta occurrit anus cognato à sanguine iuncta,
Atq; vtero exultante tuos præsensit honores,
Felicemq; vteri te terq; quaterq; vocauit,
Tu verò, teneri qualis rosa plena pudoris,
Ore rubens cælo referebas carmine grates,
Teq; adeo indignam, & meritam nil tale canebas.
Parua sed hæc maiora manent. date lilia plenis,
Virginei date thura chori, date serta canistris.
Nascitur humana sub imagine nascitur infans,

Qui

Qui semper fuit, est, & erit, sine fine, sine Vllis
Principijs Deus, immensi quem mœnia mundi
Non capiunt, Visusq; hominum tactusq; refugit.
Sæpe mihi Videor te poplite cernere Virgo
Subnixam, infantemq; recens mirarier ortum
Flagrantem, & radijs latè Vibrantibus aureum,
Teq; tuos prono Venerantem pectore fœtus,
Attonitumq; senem tantis Vix hiscere monstris.
Felices nimium pastores ô quibus olim
Contigit in stabulis insuetos cernere partus!
Tantum ô si quoq; me si sæcula Vestra tulissent,
Pauissémq; meas Vestris in saltibus agnas:
Me sine monstratū Vos nūquam issetis ad antrum,
Carminibus moniti cælestibus, ipse ego primus
Speluncæ foribus Virides siluestria myrtos
Munera suspendissem, & florea serta tulissem,
Insuper & canna cecinissem carmina agresti,
Carmina, quæ tibi nunc regina Vtcunq; laboro.
Nec me felici quisquam extrusisset ab antro
Amplius, Vsq; tibi famulari dulce fuisset.
Infantiq; senīq; tuo. tum me neq; Vestro
Indignum Viles stipulas substernere asello.
Hic ego Vidissem reges puero ampla ferentes
Munera ab AEthiopum terris duce sidere Vectos
Ante tuos, cariq; pedes procumbere nati.
Vidissem Volucres te mira in Veste ministros
Sæpius affari, curasq; auertere dictis,
Solariq; inopem Vario in discrimine rerum,
Dum puero metuis, capitiq; pericula caro

Longè

Longè arces animo semper suspensa labanti.
Vsqueadeo senis in templo morientis inhærent
Sensibus extremæ voces, cùm iussa recenti
Pro partu geminas aris fers dona columbas,
Affore, cùm tibi Virgo animũ dolor occupet ingens,
Et quasi cor gelidum pertranseat ensis adactus.
Nec veterum deerant responsa horrentia vatum,
Gnatum pro multis mactandum funere acerbo.
Iamq; minis tum facta fides, iam nuntius ales
Nocte senem monet in somnis consurgere, tecumq;
Accelerare fugam, patriæ neq; fidere terræ,
Ne rex, dum sceptris cauet haud securus auitis,
Diuinam sobolem crudo necet efferus ense.
Impie, mentis vbi es? quò te rerum impulit error?
Quid pueros iugulas cunis & ab vbere raptos?
Téne putas posse æternis occurrere Olympi
Consilijs? morti nondum est obnoxius infans,
Nondum iussa Patris supremi munera obiuit
In terris: nondum factis se ingentibus orbi
Supra hominem ostendit per tot miracula rerum,
Quæ non humanis opibus, non artibus edet,
Antè nouas condet leges, noua fœdera mundo:
Antè salis sicco pede cærula percurrenda:
Sedandi imperio fluctus canæq; procellæ:
Antè graues linquent languentia corpora morbi
Illius ad nutum: rursusq; ad munera vitæ
Consurgent, quorũ tellus iam texerat ossa:
Ille etiam prius exigua (mirabile) fruge
Millia multa hominum desertis pascet in oris

Ille etiam tacitas hominum intra pectora curas
Inspiciet: silua arebunt, terraq; dehiscent,
Nec grauia ora ferent, verbis dum fulminat, hostes,
Omnia quæ coram admirans lætabere virgo.
In primis tibi cor mira dulcedine tanget,
Cùm puer in templis, adolent dum sacra, relictus,
Quæsitusq; diu velut ecce repentè oriens Sol
Lucidus, ore oculisq; nitentibus apparebit.
Illum de magnis mirabere rebus agentem,
Et veterum dictis reserantem oracula vatum
Primores inter proceres, iuuenumq; magistros,
Quòs omnis iam tum bis sex vix mensibus actis
Erudiet puer, atque rudes docto arguet ore
Aureus, immortale sonans (mirabile dictu)
Sensibus illapsus penitus præcordia tanget
Et dulcem toto iaciet de corpore amorem,
Luce recens orta, vel sidere pulchrior aureo.
Tunc illam circumfusa longo ordine matres
Laudibus attollent, quæ tales optima partus
Ediderit, tenerisq; immulserit vbera labris.
Illum amplexa sinu, toto illi pectore inhærent
Oscula fragranti capiti, dabis oscula fronti
Sidereæ, stellisq; pares libabis ocellos,
Ore alterna flagrans dulci præcordia amore.
Nec minus inde etiam tacita lætabere mente,
Fontis aquam latices cùm Bacchi vertet in atros
Te mandante. tuo promet liquentia vina
Munere, & insolitos hospes mirabitur haustus.
Hæc tibi mater erunt: oberit nihil antè tyranni

Vesani

Vesani furor, ipsa tamen cælestibus vltrò
Consilijs pare, qua fidus detulit ales.
Tolle moras: pete Niliacas interrita sedes.
Cuncta fauent: tibi nox nigrantis explicat alas,
Et te sub lustri gradientem amplectitur vmbra.
Cernis vt intonsi prærupta cacumina montes
Demittāt, plaudantq; comis nemora alta coruscis,
Et solitum præter varios humus afflet odores?
Illa (credo) etiam noctu volucresq; feraq;
Aduentante Deo, numen sensere propinquum,
Obuiaq; abrupto stupuerunt flumina cursu.
Donec lætanti vos Nilus condidit alueo,
Fama vbi iam totam, non læta impleuerat oram
Bethlen largifluo puerorum vndasse cruore,
Dum tuus ante omnes nequicquā quæritur infans.
Quid tibi tunc animi? toto hæsit pectore sanguis,
Et tua ceu gelidus subijt præcordia mucro.
At non hic virgo vestrorum hæc meta laborum
Hæserat, ingentis neq; erant ea debita luctus
Tempora: verùm olim longè maiora manebant.
O dolor horrendæ quis morti crederet illum
Deberi, Pater est cui clari rector Olympi,
Cui mare, cui tellus, cui cælum paret & æther?
Verùm sponte neci caput obuius obtulit ipse,
Primi hominum vt lueret scelus exitiale cruore
Ipse suo, moriensq; genus mortale piaret.
Id placitum Patri æternum, cæloq; sedebat.
Id quoq; venturi virgo tu præscia noras,
Cuncta oblita velut tamen atq; ignara malorum,
(*Tantus*

(Tantus amor matris) crudeli victa dolore es.
Fama tuas simulac sæuißima perculit aures
Heu gnatum scelere exceptum, insidijsq́ suorum
Vnigenam summos fædatum immaniter artus
Trudi ad suppliciũ, atq; trabẽ tam stare nefandã.
Exilijsse ferunt subitò extra mœnia, & omnes
Te plangore vias, queruloq́ implesse vlulatu.
Qualis auis pasture diens, cui pastor ab alta
Arbore suspensum nidum deiecit, & aufert
Implumes fœtus etiam nunc ore querentes.
Illa volat circùm, vix se raptoris ab ore
Temperat, & querulis latè loca vocibus implet.
Tunc tua inhumanæ miseratæ incommoda rupes,
Atq; tuo aëreæ siluæ doluere dolore.
Ast vbi pendentem ferali robore porrò
Vidisti approperans, mediaq́ in morte teneri
Iactantem huc illuc oculos, si fortè suorum
Siquem fortè alas inimicas cerneret inter,
Deficis, & fessos ægrè collaberis artus.
Quos gemitus? quas deinde trabẽ cõplexa querelas
Ore dabas? non hæc olim tibi gaudia cælo,
Non promissa tibi hæc diuino pignore dona.
Sic nuribus te felicem magis omnibus vnam?
Sic ventura tuos florere in sæcula honores?
Felices illas fortunatasq́ vocabas,
Pignora cara, quibus flere ipso in limine vitæ
Contigit, & longo paulatim assuescere luctu.
Parcite mortales iter illac fortè tenentes,
Quos omnes in sese, atq; in sua funera mater

Victa

Victa animi armatos lacrymosis vocibus excit,
Ipsa quoque ut simul in trunco moriatur eodem.
Parcite, & aërei nimbosa cacumina montes,
Ne cadite in matrem subita conuulsa ruina,
Exorata licet, licet vltrò sæpe vocata,
Dum iuuat immitem sic saltem explere dolorem.
At non sic etiam positus caræ genitricis
Filius oblitus media te in morte supremum est
Affatus. quas ô voces? quæ verba vel ipsi
Pectore ab inualido rupit miserabilis hosti?
Tandem in te ah moriens morientia lumina liquit,
Et dulcem (vt potuit) vultu seruauit amorem.
Hic tu muta siles, lacrymisque absumpta profusis
Non iam vllos gemitus, nō iam vllos amplius edis
Singultus: tacito dolor intus pectore sæuit.
Ipsa parens frugum pro te mæstissima tellus
Planxit, & ingenti tremuit succussa fragore,
Et silices erat hic nulla vi cernere apertos
Findere se, & mæsti, vt poterāt dare signa doloris.
Palluit aspectu cælum, atque illustre repentè
Desuper insolitis vmbris caput alta petens Sol
Occuluit, medioque die nox plurima oborta est,
Et populi æternas mundo tenuere tenebras.
At non te longo virgo intabescere luctu
Passus, vbi primos lux tertia protulit ortus,
Iam nigras Erebi sedes populatus, & vmbris
Educens sursum manes animasque piorum,
Euasit tumulo, saxumque reliquit inane,
Atque tibi primum diuino apparuit ore:

Post

Pòst alijs, sibi quos lectos subiunxerat olim
Consortes tantorum operum, sociosq; laborum.
Quas lacrymas tibi crediderim excussisse repentem
Lætitiam? quali tibi tum præcordia motu
Exultasse? fides tua quæ præsenserat vsque,
Nunc oculis adaperta vides, nunc clara liquet res.
Aspice vt exutus moribundos Filius artus
Diuinam induerit speciem, inuiolabile corpus
Insolitis radijs, insueta luce coruscum.
Parua mora: hinc terris illum supera alta relictis
Vidisti petere, atq; cauâ se condere nube,
Ad cælumq; aperire viam mortalibus ægris:
Nec tamen in terris desertam inopemq; reliquit,
Dum mortalis adhuc vitali vesceris aura.
Ipse sed omnipotens tibi plurimus insidet, & te
Noctes atq; dies præsenti numine seruat,
Præside quo, quæcunq; premant, secura malorum,
Cælestum degis moribundo corpore vitam,
Nunc veterum relegens latebrosa oracula vatum,
Nunc animo cælum peragrans, totaq; voluptans
Mente Deum, frueris Nati omnipotentis amico
Numine, perpetuum tibi qui tuus afflat amorem,
Desuper ambrosia hac, dulci hoc te nectare pascit.
Iamq; dies aderat lætissima, qua tibi terras
Linquere fas erat, & claro succedere cælo
Vix placido moriens clausisti lumina letho,
Turbine corriperis rapido, veherisq; per auras,
Solis inardescens radijs: te lucida nubes
Purpurea longè fulgentem amplectitur aura.

Te circumuolitant dextra læuaq; frequentes
Alituum cœtus cæli stellantis alumni,
Subuectamq; ministerio te præpetis alæ
In sublime ferunt sanctæ de vertice Idumes:
Pastores admirati videre sub auras
Enantem, & claro signantem tramitē cælum.
Talis ab Eois aurora attollitur vndis,
Talis Luna recens roseo caput exerit ortu,
Vtraq; sed longè obtuso tibi lumine cedit.
Sed neq; te primo iubare æquet maximus ipse
Sol lucis fons exoriens comitantibus horis.
Sic cælum expectata subis, thiasiq; choriq;
Te circum, & liquidi resonant per nubila cantus
Castrorum in morem, nitidis cùm exercitus armis
Pulcher it, ære acies de monte aduersa refulget.
Antiqui proceres gentis decora alta vetusta
Occurrunt, vatesq; pij ventura locuti
Excipiunt lætam, & summa ad fastigia ducunt,
Lætitiaq; fremunt superi. Mariam alta beati
Ingeminant per tēpla chori, Mariamq; frequentant,
Ingentiq; procul reboant supera ardua plausu,
Et totum exercent intus noua gaudia cælum.
Filius hic etiam sancti regnator Olympi,
Qui dextra æterni Patris assidet æthera torquens,
Optatos dedit amplexus, tibiq; oscula fixit
Pronus, & æterno matrem deuinxit amore.
At Pater insignem solio sublimis ab alto
Aeterna capiti implicuit de fronde coronam,
Affixitq; tua gemmantia sidera fronti,

Et super alituam superûm templum omne locauit
Sublimem rerum dominam, cæliq́; potentem,
Vnde humiles mundi labentis despicis orbes,
Lunamq́; Stellasq́; videntemq́; omnia Solem,
Angustaq́; procul telluris inertia rides
Pondera, & insanis exercita pectora curis.
Salue sancta parens, eadem salue innuba virgo,
Regia progenies genus alto à sanguine Iuda.
Cui Pater omnipotens pleno se numine fudit,
Gratiaq́; acceptam matres super extulit omnes.
Qua primùm dias prodisti in luminis auras,
Luce eadem nostra spes est exorta salutis.
Fœmineos lapsus, ignominiamq́; pudendam
Vlta tui generis, genus ipsum ad sidera tollis.
Prisca hominũ genitrix, & matrũ maxima mater
Prima tulit generi tristis contagia lethi:
Tu virgo longo post-tempore prima salutem
Felici peperisti vtero mortalibus agris.
Illa dedit merso lacrymas, tu gaudia mundo.
Illa homini inuexit pœnas, tu præmia per te,
Ianua aperta pijs cæli, quam clauserat illa
Circumuenta dolis malesuadi & fraude colubri.
Ipsum tu valido victrix pede proteris anguem
Frustrà insultantemq́; & sibila colla mouentem.
Munere quo superas cæli regina per oras
Inueheris, cæliq́; nurus te mille sequuntur,
Mille chori celebrant, seruatricemq́; frequentant.
Cælicolæ assurgunt omnes: tibi regia paret
Ætheris immensi: quodcunq́; vbicunq́; creatum,

Infra te longe iacet, & tua iussa facessit.
Nos quoque diuinos, vt cuique est copia, honores
Largimur. tibi centum aræ, tibi maxima centum
Thure calent delubra: tuis pia munera templis
Afferimus, casiasque, & nardi halantis aristas.
Ipsæ te matres adeunt, peplumque ferentes
Textilibus donis augent, & templa coronant
Primitijs florum, ac suspensis frondibus vmbrant.
Vt primùm fari incipiunt, te nomine iussi
Compellant, primaque sonant te voce minores.
Omnis vbique tuis indulget laudibus ætas,
Omnis vbique domus: tota de turribus vrbes
Te veniente die, te decedente salutant,
Plurimaque auratis resonat tibi tibia templis.
Tu laudes bona mortales, tu munera vocis
Humanæ non spernis, opis nihil indiga nostræ.
Vota hominumque præcesque audis vbicunque vocata,
Rite tamen, nostrosque leuas miserata labores.
Tu bellum morbosque graues, pestemque, famemque
Auertis, cælique minas, tot sospita mortes,
Tot clades, tot das miseris euadere casus:
Vtque mari magno iactatos turbine nautas
Seruat stella, polo si tandem affulserit alto:
Sic tua lux, quæcunque instent, quæcunque premántve,
Nos regit, inque omni tutos discrimine reddit.
Nunc, o stella maris nostri nos aspice præsens:
Eripe tot pelagi penè haustos fluctibus atris.
Nunc lucem, lucisque tua iubar exere, & orbi
Exorere, ac radijs nigrantem discute nubem.

Ne, quaeso, ne nos inopes hic desere. siquid
Dulcè tibi fuit in terris & amabile quicquam,
Per te, per carum oramus, tua pignora, Natum,
Perq́ sinus illos, quibus haerens vagijt infans,
Brachia quae implicuit collo, innexusq́ pependit,
Dulce onus interdum, pérq; vbera quae tener hausit,
Per pueri dulces risus, perq́ oscula blanda,
Per teneros lusus, per quicquid deniq; in illo
Dulce fuit tibi curarum, gratumq́ leuamen,
Ipsum illum Patris ad solium complexa precando
Da genitrix facilem: & si fortè piacula nostra
Auersum terris faciunt, tu sedula nobis
Concilia, vt iustas Patris in nos lentat iras.
Et quaecunq; suis meritò miscétve, parátve,
Diluat ille sui praesenti rore cruoris.
Mille procul cerno nobis instare pericla,
Mille neces, rebus propè versis, mille ruinas.
In nos Turca ferox toto ruit agmine & armis,
Cuncta mouens nos extremis conatibus vrget,
Iamq́ sibi ingentes orbis promittit habenas.
Interea nostri, quos huic se opponere monstro
Aequum erat, inter se reges fera bella mouentes
Confligunt, totoq́ (nefas) concurritur orbe.
Tu tantum terrorem animis labentibus aufer.
Tu nobis tu diua, pios miserata, quietem
Redde, petens placida mittescant saecula pace.

BEATO MICHAELI.

QVem te esse dicam præpetum pulcherrime,
Quo te profectum ex agmine,
Cæli volatu qui pererras atria
Armis coruscus aureis?
Túne ille cælitum inclytus princeps ducum,
Dux alitum ales mentium,
Quas ipse in orbis maximus primordio
Creauit omnium sator,
Aulæq; præposuit beatos incolas
Felicioris ætheris?
Vt te ferocem intueor ense, vt ænea
Hosti iminentem cuspide,
Simul iuuentæ flore, & impubi gena,
Et ore dulci amabilem.
Vt arma pectus masculum fulgentia,
Pluma vt leues humeros decent!
Salue volucris alme ductor agminis,
Cui credita cæli fores,
Tu contudisti insanientis Phosphori
Bellator insolentiam.
Contaminata cùm manu ille corruit
Inhospitale sub chaos,
Vbi silentes territat remugiens
Vmbras tremendo murmure;
Satis superq; debitas pœnas luit
Inefficax superbia
Vltore te: referre militaria
Te signa fusis hostibus.

Videre

Videre ouantem sidera admirantia:
Vterq; te vidit polus.
Et ipse summus ciuium in medio Pater
Laudauit alitum choro,
Post quem tibi omnis aula cæli militat
Secreta cœtus in nouem:
Regi ipse semper aßides propinquior,
Reconditorum particeps,
Quæ deinde subsequentibus tu detegis,
Mox alter aperit alteri,
Ad infimum descenderit donec gradum
Semper minor scientia.
Nec alter alteri inuidet præstantiam,
Sed sorte quisq; amplus sua est.
O plurimùm beata gens cælestium,
Felix genus volatile.
Vos Solis vsq; illius intuemini
Os, quo beantur omnia.
Metus nec vllus vellicat ne fortè sit
Perennis hæc felicitas,
Quæ fixa clauo firmius adamantino
Hæret, moueri nescia.
Vos ætheris regis ministri sidera
Torquetis, & cæli vagos
Orbes rotatis, vnde tempus, & dieì
Et noctis immota vices.
Vos temperatis aëris flatus truces
Imbres, pruinas, & niues,
Et fulminum sæuas coërcetis faces,

Ne mundus ingens conflagret.
Vobis profundum in æquor est imperium, aquas
Volubiles regentibus:
Globumq; terræ sustinetis pendulæ,
Et quicquid in terra viget.
Vos alites Hero ab supremo crebrius
Ad nos venitis nuntij,
Deiq; nostra afflatis almi pectora
Inusitato numine,
Animisq; nostris insidetis additi,
Ducesq; adestis in via,
Nos donec exemptos humo nil inuidi in
Vestros adoptetis choros.
Adeste nobis: nanq;, quos vos prælio
Fregistis hostes, nos premunt,
In nosq; victi virus omne colligunt,
Et tutò inermes prouocant.
Adeste: diris pestibus resistite,
Non insueti laureis.
Tuq; ô supremo ductor agminis dies
Princeps ades certantibus,
Cùm falsa veris addita exprobrant probra,
Absolue nos calumniæ:
Vitasq; corpus exuentes suscipe,
Hasta procacem arcens manum.

EX CANTICO MOSIS.

CAntemus inclyto ætheris regi Deo,
Deo omnium fortissimo:
Incomparabili extulit se gloria,

Suam hic potentiam explicans.
Equos & equites hostium sub aquore
Vorticibus inuoluit rubro.
Deus ille virtus mea, Deus potentia,
Mei & triumphi gloria.
Deus salutis auctor effectus mea
Seruat sua me dextera.
Deus hic meus, pra omnibus dijs mihi:
Eius canam vsq; gloriam.
Deus hic parentium meorum antiquitus
Eius canam potentiam.
Deus velut bellator arma Pharaonis,
Currus, & omnem exercitum
Nos insequentem fluctibus maris asperi
Inhospitalibus obruit.
Huic nomen omnipotens: potentes hostium
Demersit alto principes.
Illos profunda ponti inexplicabili
Hausit vorago gurgite.
In ima desedere, ceu moles grauis
Excisa monte ab arduo,
Dextera tua Deus omnium pulcherrimo
Sese trophao insignijt:
Dextera tua hostem contudit validissima:
Tuos es vltus amulos.
Excanduisti? absumpsit ira eos tua,
Flamma aridam vt stipulam vorat.
Excanduisti iratus? in eos aquoris
Opes coëgisti humidas.

Nobis recessit vnda & alti gurgites,
Lato relicto limine,
Fundum vt per imum de manu insequentium
Elaberemur hostium.
Videns propinquus hostis, omnibus mare
Patere concauum ratus,
Alensq; inanes spes, ait secum, Insequar,
Concludam eos, spolia auferam:
In hostium pecunias grassabimur,
Auro potiti explebimur:
Stricto dehinc ferro irruemus acriter,
Totum genus delebimus.
Hæc colloquentes irriti falsas vias
Medio tenebant æquore:
Tuus ecce spiritus repentè insibilat,
Concretáq; vnda soluitur:
Nec areas fert humido tergo rotas:
Omnes in ima, plumbum vti,
Pelagi profunda corruere protinus.
Nos iam recepti littore,
Eiecta porrò vidimus cadauera
Virûm atq; equorum fluctibus.
Quis tibi queat bellantium fortißimus
Virtute compararier?
Tu sanctitate incomparabilis inclytus:
Tu fortitudine vnicus
Orbi vsq; maxima exhibes miracula,
Quæ nullus alter audeat.
Dextram tuam excitasti, & hausit terra hians

Repentè

Repentè vires hostium.
Genti tuæ verò dedisti te ducem
Iam seruitute libera,
Nostri misertus, nos vt in pinguissimum
Traduceres manu sôlum.
Hæc audientes vndiq; populos pauor
Inuasit ac simul dolor.
Fama hac Palæstina omnis attonita iacet,
Et ora Chananeitis tremit
Cum regibus populisq; barbaris. tu eos
Metu coactos illiga,
Pertranseat donec tuorum exercitus,
Immobiles stent, ceu silex:
Nobis nec obstent: sed tibi placitum genus
Super aquilarum alis vehes
Montem ad beatam, hæreditario in sôlo
Vt surculos lectissimos
Nos inseras, domumq; in altam transferas,
Quam fabricasti tu tibi,
Sacrarium Deus tuum, quod affabrè
Tuæ expoliuerunt manus.
Regnans, io triumphe, victor imperat
Aeternùm, & amplius Deus.
Ingressus eques AEgyptius mare inuium
Tot curruum rex millibus,
Rex ætheris eum immersit æquoris rubri
Sub verticosis fluctibus:
Ast Isaci nepotibus tendentibus
In medio iter strauit mari.

DIVO DAVIDAE
Regi Prophetæ.

FAcessite hinc vani poëtarum greges,
Auferte vestra hinc somnia.
Non est quòd audiam, quòd amplius legam
Diserta vestra carmina,
Seu Græca, seu Latina sint ea, vt lubet.
Me Musa detinet altior:
Inusitatæ dulcior citharæ sonor
Meis inerrat auribus,
Et intimis altè insidens præcordiis
Totum mihi me surripit.
Iordanis vsq; ab algida Cycni audio
Ripa canori carmina.
Vt ille luce, vt nocte de multa canit,
Quæ nullus anteà audiit!
Cui te sacrorum conferam vatum parem?
Cui regum eundem comparem?
Quid maius in te mirer? an peritiam
Belli, an canendi gloriam?
Artis've, quas callere reges addecet
Clauum tenentes vrbium?
Pastoris vltimus Ephrathæi è liberis,
Oues paternas pauculas
Pascens puer iam tum imperabas omnibus
Amabilis pastoribus.
Iam te supremus ætheris rex legerat
Cui regni habenas crederet,
Pascente te nihil timebant pascua.

Feræ abstinebant saltibus.
Premens supremum grauiter Vrsus in tuis
Efflauit Vlnis halitum,
Suoq; pressu vastificus olim Leo
Discerptus ingens occidit:
Tu mole vasta corporis teterrimum
Puer gigantem, ab hostium
Vallo superbis prouocantem vocibus
Vellet sibi qui congredi,
Et insolenter exprobrantem ciuibus
Turpem tuis ignauiam,
Cùm muta legio omnis tuorum absisteret,
Nec quisquam adire cominus
Auderet: ipse aggressus vlt ò fortiter
Neci dedisti. protinus
Insonuit ad cælum grauiter immanibus
Perculsa tellus artubus.
Tum facto in hostes impetu, innumerabiles
Inuictus ense demetis:
Nec sustinere versa possunt agmina
In terga dextræ vim tuæ.
Quotiesq; confecto redibas prælio
Multis peremptis millibus,
Auro coruscus, omnium pulcherrimus
Ipsos amore vrens agros,
Victori ab oppidis puellæ vbiq; obuiæ
Tibi canebant carmina,
Supraq; regem ipsum efferebant laudibus
Ter inclytum, ter amabilem.

Quid

Quid mox? vbi ætas firma venit, regijs
Elapsus insidijs quater,
Vt regis inimici necem defleueris,
Cui sponte bis peperceras,
Manu in tua cùm esset tot ensis iniurias
Vlcisci & hostem perdere.
Hinc regnum adeptus pace vt alta rexeris,
Latè subactis hostibus.
Deo vt tot ædem sumptibus paraueris,
Quam filius mox conderet.
Tu luce pugnabas manu, noctu fide
Arguta agebas gratias.
Deo vsque grata concinebas carmina
Haud munerum tot immemor,
Quibus tuos euexit ad sidera atauos
Ab orbis vsque exordio.
Tot hic triumphos, tot canis miracula,
Antiqua gentis prælia.
Quin & futura prauidens longè, refers
Coram velut præsentia,
Et nasciturum prædicas mortalibus
Heroa de Deo Deum,
Qui nostra penitus demeret piacula,
Cruore nos lauans suo:
Nobisque nostra ostendis idem tempora,
Et nosmet ipsis indicas.
Salue procul videntium vatum optime:
Regum idem aue lectissime:
Nobis ab alto dexter ades, & nos tua

Prece

Prece iunge summo numini.
Nobis tuis innitier vestigijs
Detur: imitentur te duces
In prælijs, reges sequantur formulam
Tuam in regendis Vrbibus.
Sat mihi foret tua æmulari carmina,
Dum fila percurro cithara.
Quòd si neq; id penitus datum est accedere,
Nec pluma tam alta volat mea,
Abstrusa mitto versibus mysteria,
Diuina mitto euoluere,
Quibus alta cæli transilis cacumina,
Quibus infernum penetras chaos.
Vnum erudiri aueo: doce saltem meis
Orare veniam noxijs.
Vnis mihi his te prabeas saltem rogo
In versibus imitabilem,
Quibus iuuenta errata deprecans studes
Placare regem cælitum.
Vt flebilibus atq; miserabilibus modis
Nostros in animos influis.
Miserere, miserere ô mei Deus, iterans,
Mecum tua age clementia.
Ego enim piacula mea noui, quod malè
Feci, mihi est vsq; in oculis.
Soli tibi peccaui, iniquè egi Pater
Tuis sub oculis impius.
Contaminantis sum parentibus satus,
Conceptus ipso in crimine.

Tu, quicquid admissum est, tua indulgentia
Ignosce, noxia immemor.
Delicta dele: nequiter facta occule:
Meas remitte amentias:
Et inquinatum quicquid in me est dilue,
Me rore respergens tuo:
Nouamq; mentem in me, nouum cor suffice,
Virumq; verte in alterum.
Afflatus aura numinis mirabili,
Hilara tuo me spiritu.
Demum ita priori restitutum gratia
Aspice benigno lumine.
Laudes aperies ita mihi labia ad tuas,
Flectantur vt tibi impij.
Mea tibi hæ sint victima: hos immolem
Super tuum altare vitulos.

DIVO IOANNI
Baptistæ.

QVæso quid id negotij? quamobrem boni
Semper premuntur improbis obnoxij?
Quo nullus ortus maior? vnquam gentium
Dei loquentis vera testimonio,
Perit perit vates ter ille maximus
Insanientis mulieris libidine,
Quòd abdicari is tenderet regem illico
Oportuisse inauspicatis nuptijs,
Fratriq; reddi clamitaret coniugem,
Ipsa ferente incesta animo id ægerrimo,
Vatiq; pestem interminante pessimam.

Tantúmne mulieri vsp am licentia?
Indignus ille qui satus sit masculus,
Cui serò imperat mulier, & arduis
In rebus aduocata semper consulit,
Cùm procreandos coniuges ob liberos
Tantùm viris sint addita imperantibus.
Nec fœmina ingenio suopte peßima,
Sed sint equorum sicut optimum genus,
Eumq; quem vult sessor incedant gradum.
Freno viri si vti sciant quisq; in suas,
Poßit carere mundus hac molestia,
Nec tot fuissent gentibus tragœdiæ.
Mandauit illa saltitanti filia
Incesta, regem posceret sibi aurei
Tradi amputatum vatis in disco caput.
Mero ille, ludo, amore captus annuit
Iuratus. in patina sacrum affertur caput
Squalore fuscum, tabo, & atro sanguine,
Horrentibus quotquot aderant conuiuio.
Conuiuium incestum, efferum spectaculum.
Insane, caece, brute rex, tún' optimi
Viri muliebri offers caput libidini?
Tún' inclytum, sanctum, Deoq; proximum
A Solis almo aspellis almi lumine,
Quem tu colebas, expetebas peßima
Tua exprobrantem probra confidentius?
Lugete valles, antra, solitudines,
Et quicquid est vbiq; montium auij
Lamenta flebilesq; voces rumpite,

Iam destituta amabili solatio.
Non audietis amplius vocis sonum
Felicis aui nuntia. Venisse iam,
Quem nesciebat nocte mundus obrutus,
Deum patri futurum, vt agnum victimam,
Mortalibus qui tolleret piacula,
Caeliq; clausas panderet nobis fores.
O' pessimè factum! adeón' innocentia
Cessit subacta? vicit impotens furor?
Nec Sol repentè lucidum abdidit caput?
Nec terra ruptis dissoluit vinculis?
Nec ignibus coruscus orbis arbiter
Mortalia in cineres redegit omnia?
At at quieuit ira (credo) caelitum.
Caeli quòd omnis curia id prouiderat,
Vates vt esset ille, non modò voce qui
Deum indicaret editum mortalibus,
Vita sed ipsum moribúsque redderet,
Et morte dira prauius praecurreret:
Quod tu sciebas ipsemet praesagio,
Pectus futuri plene Ioannes sacrum,
Lubénsque morti te obtulisti fortiter.
O' morte felix non minus natalibus,
Quibus tibi queat nemo compararier.
Tu regis index caelitum praenuntius:
Tu matre sterili, an satus diuinitus
In matris aluo labe communi omnium
Antè expiatus quàm fores luci editus,
Nec noxia vlli mox fuisti obnoxius.

Ne te inquinarent ciuium commercia,
Siluis latebas victitans in abditis,
Siluestre mel stillans vetusta ab ilice,
Nucésque, & vnguibus reuulsa gramina
Regale erat semper tibi conuiuium.
Praebebat vltrò vina flumen pocula,
Pelles ferarum delicatam purpuram.
Hic nationes perluebas flumine,
Suadens probrorum voce paenitentiam,
Monstránsque ad altas aetheris viam domos.
Felix ter ò, & amplius, qui venerat
Maculas lauare & omnium piacula,
Dei regentis cuncta vbique Filium
Tu proluisti vulgus inter caeterum.
Sanctum lauacrum, balneum admirabile!
Nec te fefellit artubus mortalibus:
Sed nare ceu canis procul odora feram
Numen sagaci deprehensti pectore.
Repentè gurgite aureo resplenduit,
Igni fluentum ceu flagrantibus vadis
Tuis simul vox insonuit ampla auribus,
Ruptis vt olim caelum vbi tonat nubibus,
Quem proluebas, quis foret denuntians.
Salue orientis alme Solis lucifer,
Iubar propinquum gentibus praenuntians:
Ades, & adhuc quicquid potes, nos erudi,
Et rectam ad astra errantibus viam indica,
Nostrisq; abolitis nos piaculis laua.

DIVO PETRO APOST.
de eius cathedra.

PApæ. potestate vspiam mortalium
Dijs proxima adeò quenquã ix altum subuehi,
Vt summus vnus cæteris mortalibus
Præscribat, illi nemo prorsus omnium:
Mussent sed omnes sponteq; vni pareant,
Pietate sola adducti in animis insita,
Suapte vi parentiumq; ritibus?
Porrò ille mortales adhuc apud manens
Quæcunq; de hominum constituerit noxijs,
Sunt rata apud ipsos cælites arbitria,
Animæq; corporum expeditæ nexibus
Siue illigarit idem eas seu soluerit,
Hærent ligatæ, & inferis fornacibus
Cremantur igne, vel solutæ deuolant
Feliciores cælitum inuectæ domos.
Recto modo arbitrio nec errore id fuat.
Dei hæc potestas maximi, Dei optimi est
Communicata Filio vnigenæ optimo,
Et maximo, de virginis vtero edito,
Mortalibus cùm se artubus mundo obtulit
Spectabilem, doloribusq; obnoxium,
Mortiq; acerbæ pro salute publica:
Ille inde tibi mortalibus præ omnibus
Eam reliquit ætheris repetens domos,
Hære ditario velut iure caperes,
Tibiq; concessit suas prorsus vi es,
Petre siue Cephas, seu Simon dici eligis.

Quid

Quid hoc negoti? quo tuo istuc facinore
Meritum esse dicam, quáue gratia rear?
Tu pisculento natus in gurgustio,
Parentibus sanè satus pauperrimis,
Nulla inclytus nisi arte piscatoria,
Nihil patrasti gloriosi facinoris:
Nonnulla potius, si merita perpendimus,
Malefacta te plane arguunt, & pessima
Quidem, ferenda neq; gregario in homine.
Tun' ille qui tutus proculq; periculo
Magnifica verba prolocutus ampliter
Spoponderas te mille subiturum neces,
Si opus fuisset, pro duce meritissimo?
At mox vbi vsus venit, in discrimine
Deserere eum haud puditum est, ab hostium globo
Obsessum, inermen, dum metu perterritus
Fuga saluti consulis turpissima,
Fadéque dissimulans tibi vsquam cognitum
Eum ter abiurasti amicus optimus.
Conuincimus se habere ita hac, nec quispiam
Potest negare. pœnitentia hanc tamen
Mærens luisti noxiam celerrima.
Factum putamus prouidè diuinitus,
Deo volente, scilicet quò sontibus
Expertus hinc ignosse disceres reis,
Statim futurus arbiter mortalium.
Quod deinde factum est: nanq; tibi concreditas
Tot ciuium vitas fouens humanitus,
Nullo vsus imperio acerbitatene.

Benignitate temperabas vnica.
Demum quod olim perperam peccaueras,
Morte expiasti gloriosa, occubans
Pulchrè pro eodem quem anteà fefelleras:
Atque is fuisti tam ardua in prouincia.
Nunquam vt pigitũ eum sit tibi hanc qui credidit,
Tibiq́ succedere adeò innumerabiles
Alium, deinde alium instituit in secula,
Eadem vt potestate pariter præcellerent,
Sella sedentes in tua, eodémque solio,
Consultum vt hominum generi ita deinceps foret,
Omnes vt vnum agnoscerent vltiò caput.
Periculosum fortè si quis dixerit,
Tandem hæc potestas ne in potentiam exeat,
Merúmque regnum hominis soluti legibus
Latissimè patenti adeò licentia:
Tua, Petre, cautio hæc, tuum est succurrere
Gregi tuo olim, ne vnquam id ei mali accidat.
Es vbi caueri id detur, es apud quem omnia
Orare possis, facilé que istuc assequi.
Quare, quod hominum legibus fieri est nefas,
Saltem impetrato, ita ipse qui solus potest,
Tanta potestati modum statuat Deus,
Nobis vt vsque præsit optimus pater,
Pietate sanctus re magis quàm nomine,
Castis initijs qui ad honores repserit,
Non imperandi cupidus, aut sitiens opum:
Qui non oues deserat, vbi lupum aspexerit,
Euiscerandus, dum timet rebus suis,

Vt cauit olim pastor omnium optimus:
Nihil sibi arroget nisi id iure optimo:
Sed ipse sibi sit sponte lex & terminus,
Quem praterire peste peius censeat.
Et, quam rogarit ipse, legi obtemperet,
Mente atheri semper quam humo propinquior:
Priuata penitus missa faciat omnia,
Domus suæ oblitus suûmq; liberûm.
Primùm procuret publica. aquus proximos
Sibi remotósque eodem habeat omnes loco,
Dum Christiano censeantur nomine.
Sitiat & omnium salutem aquè ac suam.
Ac pastor vt sibi tradit as oues domum
Reducere omnes satagit, vna ne absuat:
Sic creditas animas sibi mortalium
Deo optimo resignet vltimo is die,
Pro singulis paratus, haud tibi degener,
Mortem, si opus sit, oppetere pulcherrimam.
Talem vsq; nobis, si merebimus patrem
Dabit, nec vnquam negliget suos Deus.

DIVO IOANNI
Apostolo.

ECqua leues adeò se cæli ardentis in auras
Tollit auis? viden' vt celeri super æthera penna
Enarit, liquidiq; secet supra ardua mundi?
Vt nostris ablata oculis, vix denique visa,
Radit iter facili lapsu, neque conciet alas?
Stare putes, nec gressum vsquam proferre volando.

Aethereis cæli libratam corpus in auris.
Sed tacitam secum cælesti in lumine pura
Luce frui, propiusq; vago succedere Soli
Gaudentem, & liquidos oculis depascier ignes,
Obtutu hærentem, lucis dulcedine mira.
Quod genus hoc volucrū? neq; enim regina volātū,
Quæ'ue altam præpes supra volat ardea nubem.
Fortunate ales, qua te de gente volucrum,
Qua de stirpe rear? neq; enim te præpete pluma.
Credo equidem fretum: neq; enim pernicibus alis,
Humano sed te potius de semine cretum:
Quisquis es, auguror, haud nostra rationis inanem.
Nec tamen agnosco, corpusne, an corporis expers,
Quicquid id est, sese liquidas super efferat auras.
Quales sæpe hominum mentes, animiq; volucres
Corporis in terris terrena mole relicta
Tollunt se, & superi peragrant confinia cæli
Summa leues, celsáque diu regione fruuntur.
Quis verò ille adeò felix cui contigit vni
Longè alios supra sese alite tollere sensu,
Rimariq; acie nostros fugientia visus,
Sanctáq; cælestum penitus penetralia adire,
Et cæli insueto libare è fontibus haustu?
Quid fuerit vasti longe ante exordia mundi,
Omnia quo constent, quo cuncta auctore creata,
Quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ ventura sequentur.
Mira quidem hæc. nā cuncta sibi iam redditus ales
Ore canit, nostrosq; velit super æthera sensus,
Insolitas rumpens voces, insueta locutus.

Vt verbum omnipotens, dictu mirabile verbum,
Illapsum cælo morituros corporis artus
Induerit Deus, & nostris habitarit in oris,
Factus homo, illius decus, & facta inclyta testes
Vidimus, illius, inquit, uti stellantis Olympi
Rege sati, omnipotens, non enarrabile verbum
Vidimus, ac veros geniti attrectauimus artus,
Gratia cui comes, & nudi vis plurima veri.
Quis canat hæc nisi diuino qui numine plenus,
Cuiue olim rege ipse satus radiantis Olympi
Eximio præsens eadem instillarit amore?
Quis canat hæc nisi Ioãnes quem maximus heros
Vnigena in terris socium sibi pectore toto
Iunxit, præq; aliis miro dilexit amore,
Atq; vnum erudijt, superúmq; arcana retexit!
Ales, Ioannes tu certè, ille inclytus ales,
Alta petens sensu, celiq; abstrusa recludens.
Felix, è tali cui talia plurima fonte
Haurire, & largo perdiscere contigit haustu!
Felix, quem tanto sancti rex atheris ipse est
Complexus præsens mortali in corpore amore,
Et iuuenem iuuenis dilexit, amicus amicum!
Non genus ista tibi præclarum, aut vlla parentum
Nobilitas dedit, exigua Bessaide creto,
Ars vbi erat tibi per ripas muscosa secundum
Flumina deceptos in retia trudere pisces.
Is tamen vnus eras generosis omnibus illi
Posthabitis, cui præcipuo indulgeret amore,
Quiq; parem sibi responderes gratus amorem.

Dulcis amor, dulces animi super omnia curæ,
Peradulces nexus amborum, & amabilis ardor.
Quænam mente reor tum gaudia vestra fuisse
Mutua, quásve vices flagrantis pectora amoris
Vtraque, quàm dulces subter præcordia flammas?
Te tamen ô certè felicem térque beatum,
Euenit cui talis amor, cui qualis amicus
Nusquam aliàs inter mortalia corpora visus,
Gratus luce magis, vel sidere pulcrior aureo!
Aspiceres quoties oculos pulcherrimáque ora,
Insolitúmque decus, totóque in corpore honores
Diuinos, visu dulcem iaculantis amorem,
An poteras totis non exarsisse medullis?
Audires quoties voces & verba loquentis,
Diuinas iuuenis voces, diuináque verba,
Lætitiam æthereæ instillantia mentibus aulæ,
An poteras totis non delicuisse medullis?
O' certe te felicem quater atque beatum,
Cui se talis amans, soboles æterna Parentis
Æterni interdum est solitus committere seorsum
Omnibus ab caris, totóque affarier vnum,
Inq; omneis socium curarum admittere casus,
Et tibi diuinos animi concredere sensus!
Testis eras cùm cælestem clàm sæpe parentem
Affatus miras hauriret ab æthere voces,
Interdúmque suas diuino redderet ore
Illustris radijs, & clara luce coruscus,
Confessusq; Deum se toto corpore verso.
O' quoties illum supra radiantia cæli

Lum à

Lumina fulgentem Solis septempli e luce
Miratus subitis fulgoribus expauisti!
O' quoties rupto velut acta tonitrua cælo
Territus ad voces diuinas contremuisti!
Ipse tibi placidis firmabat pectora dictis,
Arcebátque metus iuuenili vinctus amore,
Consilia æterni referans æterna Parentis.
Cúmque alios omneis sua per vestigia cælum
Ingressos perimi sit funere passus acerbo,
Vnum te ferro exemit plagisq; cruentis,
Annis qui placida centum actis morte iaceret:
Si tamen absumpto defunctus corpore obisti.
Nam perhibent vulgò comperto corpore nusquam,
Degere adhuc vitam Syriæ felicibus hortis,
Nec te posse mori, donec flammantibus auris
Vndique supremos mundus considat in ignes.
Atque ideo immitis cùm te vis effera regis
Vreret impositum gremio exultantis aheni,
Nil æstus nocuit flammis stridentis oliui,
Molliter vnde vnctus tantùm, haud exustus abisti.
Nec tibi supplicio exilium fuit: æquore vasto
Inclusus siluas, & inhospita litora circum
Ibas, ac veteres repetebas carmine amores,
Atque Deo plenus folijs inscripta notabas,
Quæ ventura forent labenti sæcula mundo
Clara vidēs, sed cuncta tegens obducta sub vmbras
Sublustri tamen è nebula vndiq; tralucebant.
At non passus amor, tibi erat qui plurimus oris
Aetbereis, pelagi arceri te semper ab vndis

Exsto

Extorrem, merita sublato morte tyranno
Redditus in patriam, vivis gaudia terris
Quanta repentè refers? tunc ad tua vota precésque
Fama canit nuper defunctos munere vitæ
Aëreas blandi rediisse ad luminis oras:
Et tibi plus heros deuinctus amore rependit,
Quã pro te ac pro fratre Parẽs malè cauta poposcit.
Ille etiam tibi supremo sub funere pendens,
Vt poterat, solitum ex oculis respondit amorem,
Et tibi dilectam genitricem credidit vni,
Dulcibus extremum verbis affatus vtrunque,
Illa tibi vt genitrix, illi vt tu filius esses
Pro sese post-hinc, dum in terris vita maneret.
Tantus amor, tãto cumulatum liquit honore.
Tantum in te potuit supremum munus amici,
Ne tibi quam velles tæda sociare iugali
Ignarúsque expérsque tori, dum visus in orbe es.
Scilicet addecuit custodem virginis esse
Qui neque connubia, Veneris neque munera nosset.
Sanctior intus amor, fax gratior intus edebat
Noctes atque dies veniens illius ab ore,
Qui cælum vultu tempestatésque serenat,
Sole oriente recens, vel Eoo pulchrior astro.
Antè ferunt hesterno etiam te vespere amico
Incubuisse sinu, somno ac mœrore grauatum,
Cui positus caput hærebas, sublimia cæli
Arcana hinc sensúsque Deum traxisse per omnes.
Hic tibi præcipuè diuini pabula amoris
Largius hausta reor, quæ verbis te inde iuuabat.

Suaui

Suaui dictis latè mortales spargere in omneis.
Nil nisi prædulcem, quæcunque effatus, amorem
Ore loquebaris: tibi erat tibi dulcis in ore
Semper amor: blandum spirabas semper amorem:
Mutua concilians hominum fera pectora dictis
Inter se, placidaque; ferens bona semina pacis:
Vnus pacifici sator atque hortator amoris,
Vnus amans, vnum nil curans præter amorem.
Omnia amor tibi: viuus adhuc in corde vigebat
Priscus enim calor ille Deo abscedente relictus.
Viuus adhuc residebat amans in sensibus heros,
Et veterem innexus cordi integrabat amorem.
Ac veluti vt saxis liquefactis plurima fornax
Incensa est, longóque ardens incanduit æstu,
Materies subducta licet sit, pabuláque igni,
Ignis adhuc tamen intus inest, & flamma supernè
Luxuriat, viuaxque diu furit ardor ad auras.
Felices ô mortales, si mutua sese
Coniuncti pariter nullo discrimine amarent,
Inque vicem mites animis sine fraude fouerent!
Aurea conuersis irent noua sæcula rebus.
Nil cuiquam desit nec opum vlli defuat vber:
Diuitiæ fluerent vulgo: omnes omnia haberent.
Quãdoquidẽ vnũ animis omnes cõcordibus essent.
Auri dira fames, & habendi sacra cupido,
Fraudésque, insidiæque, & fur a latentia abessent.
Omnibus vna etenim lætandi causa dolendique,
Esset & vna salus, vnum & commune periclum,
Et labor, & la is acceda gl ria rebus.

Tot

Tot curis hominum careat genus: omnibus omnia
Tuta forent: degant sine vi, sine cadibus æuum
Mortales securi, altáque in pace quiescant,
Et paßim pleno fluat aurea copia cornu.
Hi fructus, placidi sunt hæc commercia amoris:
Aureus hic hominum generi omnia sufficit vnus:
Hoc vno sumus, hoc orimur, hoc viuimus vno:
Vnus amor nobis præsentem numinis auram
Conciliat: quin ipse fauor, quin gratia & ipsa
Qua fruimur, qua nos sibi iungit numen amicum,
Lustratósque iterum qua nos in pristina reddit,
Nil nisi amor pius est. ipsum quoque denique numen
Est amor ille Deus, Deus ille affusus vbique
Regnat amor, cælúmque mouet, terrásque, fretúmque
Omnipotēs, requies hominum, superûmque voluptas.
Talia suauiloquo per gentes ore canebas,
Omnibus inque locis miscebas pocula amoris,
Omnia demulcens: discebant omnia amare:
Omnia largiflua dulcedine distillabant.
Cùm verò solus sola sub nocte relictus
Errares, vbi corda sopor mortalia soluit,
Nulla quies animo tibi erat: sub pectore semper
Versabas quali fueris deiectus amico,
Et dulces nūquam insomni discedere curæ.
Illum absens oculis absentem cernere coràm
Vsque videbaris, blandósque agnoscere vultus,
Optatósque oculos, & grata frontis honores,
Cuius ab aspectu iucundo lumine caßi
Sæpe resurgebant repetitas lucis in auras.

Vsque videbaris dulces haurire loquelas,
Cuius ab eloquio iam vitæ munere functi
Sæpe resurgebant in blandas luminis oras,
Atque iterum dulcis visebant limina lucis:
Vsque animo tibi fixus erat, tibi dulcis imago
Ante oculos, blandum obuersari nomen ad aures,
Quo superi cœtus, atque omnis curia cæli
Audito lætantur, & infera regna tremiscunt.
Illum per nemora & siluas, perque alta canebas
Littora, & in solis per noctem montibus ibas.
Reddebant valles tibi IESON, *vndique* IESON
Saxa resultabant: iterabant omnia IESON.
Hac placidam semper duxti per munera vitam,
Dulce querens, dulci fallens ingrata querela
Tempora, confectus donec membra ægra senecta
Corpore paulatim absumpto lux sola remansti,
Et sonus, in nostras qui nunc quoque laberis aures.
Huc ades ô, seu te iam functum corpore cæli
Regia habet, seu viuus adhuc spiransque sub auris
Felices Arabum saltus & amœna peragras
Rura canens, felix vtcunque, vtcunque beatus,
Huc ades, & præsens te sensibus insere nostris.
Te reserante acie nostros superantia captus
Cernamus, quæ tu Aegæis vallatus ab vndis
Obscuris vera obducens ventura canebas,
Atque Deum colere, & nos assuescamus amare
Mutua te monstrante, piúmque bibamus amorem.

DIVO ANDREAE Apoſtolo.

QVam Veteres nulla arte tuo de nomine dictam
Cælicolûm regi quondam poſuere parentes,
Labentem, victámque ſitu renouauimus ædem
Andrea tibi, conſpicuóque poliuimus ære,
Marmoréque è niueo candentem ereximus aram.
Huc quicquid nobis bellum exitiale reliquit
Contulimus tibi nec pro tempore rebus egenis
Defuimus. ſi fortuna foret illa prioris
Copia nunc, nec opes, noſtras fera bella tuliſſent,
Forſitan hic lento templi quoque plurimus auro
Fulgeret tholus, & rigui plebs læta Ticengi
Diues te dignos aris inferret honores.
Illa Deum te poſt vnum veneratur, & omnem
In te ſpem locat. iratum tu ſæpè tonantem
Concilias nobis, & iuſtæ te obijcis iræ.
Quandoquidem nihil omnipotens non annuit vltrò
Deuinctus tibi, nil veteri non donat amori:
Quæq; olim in terris fuerat tibi gratia viuo,
Hæc eadem te conſequitur cæli arce receptum,
Cæleſtúmque choros inter ſpectabilis omnes
Incedis bis ſex procerum non vltimus vnus,
Quos Deus humanos indutus corporis artus
Subiunxit ſibi delectos ex omnibus vnos,
Retiáque, & piſces, & flumina linquere iuſſit.
Fortunati omnes vobis pro retibus hamiſq;,
Aet'ereus vigor eſt menti diuinitus altæ
Additus, vnde animas hominum pro piſcibus ipſas
Venari

Venari datur, & superûm coniungere regi,
Ad superosq; aperire viam mortalibus ægris:
Piscosis pro fluminibus, pro fluctibus alti
Aequoris, ætherei vobis data regia cœli,
Ventorum flabra unde absunt violenta, nec ulla
Tempestas metuenda, feri neq; prælia ponti:
Sed placida & sine fine quies, secura voluptas,
Votaq; plena, omnisq; animi exempta cupido est.
Iam quid enim cupiant æterna luce fruentes,
Atq; bonis saturati omnes, & sorte beati
Quisq; sua, dulci complexi mutua amore?
Sed vos præcipuo pater insigniuit honore
Omnipotens longè ante alios, quos scilicet omneis
Cùm suprema dies perituro illuxerit orbi,
Atq; iterum Natum cœlo demiserit alto,
Arbiter ut vitas hominumq; & crimina quærat,
Addet ei arbitrij socios, bis sena sedentes
Vos solia accipient bis senos ardua: ibi omnis
Vos tremet, atq; metu mussans venerabitur orbis.
Fortunate, domus sub tecto pauperis ortus
Craticeo ad patrias pauper Bessaidos undas
Piscator, tu sublimi conspectus honore,
Iudicis æterni lateri subiunctus amico
Hærebis, neq; te sociorum ante iuerit alter
Post fratrem, quem præfecit mortalibus olim
Arbiter ipse heros, terrasq; hominesq; relinquens:
Tu prior accesti diuina voce vocatus
Ad lucem, verumq; datum est tibi cernere lumen
Ante alios, Petrus ipse tua est pòst voce secutus.

Fortunate, datum est tibi cæli cernere regem
Mortali, & sanctos manibus mortalibus artus
Tangere: tum veras voces diuinaq; verba
Haurire, & socijs toties accumbere mensis.
O ego tunc illas cur non sum natus ad vndas
Piscator! quos non hamos, quæ non caua lætus
Retia liquissem, & lembum, & cum flumine pisces,
Nassasq;, cratesq;, & vimineos calathiscos,
Et tectũ, & patriã, & caros, me deniq; & ipsum?
Omnibus adijciens hæsissem protinus vni,
Omnia qui superat, quiq; omnibus est satis vnus:
Quẽ qui habet, oĩa habet, nulliusq; indig⁹ vltrà est:
Qua tu præsagi sensisti pectoris haustu.
Omnia despexti, præq; vno nil ratus esse
Cætera flagrabas ardenti vnius amore.
Illum animo suspirabas noctesq; diesq;,
Et dulcem cupido pascebas pectore curam,
Præcipuè postquam moriens terrena reliquit
Sponte sua, & nostram deleuit sanguine labem.
Protinus æthereæ afflatus diuinitus aura
Cum socijs, miroq; animum inflammatus amore,
Quos casus, quæ non discrimina sponte subisti
Intrepidus, totum quò ferres facta per orbem
Illius, & sanctas vulgares vndiq; leges,
Mortalesq; nouo lustrares luminis ortu?
Cumq; alias alius purgandas isset ad oras,
Cura tibi Scythiæ cecidit concredita sorti:
Quam postquam insolitæ recreasti lumine lucis,
Atq; omnem factis implesti ingentibus oram.

Græcia

Graecia restabat diuinae imperuia luci,
Dum nimium freta humanis sese artibus effert,
Nec cedit nisi fallaci ratione subacta,
Diuinaeq́ potestati nihil arrogat vltrò,
Quae sensus hominum longè prauertitur aegros,
Et refugit tardos animorum obnubila captus.
Protinus Argolicas perrexti gnauus ad vrbes.
Nec te vlla tenuere morae, quòd multa piorum
Corpora missa neci Danais acceperis oris,
Praesidis Argiui inuidia caecoq́ furore.
Vt faciles omnis tibi Achaia praebuit aures,
Audijt vt mira rerum nouitate loquentem,
Atq; animis verum lucemq́ volentibus hausit.
Impie quid furis AEgaea, luciq́ repugnas?
Téne putas posse illustres abscondere caeli
Auricomi flammas, ipsumq́ extinguere Solem
Vndantem luce, ac toto res orbe rigantem?
Forsitan humentem nebulam proflare, breuemq́
Obsessis poteris radijs obtendere nubem.
Erumpet lux, erumpet rutilantibus auris
Lampas, & auriflua face nubila differet omnia.
Nempe pium nihil obstantem, nulla arma mouētem
Pro se vim contra, sed mortis amore ruentem
Optata infando potuisti perdere letho
Efferus: at clarum vis nulla extinguere nomen
Eualeat, quod per populos magno ore sonabat:
Sed quò tu magis obstabas, hòc latius illud
Serpebat, penitusq́ animis haerebat adactum.
Id potuere, quibus praeeras, ostendere Patrae:

Felices Patres, quibus almam cernere lucem
Hoc monstrante datum, & certam sperare salutem
Pignore tam certo! quis enim non se eximat vltrò
Protinus abruptis, si detur copia, vinclis?
Sed tibi dulce senex (etenim ad te sancte reuertor)
Vilem per mortes omneis effundere vitam
Pro duce qui sese nostra ob commissa necandum
Obtulit, infamiq; trabi suffixus obiuit.
Quod mortis genus efferres cùm multus ad astra
Laudibus, & nostram hinc caneres prodisse salutē,
Supplicio obsequium simulans te affecit eodem
Impius, ingentiq; parem dedit esse magistro.
Te poteras tam crudeli subducere morti,
Cùm subitò tota vrbe ruens manus omnis in arma
Arsisset, diriq; faces in tecta tulissent
Praesidis, insonti tibi ni vincla arcta leuasset.
Tu vitae magno aeternae correptus amore
Mortalem optabas quamprimùm effundere vitam.
Atque ideo tendens exutas vincula palmas
Obuius orabas populum pietate furentem
Ne faceret, studio tibi ne malè amicus obesset,
Ne prope iam partum eriperet sub fine triumphum.
Atque adeò saeuis qui tempestatibus actus
Per maria Arcturi dubio sub sidere iniqui,
Siquibus impegit ventorum munere tandem
Littoribus, cumulosq; ratem subiecit arenae,
Non tam auido siccum arripiat telluris amore,
Quàm tu tunc procul aspiciens feralia ligni
Brachia flagrabas: miraq; cupidine captus,

Impat

Impatiensq́ mora orabas dispendia tolli:
Vtq́ obiturus olor moriens insueta canebas,
Et dulcem amplectens inhiabas pectore truncum.
Vt te conspicio, vt te animo Crux alma volenti
Accipio, inscendóque libens, & pectore glisco?
Suscipe me: dignare tuo mea viscera fulcro,
Quæ prius ingentis diuinos hospitis artus
Læta onere insolito felici sede tulisti,
Vnde decus tibi per gentes & gloria parta est.
Nunc ducis ingredior tanti vestigia longè.
Nec fuerit mihi rex tantùm, dum vita manebat.
Me me etiam quanuis longè inferiora secutum
Suscipe, & optato sublatum redde magistro.
Nam veluti angustas duplicis per roboris oras
Vere nouo ingrediens renouat se lubrica serpens:
Sic tua dulce mihi est nunc inter robora molem
Linquere, & exuuias moribundi corporis huius,
Liberiúsque poli volucri petere ardua lapsu.
Hæc repetens robur tandem es sublatus in altum.
Heu nimiùm duros perpessus morte dolores!
Nunc frueris placida felix in sæcula pace.
Salue bis senos inter pater optime patres:
Aspice nos bonus, atq́ tuo nos iunge magistro.

DIVO PAVLO
Apostolo.

ET sunt qui tendant cæli explorare profunda
Consilia, ac penitus tectas deprendere causas,
Nec dubitent in ius propè sacra voce vocare
Regem ipsum cæli, si fortè quid euenit vsquam.

Legibus à nostris quod longè ac moribus absit,
Obductum nube, ac picea caligine opertum?
Non equidem meritis præsentem numinis auram
Assequimur freti nostris: nostriq; labores,
Aut benefacta parum prosint, ni desuper adsit
Auxilium prius & fauor omnipotentis Olympi.
Ecquibus egregiè factis, quo munere Saulus,
Qua pietate Deum sibi conciliauit, vt vltrò
Tam nigra mentis de nocte repentè vocatus
Tam claram in lucem, tantisq; ereptus ab vndis,
Tam tuta pelagi securus in arce sederet?
Ille quidem primis veri contemptor ab annis
Gaudebat Christo infestus se opponere signis,
Ne noua relligio surgens se ferret in auras,
Quam Pater omnipotens tandem mortalibus ægris
Ostendit placitam sibi, prisca nube remota,
Legiferi aduentu Nati, qui cuncta nouaret.
Quoq; magis sancti cultores incumbebant
Hanc veluti eductam struere, atq; attollere cælo,
Atq; recens latas orbi diffundere leges:
Acrius hoc vrgens animis hostilibus ille
Omnia deturbare, pijsq; obsistere cœptis:
Tantus amor patrias inerat defendere leges.
Ille etiam cùm penè puer pubescere primùm
Inciperet, molliq; genas vestire iuuenta,
Sacrilegis sese adiunxit, socia arma secutus,
Dum Solymi insontem saxorum grandine dira
Obruerent iuuenem, qui primus sanguine fuso
Post cæli indigno multatum funere regem

Purpurea meruit caput insignire corona.
Nec dehinc ille etiam crescens iuuenilibus annis
Destitit incœpto: vsq; pijs minus æquus, ad vnum
Omnibus intentans lethum, genus omne perosus:
Donec præcipitem altitonans, & ad ima ruentem
Suscepit Pater, eximioq; euexit honore.
Prò cæli obscuras latebras noctemq; profundam!
Sensibus à nostris quantum summata recedunt!
Cælicolûm arbitria & sortes, abstrusaq; iura
Iuribus humanis quanto discrimine abhorrent!
Omnibus horror erat Saulus meliora secutis,
Cæde madens multa (infandum) plenusq; minarũ,
Terrorumq; potens Solymûm sæuibat in oris.
Fortè olim missus primorum gentis ab vrbe
Arduus ibat equo, galea cristisq; superbus,
Ense minax hastaq;, & ahena luce coruscus.
Haud impunè olli quisquam pius obuius isset:
Quippe magistratus iussu discrimine nullo
Correptos omneis atrox in vincla petebat,
Quos pietas noua relligioq; incœpta tenebat.
Iamq; aduectus erat prope opima antiqua Damasci
Mœnia, iam summas spectans de vertice turres,
Et iam se cædi spirans immane parabat
Terribiles acuens animos, irasq; manusq;:
Qualis nocte lupus, quem dudum insana libido
Faucibus errantem siccis exercet edendi,
Cùm caulas videt, & balatus haud procul audit,
Incassum fremit, ac rictus frustratur hiantes.
Protinus ætherea superûm regnator ab arce

(Qui cæli tantus fauor?) hæc ſpeculatus, amico
Lumine reſpexit iuuenem in ſua damna ruentem,
Suppoſuitq; manum dexter, mentémq; benignam
Concipiens in eum, præſenti numine fouit.
Nanq; improuiſò vibratus fulgor ab æthra
Tendenti venit ecce repens, & luminis aura
Afflatum ætherea lux plurima circunfulſit.
Ilicet actus equo ad terram ruit, atque relictis
Calce petens auras iacuit reſupinus habenis.
Audijt hinc vocē horrificā. quid Saule? quid vltrà,
Saule, furis, mihiq; aduerſis opponere caſtris?
Nequicquam cælo arma moues, ſtimulóq; repugnas.
Saulus ad hæc tenebris ſuſtollens lumina obortis
Quæſiuit lucem fruſtrà, extimuitq; negata.
Demum hæc ſummiſſo vix hiſcens pectore fatur,
Sancte edice: mones quæcunq; ego iuſſa capeſſam.
Vix ea, cùm volucres vox rurſum audita per auras,
Surge age, ſolue metus, vrbi ſuccede propinquæ:
Hinc reſponſa feres quæ porrò obeunda tibi inſtent,
Qui te hæc dehinc maneant pro relligione labores.
Quæ pariter comitum iuxtà manus audijt omnis.
Obſtupuere viri: nam vox veniebat ad aures
Omnibus hauſta quidem: ſed vocis cominus auctor
Nuſquam apparebat vocalibus additus auris.
Vix ægrè ſeſe attollens ſurrexit, iterq;
Ingrediens fruſtrà tenebris tentauit in atris.
Lapſantem, & dubios nitenti cuſpide greſſus
Firmantem, manibus ſocij intra mœnia ducunt.
Iam treis in tenebris exegerat vrbe receptus

Et frugum & laticum penitus sine munere soles,
Cùm subitò Ananias (quo non seruantior æqui
Tunc illa Vrbe fuit, nec cælo gratior alter)
Hospitis antiqui penetrali in sede iacenti
Improuisus adest, iußis cælestibus actus,
Compellatq; virum, & diuino pignore firmat.
Saule, ades huc animo: tibi amico ab numine veni
Luminis amißi iucunda vt luce recepta,
Desuper afferis cæli omnipotentibus auris.
Haud ignota audis: eadem scio: nam modò qui me
Huc adigit, tibi detexit manifestius idem.
Ille tuos etiam mihi porrò ostendit honores,
Quanta tuæ faueat cæli indulgentia laudi,
Quàm iunctus Superûm sis regi, præ omnibus vnus
Delectus iam qui totum noua sacra per orbem
Diuulges verborum opifex, vberrimus oris.
Quæ furijs modò carpebas agitatus iniquis,
Omnibus hæc propter caput obiectare periclis
Haud renues, vltroq; insigni occumbere letho.
Hæc fatus liquida accuruum lustrauit in vnda,
Vnde animis scelus eluitur, veterumq; parentum
Crimine contractæ excedunt contagia labis.
Inde manum superimposuit, templisq; sacratis
Præposuit, populisq; ducem dedit esse docendis.
Intereà afflato visi caua lumina circum
Scintillare ignes, velutiq; erumpere ahenæ
Squamæ oculis, lucemq; hausit, visusq; recepit,
Atq; suæ victu rediere in pristina vires.
Continuò Saulo planè mutatus ab illo,

Qui modò vbiq; pios ferro vinclisq; petebat,
Longè alios verso accepit cum nomine sensus.
Et iam Paulus erat, subitò illi copia fandi,
Verborum rerumq; potens prudentia venit,
Orta magis studio quàm aut vllo parta labore.
Iam claros hominum fandi fabricator adibat
Conuentus, medioq; foro diuina loquutus
Pendentem populum insueto sermone tenebat,
Semine ab æthereo terris venisse virum, quem
Venturum toties vates cecinere per orbem,
Quò veterum lueret scelus exitiale parentum
Proditus, & læsum placaret sanguine numen
Ipse suo, morti pro cunctis deditus vnus.
Atq; hæc crebra quidē, populosq; ad sacra vocabat,
Multa querens super extincto, super arbore multa
Infami, & pœnas fando integrabat acerbas.
Obstupuere omnes, nimiumq; ea mira videri,
Vnde noua hæc species, tam versa repentè cupido,
Et veterem in Pauli quærebant pectore Saulum:
Haud aliter suadente fame implacabilis ingens
Exitium pecori modò qui cædemq; parabat,
Ille lupus, pleno si forte receptus ouili
Mitescat, iamq; inter oues innoxius erret,
Et pauidos lambat, linguaq; remulceat agnos.
Nec mora iam Solymum magna quoq; redditus vrbi
Commouit totam monstris ingentibus oram.
Vix oculis credunt: nec primùm fiditur illi.
Insidiasq; pij metuunt: vix ducere amicum
Possunt, quem tot erant experti cædibus hostem.

Parte alia patrijs trepidi pro legibus omnes
Concurrunt Vrbis primi, duriq; resistunt,
Et se certatim contra exhortantur ad arma.
Bella cient, & saxa fremunt, rapit arma iuuentus.
Ille autem nullis ve minis nullis ve periclis
Territus, inceptis perstat, nec flectitur vsquam.
Quóve magis pugnant acres, hòc amplius ore
Fulminat, atq; aperit vetiti noua lumina veri,
Præfatus sanctus nil se conuellere leges,
Sed legum arcanos penitus recludere sensus,
Amotisq; palàm nebulis ostendere Solem.
Dum loquitur, circum ora silent, & sensibus imis
Illapsus faciles animos, ac mollia fando
Fingit corda premens, viuaq; loquentis ab ore
Visa exire faces, labrisq; erumpere flamma,
Et vibrans rupto velut æthere lingua tonare.
Iamq; Palæstinam monitis impleuerat oram,
Atq; omnes genus Isacidum quas incolit vrbes,
Cornigeri degens sub vatis legibus æuum,
Cùm Pater omnipotens templi in penetralibus altis
Astitit oranti, atq; alias quoq; luce carentes
Iussit adire plagas, aliasq; capessere gentes,
Barbaricas Graiasq;, Italoq; à sanguine cretas,
Quas coleret, lucisq; noua splendore rigaret,
Nil veritus, fidens nil se præsente timeret.
Ergo animi intrepidus nil ille horrebat acerbi,
Omneis per mortes mente imperterritus ibat
Sponte sua. quas ærumnas, quos mente labores
Inuicta tulit, huc illuc, terraq; mariq;

Iacta

Iactatus? non ille dapis, non ille quietis
Aut somni memor instabat, placitoq; labori
Indulgere odijs primorum obiectus iniquis.
Ille etiam insidias muro demissus ab alto
Per funem euasit, nocti & se credidit atra.
Ille etiam saxis quoties iactante petitus
Plebe tulit diros lapidum sub grandine iactus?
Terq; magistratus Virgis per compita sectus
Comtempsitq; minas, ignominiaq; pudenda
Verbera, diuini facibus succensus amoris.
Iamq; illi carcer requies erat, Vsqueadeo omnes
Pertulerat lethi securus Vincla per Vrbes.
Quid referam quoties Veluti contagia secum
Dira ferens fuerit muris exclusus, & atra
Nocte graues tulerit cæli intractabilis iras,
Inter saxa iacens pernox, sociusq; ferarum
Montibus aut gelidis, aut horriferis speluncis?
Flumina non illum ab studio terrentibus Vndis,
Aut obiecta feri tardarunt æquora ponti,
Terq; mari in medio fracta rate nauit, & haustus
Noctem omnem, totumq; diem sub gurgitis imo
Deerrauit lethi paruo discrimine fundo,
Vt sileam insidiasq; hominum, incursusq; ferarum,
Et quæ mille die non parua pericula adiuit,
His illic quò mortales in nocte iacentes
Obscura erigeret bonus, in lucemq; Vocaret,
Palantesq; proculq; errantes tramite recto
Inueheret cælo sibi per diuortia nota.
Cernere erat latè hic illic per regna, per Vrbes,

Atq;

Atq; hos atq; illos ad veræ surgere lucis
Lumina, lustrariq; undis, & credere dictis.
Felices, Paulum magno quibus ore tonantem,
Mulcentemq; iras, inuictaq; corda prementem,
Coràm audisse datũ est! quãtus scelera impia fando
Inuectus quateret, quantis assurgeret undis,
Vel cùm rege satum Superûm omnipotente referret
Morte sua nostris ultrò cauisse periclis!
Quanta animos mœsti afficeret dulcedine amoris
Egregius linguæ, fœcundo pectore veri;
Quantóve ipse loquens intus flagraret amore!
Frustrà eadem seri optabunt vidisse nepotes,
Et votis hoc in summis numerabitur unum.
Iamq; ea Graiugenûm regnabat lingua per urbes
Altitonans, victrixq; animos ducebat hiantes.
Iamq; nouis Asiam sacris permouerat omnem,
Resq; illi externis melius successit in oris,
Verus ubi penitus Deus omnipotentis Olympi
Rex ignotus erat, sed dijs simulata colebant
Saxa hominum multo manuum fabricata labore,
Iamq; opibus quondam Romæ suspecta Corinthus
Penè omnis nutare, suæ & diffisa Dianæ
Alta Ephesus, celebri paulatim absistere templo,
Mirataq; virum doctæ narrantur Athenæ
Orantem, ignotiq; Dei noua sacra canentem,
Carmine quo capti è primoribus Actæorum
Nonnulli ad verum properarunt surgere lumen,
Signorum memores quæ quondam maxima Sole
Viderunt nulla cæli ratione subacto,

Cernere

Cernere dum piget æterni fera funera regis.
His actis venit in mentem Solyma alta redire,
Quanuis multa palàm vatum responsa minentur.
Vinculaq; ipse sibi vulgò canat inde, futurumq;
Exitum, sua nec Graijs vltrà ora videnda.
Hic circunfusi nequicquam plurima amici
Orabant, fletuq; amplexi genua tenebant,
Parceret, infensa ne se committeret vrbi
Rursus, vbi nuper perpessu haud mollia passus.
Ille autem precibus nequicquam flectitur illis,
Cœptum tendit iter: nec quæ tulit aspera quondam,
Nunc subeunt, sed quò grauiora instare pericla
Sentit, eò maior semper furit ardor eundi:
Qualis nocturni pingues ad luminis ignes
Plurimus illectus volitans fert tangere flammam
Iucundam visu, propiusq; accedere lucem,
Vsq; sibi admotam licet experiatur iniquam,
Vrat & extremas in amatis ignibus alas:
Non tamen absistit ludo: sed lumina circum
Itq; reditq;, vagoq; assultat plurima gyro,
Dum cadat, & moriens crepitanti pendeat igne:
Tantus amor lucis, flammæ tam dira cupido.
Talis abire fuga, Paule, imperterritus ardes.
Nulla quies animo: non mentem horrentia vatum
Dicta mouent, caliq; minæ, quæq; ipse videbas
Præscius Isacidum tibi tendi vincula in oris
Primorum scelere, inuidia flagrantis Idumes:
Deniq; Romulea portendi funera in vrbe.
Noctes atq; dies optanti pectore versas,

Instent

Instent quanta tibi capto discrimina terra,
Quanta mari, Ausonias ibis cùm vinctus ad Vrbes,
Littora Graiorum subeunt relegenda, tot ora,
Tot maria, atq; Vrbes, pelagoq; tot insula in alto,
Bellaq; ventorum, tempestatesq; futura.
Italia tandem portus, Laviniaq; arva,
Et pulcher Tybris. tibi enim super omnia in ipsis
Roma oculis, dirusq; Nero est, & Romulus ensis.
Felix Roma ducum non tantum elata trophais,
Quantum morte tua, feliciq; inclyta busto.
Scilicet huic vni calum concesserat Vrbi
Vt Cilicas inter natus Perseide Tarso,
Quam vastum procul à nostris mare dividit oris,
Hic spolijs moriens peteres supera alta relictis:
Illa tuos obitus vidit miserata cadentem,
Explentem regis crudeles sanguine pœnas,
Regis inhumani, materna cæde madentis.
Illa tuum vidit caput à ceruice recisum,
Dum caderet, resilire icta ter pondere terra,
Atq; sölum vndanti toties signasse cruore,
Ad signum subitos laticum erupisse liquores,
Tresq; adeò (vt fama est) secretos margine fontis
Dissiluisse, noua & maduisse aspergine terram.
Nunc etiam sanctas venerati visimus vndas,
Teq; illi socium donis & honoribus addunt
Vsq; parem, cui Rex cali mortalia linquens
Credidit arbitrium, ac rerum commisit habenas,
Vtq; tibi consors fuit hic necis atq; laborum,
Sic ara, sic sacrorum tibi iunctus honore est.

Ossaq;

Ossaq; vestra tegit pariter commune sepulcrum.
Vos ambos pariter iuuat alta mœnia Romæ
Tutari, atq; Italas studijs consortibus vrbes.
Tu regis Superûm interpres lectißimus vnus
Ante alios, vatumq; potens, orbisq; magister
Terrarum, edocta tibi debent vndiq; gentes,
Acceptamq; ferunt veram tibi sæcula lucem.
Ipsi bisseni, rerum queis credita cura,
Mirati proceres te mira arcana canentem,
Linquentem terras, atq; æthera voce sequentem,
Inter quos ipsum qui sese primus agebat,
Cùm veri species deceptus tramite recto
Digrediens dubia inciperet regione vagari,
Corripere, in meliusq; ausus reuocare magistrũ es.
Tu falso Argolicæ delusum numine pectus
Virginis, atq; illam rabido actam sæpe furore
Sedasti, veroq; implesti numine versam.
Tu falsum magicis vatem artibus illudentem,
Et tibi nequicquam verbis certare parentem
Obtutu solo terres, & lumen obortis
Victo adimis tenebris, cæcumq; in nocte relinquis,
Quærentem tenues manibus prensantibus auras,
Quo nitens trepida regeret vestigia dextra.
Vnus amor tibi fixus erat, cura vna sepultas
Nocte animas reuocare noua ad noua lumina lucis.
Vtq; nouam semper traheres ad retia prædam,
Omnibus omnia eras, tu ciuis ciuibus ipsis,
Inter & externos externi verba sonabas.
Romanis Romanus eras, Argiuus Achiuis,

Omnes

Omnes obſequio, ſimulatis moribus omnes
Concilians. ſic credentem circumuenit auceps,
Et volucrem ficta deludit imagine vocis.
Nemo adeò varuis Gallorum in ſaltibus olim
Venatu aßiduo indulgens tot retibus apros
Implicat, aut canibus tot agit de vertice capros,
Quot tu hominũ tibi corda die deuincta trahebas.
Tu lupus ille die primo naſcentis in ortu
Cæde madens toto multum graſſatus ouili,
Veſpere dein prædam ſocios partitus in omnes,
Bißenûm vt procerum moriens pater ipſe minori
Prædixit nato, vnde tibi deſcendit origo.
Iam tunc ille tuos ſpe percipiebat honores,
Quæ ſecum tulit ad manes ſolatia lethi.
Quos verò ſemel illectos ſub ſigna vocaras,
Hærebant validis tibi iuncti nexibus vſque,
Certi animo te ardente ſequi, quocunque iuberes.
Illi etiam, quò liberius cæleſtia obirent
Mente, alacres rebus ſpretis mortalibus agros
Vendebant, pratiumq; tuos ad grande ferebant
Ante pedes, tecum læti omnes rebus egenis.
Tu verò placita tibi paupertate fluebas
Tecum diues opum, rerum licet omninm egenus,
Atque inopum potius vertebas omnia in vſus,
Et tibi dulce famem manuum tolerare labore.
Per populos ideo greſſum quocunque ferebas,
Ceu lux gratus eras, & magni numinis inſtar,
Digredientem ægrè ſemper dimittere ciues
Cum gnatis q; , domóque ad littora curua ſequuti

Mutuaq; amplexi, noctemq; diémque morati,
Hærebant, totóque erat ingens littore fletus,
Remiuagamq; ratem, quo fluctibus vsq; dabatur,
Spectabant, donec pelago euanesceret alto:
Vixq; inde auelli poterant bona verba precati.
Rex etenim omnipotens, quo se noua tolleret astris
Te duce rellıgio, sensusq; vt flectere quires
Spectantum huc illuc, decus ori, oculisq; decoram
Addiderat speciem, diumq; afflarat honorem,
Tecum habitans, intus diffusus pectore toto.
Altiur hinc, maiorq; homine haud mortale sonabas.
Nam tibi sufficere ille animo præsentia semper
Verba niuis ritu, toto cùm ex æthere ningit,
Ille tibi occultam quoque vim inspirare, nec vsquam
Deserere, vt tanto posses superare labori,
Claráq; signa dabat cælo mortalibus, & te
Casibus eripere interdum, varijsq; periclis
Illæsum, vt quondam cum carceris ima teneres,
Nil opis expectans humanæ, protinus ecce
Sub pedibus tota cœpta omnia in vrbe moueri
Ingenti terræmotu, quo cuncta soluta
Vincula parietibus patefactis carceris vltrò:
Olim etiam egressum naui te vipera ab igni
Experrecta petens morsu nihil obfuit acri.
Vipereum hinc patère tibi genus omne, tuosq;
Attrectare ferunt diras impunè colubras.
Ille tuis etiam precibus, quæcunq; petebas,
Annuere, humanis & nunquam viribus ausa
Posse tibi dabat, atq; tuo indulgebat honori.

Hinc

Hinc quibus impositis Vmbrabas tempora palmis.
Protinus afflati cæli diuinitus aura
Tollebant actas ab humo super æthera menteis,
Téq; etiam orabant omnes, quibus ægra iacebant
Corpora: tu miseratus ope auxilióq; leuabas.
Et quoniam haud omneis poteras accitus adire,
Sæpe tuis ipsos operibant Vestibus ægros:
Ad tactum pulsi linquebant corpora morbi.
Tu longo iam depositum languere parentem
Præsidis Ausonij, morbo de corpore abacto,
Seruasti reuocans ad prisca munera Vitæ.
Tu miserum incuruis plantis genua ægra trahentem
Stare iubes, pedibúsq; suis consistere nixum.
Continuò ad Vocem erigitur (mirabile Visu)
Incessus properata ferens Vestigia recto.
Tu puerum insomnis deiectum pariete ab alto,
Quassatúmque artus, crepitantiáq; ossa refractum,
Morte obita luci reddis, flentíq; parenti
Incolumem, Vtíq; prius Valido se robore agentem.
Tu tempestatem cælo multo antè sereno
Prædixti socijs nil tale timentibus augur:
Sed tamen è numero fracta rate defore nullum.
Hæc propter tibi diuinos manus omnis honores
Cùm ferrent, strueréntque aras, & thura pararent,
Tu fugis, inspecto Veluti qui fortè colubro
Horruit, inq; Deum oblatos traducis honores,
Qui mare, qui terras, cælum, æthera, cuncta creauit,
Nos animas Viles, mortalia corpora fassus,
Pulueris exiguam partem, nil tale merentes,

Cuncta accepta refers illi, cui gratia, & omnis
Debetur cui laus, & honos, & gloria soli,
Quem propter tantos gaudebas ferre labores,
Praeq; Vno, Vnius tantum inflammatus amore
Omnia fastidis, cupis hunc, nil caetera curas:
Hunc Vnum tibi cor, tibi mens hunc deperit Vnum,
Quem semel expertus hausisti pectore toto,
Toto animo, tota seclusus corpore mente.
Fortunate animi, quod paucis contigit olim,
Hausisti mortalis adhuc mortalibus oris
Lucis inaccessae iubar, immemorabile lumen.
Illa tibi Viuo sublata nube tueri
Ora datum est, quorum aspectu illustrata beantur
Omnia, quae superae Vix possunt cernere mentes
Alituum caelestum acies, gens incola caeli.
Fortunate animi, quàm dulci pectus amore
Tunc tibi flagrabat! quanta dulcedine! quali
Nectare perfusus praecordia distillabas!
O ego cur illo infelix, si fontibus ista
Praemia erant ipsis, non sum quoq; tempore natus,
Seruatus sterile, extremumq; relictus in auum!
Scita tamen caeli alta latent, penitusq; reposta
Arbitria ad nostros non peruenientia sensus.
Omnia quae te tunc oculis Vidisse putarim,
Haec adeò sunt illa, nefas quae ferre sub auras
Mortali aiebas, sed relligione premenda.
Hinc largum epotus mortali pectore flumen
Hausisti, quo corda rigas, quo plenus inundas.
Hinc largum effulgens mortali lumine lucem
Hausisti, qua corda reples, qua nubila differs.

Et licet omne ipsum vulgo diffundere flumen,
Arcanamq́ tibi vetitum sit prodere lucem:
Attamen ipse adeò torrens fluis vndiq́, vt ad nos
Stillantes veniant transfusim in pectora guttæ,
Eq́ tuo erupti radij de Sole redundent.
Timotheus bibit inde, bibit Titus, inde Philemon,
Et Solymi inprimis hausere, humilisq́ Colossæ,
Cumq́ Epheso, solo nunc nomine clara Corynthus,
Et Galatha, & Macedum populi, Æmatiique
Philippi,
Atq́ potens Latium, ac rerum pulcherrima Roma.
Felices, queis parta tuis ea gloria dictis!
Nunc etiã monimenta manẽt, semperq́ manebũt.
Salue hominũ interpres, lux gentibus addite vbiq́.
Nunc ades, obtentas hominum de cordibus vmbras
Lumine pelle, tua lustrati luce fruamur,
Nec tua quosdam adeò dubios oracula reddant,
In parteisq́ animos varias obnubila raptent,
Ne rem discerpens latè discordia turbet.
Aspice vt hinc illinc studia in contraria passim
Opposita inter se placitis discordibus vrbes
Confligant, sua dum studijs inuenta tueri
Aduersis tendunt, certi non cedere vtrique,
Inq́ suas certent hostes deducere parteis
Conuersos: prò quanta animus discordia glíscit?
Quàm tenui, quàm raptim ingens exorta fauilla
Vndique sedito cælo caput extulit altum
Protinus, & terras regnat bacchata per omnes?
Illinc nos contra totis Germania castris

Inuehitur, veterúmque audet patrum aurea scita
Oblinere, & sanctas dictis euertere leges:
Siue errore nouo capti, tenebrisq; sepulti,
Seu potius scelus est, animisq; volentibus errant.
Nos contrà hinc tegimus priscorum iura, tuisq;
Responsis freti leges tutamur auitas,
Frustramúrque feros, variósque eludimus ictus.
Illis affer opem, tuáque alta edissere sensa.
Ipse ades, atque animis te protinus insere captis,
Vt tandem nebula lucem mirentur abacta.
At nobis, nostris si quicquam moribus obstat,
Si nostris quicquam insynceri mentibus hæsit,
Sit fas diluere, & precibus nos effice & illos
Vnum omnes, simul infusa quò luce fruamur
Vnanimes positis odijs, eadémque fouentes
Lucis inextinctæ iubar, inuiolabile lumen
Quæramus, vitam inhiemus fine carentem.
Intereà pietas ea nos, is mutuus ardor
Tantus edat, quanto te olim flagrare canebas,
Vt cuperes alijs præ lætis omnibus vnus
Æternum miser ipse amplexu atq; ore carere,
Illius ore (ah ne sit fas mihi credere tantum)
Cuius ab aspectu fluit illa immensa voluptas,
Qua saturati animi cælestum in sæcula gaudent.
Hunc tu oro hunc nobis innecte algentibus ignem.
Hæ flammæ nostro viuæ vsq; in pectore alantur,
Dum tua fixi animis depascimur aurea dicta.
Tende preces ideo, nostrisq; occurre periclis.
Ille tibi orandus pro nobis, qui tibi sese

Ostend

Ostendit coràm, tenebrisq́; euoluit ab atris,
Vt, quoniam quos vultu liber damnátve probátve,
Hos acuens, illos permissa nube retundens.
Vt libet, ipse operum dominúsque poténsq; suorum.
Nobis corda sinens non asperet ipse, sed vltrò
Molliat, atq; sua præsens nos subuehat aura.

DIVO PAVLO
Apostolo.

HOc Paule Christi ad optimi diuinitus
Conuerse partes Vida tibi fœnum addicat,
Haud passus obsoleta in æde tuum amplius
Solariolli nomen implorarier,
Places vt iram sæpe læsi numinis.
Id quicquid est tu muneris lubens cape,
Tuo & daterem sub patrocinio tege,
Tuósque ab alto spiritus ei suffice:
Fidei vt sua docere queat accreditos,
Bonúmque cum illis nosse verum & assequi:
Ò doctor orbis, institutor gentium!

DIVIS INFANTIBVS
Beth. innocentibus.

BEat æ animulæ paruuli integelluli,
Quos hausit immanissimi regis furor
Ab vbere abreptos, parentium ab sinu,
Dum perdere simul autumat regno cauens
Incognitum sibi aureum puellulum,
Quem nuntiabat siderum præsentia
Regem vniuersis nuper ortum gentibus,
Vos verè veluti gemmulæ, quas primulo

Adußit albicans pruina primulas,
Aetatulae ipso concidistis flosculo.
Pro illo antè vobis contigit pulchrè mori
Qui pro omnium vita immolandus venerat,
Beatae animulae flosculi caelestium.

DIVO STEPHANO
Protomartyri.

Diis alij laudes alijs & carmina dicant,
Tete ego Sācte puer, qui post fera funera regis
Caelicolûm insignem meruisti morte coronam
Primus, & effuso tinxisti saxa cruore,
Dum iuuenem immerita testaris caede peremptum.
Te Stephane ipse canam: tu, dū mihi vita manebit,
Muneribus, semperq́ue meo celebrabere honore.
Non tua nequicquam Leo mi delubra tuenda
Crediderit pater, atque tuae praefecerit arae.
Huc ades ô, seu felicis te regia caeli
Nunc habet, & superûm regis iuuat ora tueri:
Seu iuuat interdum mortalia visere templa,
Et patrias Solymorum arces lustrare, vbi quondam
Te perhibent sese indigenae vidisse per altas
Iordanis ripas prima sub luce sedentem,
Dum liquido solus sacrum lauis amne cruorem:
Huc ades indigna linquens loca conscia caedis.
Hic tibi digna domus, melior (ne despice) sedes.
Hanc patrio antiqui Ligures in littore molem
Ingentem posuere, tibiq́ue haec templa sacrarunt.
Hic tibi thura calent aeternisq́ue ignibus arae:
Hic patrio de more canunt tua maxima facta.

Alter

Alterniq́; tuas iactant ad sidera laudes.
Ipse audis, tacitusq́; lates, nec cerneris vlli,
Et tibi tranquillam demulcent gaudia mentem.
Huc olim quicunque tuam miser imploratum
Venit opem supplex, voti reus vsq; recessit,
Donaq́; seruati tibi soluunt debita nautæ.
Salue sancte puer, cæli decus, haud tibi quisquam
Cælicolas inter diuos certarit honore.
Tu proceres longè antè omnes, qui sanguine fuso
Ante diem vera pro relligionis amore
Proiecere animas meriti post funera cælum,
Incedis Tyrio chlamidem spectabilis ostro,
Purpureamq́; aciem ducis per lucida Olympi
Atria: ductorem te cuncti sponte sequuntur.
Et tibi præcipuum non inuidet alter honorem.
Nam quis non magno te afflatum numine quōdam
Protinus obstupuit mira atq; insueta loquentem,
Dum patrum intrepidus semper mandata facessis,
Quos olim comitesq́; viæ, sociosq́; laborum
Bissenos numero ipse omni delegerat heros?
Illi etiam tua sæpe adeò tua maxima facta
Mirati stupuere, sacro dum numine plenus
Illa audesq́; potesq́; puer, quæ scilicet æquè
Paucis posse datum est cælo diuinitus antè:
Non vllus potuit tua contra tendere dicta,
Dum canis inuictumq́; ducem sine crimine morti
Demissum, regemq́; ipsum testaris Olympi.
Fortunate puer, tibi sese regia cæli
Omnis, cælicolûmq́; domus patefacta reclusit.

Mortali tibi fas Superûm vidisse parentem
Immensum, ingentem, qualis dijs cernitur vnus,
Et quantus rutilans flammis, radijsq; coruscus.
Ecce autem inuidia stimulis exercita iniquis
Effera te insurgit subitò Solyma omnis in vnum.
Saxa fremitq;, rapitq; simul commota iuuentus,
Præcipitémque agitant, atque extra mœnia pellunt
Insontem, & meritis non præmia digna ferentem.
Hinc atque inde sonat circum caua saxeus imber
Tēpora, & inscribūt sacrā fera marmora frontem.
Ipsæ te rupes, ipsa & te flumina mœsta
Labentem videre, animaq; extrema trahentem.
Tunc & te Libani flerunt palmeta propinqui,
Eq; sacro aëreæ lacrymarunt vertice cedri.
Tu tamen attollens passas ad sidera palmas,
Immotósque oculos, media ipsa in morte rogabas
Cælicolûm regem, crudeli parceret hosti:
Cùm ferus intereà non ille absisteret ictu,
Sed magis atque magis stimulis agitatus iniquis
Sæuiret, donec lapidum sub grandine dira
Efflasti felicem animam, cælúmque petisti:
Vnde hominum curas rides miseratus inanes,
Supplicibúsque faues, tua qui prece nomina poscunt.
Me nunc, qui nouus ingredior tua tēpla sacerdos,
Et tibi sacra fero puero puer, aspice præsens:
Da fraudis scelerumq; exortem ducere vitam,
Da contemnere opes, & vulgi gaudia, honores,
Et casto vsq; tuis operari pectore sacris.

DIVO LAVRENTIO
Martyri.

Tantáne te iuuenũ quondã pulcherrime virtus
Impulit vt facibus flagrans melioribus intus
In medijs diros tuleris fornacibus æstus
Impauidus, regémque ferum irritaueris vltrò
Instaurantem ignes, incendiáque igne nouantem?
Me si bella mea paterentur viuere sede,
Pulcher vbi Tanarus rigat arua Ligustidis Alba,
Sacra tibi sacer hac hodie rite annua ferrem
Longè omnes supra in medijs penetralibus astans,
Solennémque tibi (vt mihi mos) præfarer honorem,
Tectum auro caput effulgens, & vestibus aureus,
Prosequererque tuas haud ficto carmine laudes,
Vt genere haud humili terra prognatus Ibera
Paruulus & dulcem patriam, carósque parentes
Liqueris Italiæ captus florentis amore,
Vt flauũ ad Tiberim, magnámque inuectus ad vrbẽ
Aeneadum, cunctas quæ se super extulit vrbes,
Hæseris Actæo Xysto, cui tempora fulgens
Insula tergemina redimibat sacra corona.
Vt dehinc ille tua virtute inductus, & acri
Pectore diuum adytis post se præfecerit vnum,
Qui secum sancta libares frugis honorem
Semper, & in templis populos peragenda moueres.
Vt demum ille neci pro relligione parentum
Deuotus trucis inuidia furijsq; tyranni,
Mille tibi instantes prædixerit ore labores
Veridico, ad mortem senior lætissimus ibat

Ensib

Ensibus in medijs. morituri ponè magistri
Actus amore pio sequeris vestigia, nec te
Absternere queunt edicta immitia regis.
Sed te luce palam medijs in millibus offers.
Me me etiã (quò tractus abis? quò proripis, inquis)
Sancte audi: casus quoq; me tecũ arripe in omnes.
Est hoc est etiam præsens in corpore virtus:
Et animus lucis contemptor, lucis amore
Alterius, toto quò dudum pectore tendo.
Me sine nulla tuis accedat gloria rebus.
Omnia constitui. quæ me ad maiora reseruas?
Tecum tolle, tuisq; volentem adiunge periclis.
Talia vociferans. quæ verò deinde sequuntur
Mẽs refugit luctu, atq; anim⁹ meminisse perhorrens
Deficit, & victi torpent ad carmina sensus.
Quæ (prò sancta fides, quæso, Superûmq; hominũq;)
Quæ quadrupes sacris viua vnq̃ est tradita flãmis
Victima? quis memoret lacrymis sine talia sacra?
Summa tamen sequar, & rerum fastigia tangam:
Mox te digna canam, positis si tempora bellis
Mitescent, reddentq; meas mihi denìq; sedes,
Templaq; quæ surgunt tibi cæli educta sub auras.
Vrbis Romanæ imperio sceptrisq; potitus
Audierat Decius Xysti post funera Iberum
Diuitias templi iuuenem occuluisse repostas,
Ingens argentum priscorum munera regum,
Crateras magnos lancesq;, vrnasq; scyphosq;,
Cymbiaq;, & lychnos, vectesq;, crucesq; lebetesq;,
Et tripodas, mensasq;, & cladem thuris acerras,

Effig

Effigiesq; sacras, simulacraq; grandia diuûm,
Hæc super & vestes ostroq; auroq; nitenteis,
Inclusasq; auro gemmas, aurique talenta
Plurima, quæ cuncta, hisq; etiam maiora tyrannus
Pectore dudum inhians sibi iam spondebat auaro.
Continuò tota id propter Laurentius vrbe
Quæritur. ille die rerum haud ignarus agebat
Occultus vitam in latebris: sed nocte per vmbras
Ibat, & huc illuc inopum caua tecta subibat,
Quos omneis larga miserans ope sustentabat,
Donec quicquid opum fuit hos absumpsit in vsus.
Hinc tunica ad talos demissa induciturr aurea,
Sericaq; ex humero dependet tænia læuo,
Fibula quam lateri dextro subnectit eburna,
Muneris ante aras commissi insignia nota.
Atq; ita conspicuus, sacraq; in veste coruscus
Emicat, & recto ad regem se tramite confert,
Diuini iaculis haud mollibus ictus amoris.
Ibat ouans, cupidus ceu pactæ it coniugis olim
In thalamos iuuenis primæ, ad noua gaudia noctis:
Siquando tamen in ripa subsistit amœni
Tybridis, aspectans auras cœliq; profunda,
Solis ad occasum versus, non te amplius, inquit,
Aspiciam diues regnis Hispania opimis,
Nec vos ò patriæ fluuij, cariq; parentes,
Qui spem fortè mei reditus agitatis inanem.
Tuq; ò Tybri, vale: colles saluete Latini.
Quos colui, heroum tumuli, sacrataq; busta,
Nec me sancta vrbis delubra videbitis vltrà.

Me

Me terris meliora vocant nunc templa relictis.
Hæc ait, vnigenámque flagranti pectore Christum
Versabat memor, hunc amor ingerit ossibus ignem.
Cui rex, Túne sacrum furatus comprimis aurum,
Contemnisq́ Deos omneis, nouáque orgia templis
Inducis vana sub relligione dicatis?
Aut aurũ huc deprome, Deúmq́ hic numen adora,
Aut Xysto inferias merita te morte remittam.
Ille autem intrepidè vultu immutabilis infit,
Irritátque virum dictis, & voce lacessit:
Quid Xysto me prærepto sæuissime terres,
Aurea quem iam nunc stellantis regia cæli
Accipit, & diuûm numerum non vltimus auget?
Pone auri quam dudũ animo spem pascis inanem:
Quicquid erat qđ quæris, inops miserandáq́ turba
Abstulit, & cæli penetralibus abdidit imis.
Nec tua frigida saxa colo simulacra deorum.
Est vnus mundi omnipotens fabricator, & auctor,
Qui mare, qui terras, qui cælum numine complet.
Hunc colimus: huc fas est omnia nostra referri.
His rex auditis, curarum carpitur æstu,
Irarum cæcos tamen abdit pectore fluctus.
Stat cunctis prius artibus omnia pertentare,
Siue illum abstrusi tenet auri extrema cupido,
Seu speciem egregij iuuenis miseratur & annos.
Quippe erat ante alios formæ spectabilis omnes
Vix prima ora puer signans intonsa iuuenta,
Atque illum hic vultu gratum mage fecerat ignis,
Quem sparsus rubor accenso subiecerat ori.

Nunc

Nunc hos atque illos aditus, blandisq; retentat
Vocibus oppugnans, nunc sæua territat ira
Infrendens, Varijsq; incassum assultibus Vrget.
At iuuenis magno cæli perculsus amore
Obstat inaccessus, penitusq; immobilis hæret
Contemptu Vitæ, & mortis amore superbus.
Hic rex, se nihil Vt Vidit multa irritus arte
Profecisse, omnes irarum effudit habenas.
Continuò loris corpus iuuenile flagrisq;
Horrificis plumbo insuto, atq; hærentibus hamis
Subiecit, pulchrósque iubet fœdarier artus:
Sic cordi affixum sperans diuellere Christum.
Omnia quæ superans animo, ingratúsque salutis
Perpessu grauia, & sensu aspera pertulit heros.
Quem demum fessis lacerum tortoribus imas
Trudunt in latebras, & tetro carcere claudunt.
Postera Vix aderat lux, & iam nuntius ardens
Euolat ad regem, monstrisq; ingentibus implet.
Nil agimus rex: moliris frustra omnia porrò.
Carceris Vt limen subijt Laurentius, ecce
Terrifica subitò Visa omnia luce cremari.
Respicimus, lacero puer actus ab æthere præpes
Pulcher adest, miróque abstersit rore cruorem
Immundum, & priscũ membris afflauit honorem.
Hic lucem iucundam oculis Lucilius hausit,
Quem penitus cæcum iandudum lumine adempto.
Vidimus, Hippolytúsque, omnis cui credita cura
Vinctorum, fœdè mutato pectore Versus
Detrectat tua iussa, fidemq; oblitus, & omnia

Vincula

Vincula longè alio iactat se numine haberi,
Vana superstitio socios quæ serpit in omnes,
Quos simul allata lauit Laurentius vnda
Relligione noua, & magicis ligat artibus omnes.
Talibus accenso gliscit violentia regi.
AEstuat, stimulis furiarũ haud mollibus actus,
Magna parat, medioq; foro iubet ilice secta
Ingentem struxisse pyram, iuuenemq; superbum,
Ni cedat flammis viuum terrere minatur.
Protinus vndanti cæli alta ad culmina fumo
Ingens erigitur, dum robora pascitur ignis.
O qui res hominum mortaliaq; omnia summis
Imperijs regis, atq; tuo sub numine torques,
Hæc ne vides, paterusq;? adeon te deficit ignis,
Fessaq; dextra tua est? cur cæli innubila cerno
Atria, & aëreos piceo sine turbine campos?
Cur tonitru ingenti cessas cælum omne ciere?
Disijce crudeles cælestibus ignibus ignes.
Hic nihil iste suos nisi numina vana tyrannus
Sentiat esse deos: tremat vnum cuncta videntem,
Cunctaq; gubernantemq;, & nutu cuncta mouẽtem.
Vosq; adeò maria alta voco, pelagiq; profunda,
Quæ siccam aßiduis tellurem tunditis vndis,
Fontesq; fluuijq;, lacusq; huc ite liquentes,
Et plenis diras riuis restinguite flammas.
Aut vos ô grauida pluuia succurrite nubes,
Et sancto infamem iuueni defendite pestem.
Iam superans altè congestam exhauserat ignis
Materiem, & multa stabant sola feruida pruna.

Huc

Huc statuunt fulcrum infandum, exitiale cubile,
Vectibus intextum ferreis, atq; ære rigenti
Compactæ in morem creatis, cui plurimus ater
Subijcitur fumus, semustaq; robora subdunt,
Ecce autem egregius iuuenis (miserabile visu)
Haud dubiã ad mortẽ rapitur. hinc comin⁹, atq; hinc
Spectantes animis cuncti miserantur euntem.
Adiuuat insignem formam pudor haud metus olli
Deiecit vultus pallentes morte propinqua:
Non aliás grato magis vnquam apparuit ore.
Illum suprema Deus ille afflauerat hora,
Quem propter tantos libuit perferre labores,
Impressitq; genis diuini signa decoris,
Et totum multo corpus perfudit honore.
Vt passim circunstantium rorantia vidit
Ora puer lacrymis, has fudit ad æthera voces,
Non mihi ob admissum fœdè tam dira parantur
Supplicia: hæc cælo iampridem me sacra debent:
Hic mihi erit requies, cunctorum hic meta laborum,
Quiq; ferus vitam mortalem auferre tyrannus
Nunc tendit, meliorem affert mihi fine carentem.
Ille prius, cui sponte mea nunc immolor igni,
Pro nobis grauiora tulit. nos crimine nostro
Æterni iusti patris irritauimus iras:
Ille luit diras insonti sanguine pœnas.
Ipse mihi hos ignes infuso protinus imbri
Desuper, aut solo posset restinguere nutu,
Cuius ad imperium pueris insontibus olim
Abstinuit vapor in medijs fornacibus ardens.

Ipse egomet precibus flexi illũ, ne mihi mortã hanc
Demeret haudquaquã indecorẽ, auxilióq; leuaret.
Meq; ideo indefensum, inopẽ, atq; reliquit inermẽ.
Totus adest animo tamen, & mentem erigit altam.
Olim tempus erit cùm corda ferocia ponent
Romulidæ & magna Christus dominabitur Vrbi:
Tum neq; per gentes erit hoc sine nomine lethum.
Hæc memorans medios per cœtus flebilis ibat.
Vt verò infandos peruentum est deniq; ad ignes,
Rursus ait cælum aspectans, Solemq; cadentem,
Ardua cæli equitans Sol, splendorq; alme diei,
Quandoquidem properas te gurgite tingere Ibero,
Funera Vterq; parens mea per te, hunc nesciat ignẽ,
Quos nunc longinquis Hispania diuidit oris.
Fama incerta malum primus illis mitiget, & se
Spemq; metumq; inter dubio solentur amore,
Atq; ita quicquid id est assuescant ferre timendo.
Hæc fatus sacros humeris reiecit amictus:
Diffu'sit roseos lumen iuuenile per artus,
Et dulcem toto iaculatus corpore amorem,
Spectantum molli labefecit corda dolore.
Porrectum duro tandem extendere cubili,
Quod dudum impositum subiecto incanduit igni.
Auertère oculos ipsi, visusq; ministri
Abstinuere, feri execrantes iussa tyranni.
Horruit aspectu cælum: perterrita toto
Sidera clara polo faciem abduxere serenam,
Lunaq; sublustri latuit circundata nimbo:
Atq; adeò fortunatum, nimiumq; beatum

Mun di

Mundi oculum illustrem Solem, cui talia sacra
Contigit haud vidisse, infra dum circuit orbem.
Iamq; vapor serpens per viscera viua, per artus
Strinxerat expresso pingui sudantia membra.
Ast heros superans animis, patiensq; dolorum
Sustulit, ut potuit, turgentia lumina fumo,
Aetheraq; aspectans tanti velut immemor ignis,
Oblitusq; sui cælestum gaudia versat,
Quò properat lethi securus, pectore toto
Viuus inest amor. Vnum animo voluitq; tenetq;
Hærentem, quantos obita morte ille dolores
Pertulerit Deus, atq; Dei indubitata propago,
Quò clausum generi humano reseraret Olympum.
Illiusq; graues dum versat pectore pœnas,
Ipse suas contemnit, ebustisq; artubus ardens
Iucundo fruitur sensu, lætusq; dolorum
Ipse per æstatem gelida sibi valle videtur
Propter aquæ riuum, vel fontem propter amœnum,
Aut flores varios legere, aut viridantibus herbis
Mollibus in pratis prædulces carpere somnos.
Iam magis ac magis ambusto de corpore sensus
Vndiq; diffugiens, & vita lumina linquens
Cesserat, & toto prope mors immissa per artus
Vaserat: irridens hostem tamen, Ocyus, inquit,
Viscera tosta viri epulanda apponite regi.
Hæc dicens vita morientia claustra reliquit.
Proijciunt corpus, campiq; in puluere linquunt
Deserto. admotus medium pertrinxerat ignis,
Seruat adhuc medium prisca vestigia forma,

Quale rubens roseo malum plerunque colore,
Cùm cadit ante diem, maternaque brachia linquit,
Sole sub ardenti coquitur, qua parte per æstum
Tabescens, pulchrum cutis almæ amisit honorem.
Cætera pars veteri manet inspoliata nitore.
Impie, mentis inops, furiis sæuissime regum,
Qui potes insontes, & corpora viua cremare,
Non scelus hoc Tybris, non tota plurimus vnda
Proluet Eridanus. nil, à nil proficis, olim
Adueniet lustris mundo labentibus ætas,
Cùm domus AEneæ præstans Romana propago
Insonti iuueni flammis extrema sequuto
Centum aras, centum magnis penetralia templis
Eriget, & tumulo diuinum imponet honorem.
Tu verò venerande puer, sanctissima cælo
Digna anima, informi quæsitos morte triumphos
Lætus adis. potuit mortalia membra tyrannus
Et corpus sæuis tibi viuum exurere flammis:
Non valuit te sidereis auertere regnis,
Est vbi vera quies, nunquam peritura voluptas.
Ille auido insontem dum fert te perdere corde,
Seruauit, cupidusque nocendi profuit igni.
Nam tibi fine carens parta est in funere vita.
Partus honos ignominia, atque in cæde triumphus.
Sic flammis vltrò senium exuit vnicus ales,
Purius & multo sic aurum redditur igni.
Nunc tibi adepta quies cæli in penetralibus altis
Purpureos inter proceres, qui sanguine fuso
Per varia æternam meruerunt funera palmam,

Atque

Atq; humiles celso mutarunt æthere sedes.
Respice nos inde, & nostri miserere laboris.
Quandoquidē regnāt quot nostro in pectore curæ,
Vndiq; quas nobis acuit non vna libido,
Nostra tot incendunt intus præcordia flammæ,
Quæ nos sæpe ipsis nobis furantur, aguntq;
Præcipites, nostri oblitos, rationis inanes.
Auri hinc sacra fames, & amor sceleratus habēdi,
Hinc laudū, hinc plausꝰ, & honorū immēsa cupido,
Et Veneris curæ, & cæca mala gaudia mentis,
Iraq;, inuidia, atq; odium, studiumq; nocendi,
Vnde tot & cædes fraudesq; & plurima quæ nos
Crimina fœda premunt, cæliq; a sedibus arcent
Indignis nimium succensos pectora flammis.
Tu nobis miseratus opem flagrantibus affer.
Nil tibi (credo equidē merito negat optimus ille),
Cuius amor sæuas suasit tibi temnere flammas.
Ille faces diras facito, hos nos exuat æstus,
Atq; tuum nostris bonus implicet ossibus ignem.
Me vero iam nullus opum, iam nullus honorum
Tentet amor, nec tantum alijs ambita fatiget
Purpura, sed placida contentus pace quiescam:
Nec mihi commissis vsquam regionibus absim,
Dum sedet hic multos opibus monitisq; iuuare.
Tantum compositis rebus fera bella quiescant,
Nec ferus in nostris dominetur finibus hostis.
Sin nos nostra premunt commissa, suosq; relinquens
Damnauit Deus, & victor ruet omnia Turca,
Me nemo indecorem victori tendere inermes

Aspiciat palmas, sacrataq; soluere iura,
Et numen violare noua sub relligione.
Sit mihi dulce aras dextra legesq; tuendo
Oppetere, & calidus mihi linea texta per artus
Inficiat cruor. hac capitis sit purpura nostri.
Hoc sacer incedam sacro conspectus in ostro,
Purpureosq; petam tua per vestigia honores.

EIDEM DIVO LAVRENTIO
Martyri.

HVc ades clarum iubar inter omnes
Cælites, partam nece qui coronam
Induunt, pictasq; suo colorant
Sanguine palmas.
Huc ades dum te canimus frequenti
AEde, Laurenti, tua dum quotannis
Dicimus læti redeunte certa
Luce tropæa.
Seu Tagus te nunc, patriæq; fines
Detinent dulceis, sacra seu Quiritum
Quæ tuos olim miserata vidit
Terra labores.
Nos quoq; alternos adeas vocatus
Rite solenni prece, ne vocantem
Temne non quisquis minus addicatam hanc
Vrbibus oram:
Post Deum qua te venerans secundum
Spes suas in te locat aduocato,
Et tuo hac regi Superûm dicauit
Nomine templa.

Tu

Tu potes nostris mala molientem
Multa peccatis prece flectere ipsum
Maximum cæli, Superúmq; regem
Numine læso,
Asperas pro quo puer horruisti
Nec minas regis nimis efferati,
Prodigus vitæ, nec acerba spretis
Funera flammis.
Tu leuas omni, fera iussa contra,
Pauperum cœtus ope destitutos,
Queis sacrum templi bonus erogasti
Diuitis aurum.
Tu rosas inter velut in viretis,
Vstus in prunis medijs triumphas:
Despicis flammas meliore tostus
Intus ab igni.
Nunc pij fructu frueris laboris,
Cælitum gaudens vagus in rosetis.
Hic tuis spirant Zephyri perennem
Ignibus auram.
Ciuium hinc dexter varios tuorum
Aspicis casus, & in omne tutos
Protegis tempus, tibi nil negante
Numine fretus.
Huius in primis tibi cura tractus
Adsit, & nostros tueare fines.
Sint fames pestisq; procul, quiescant
Aspera bella.
Sint nurus castæ: valeat iuuentus

Optimas arteis studio æmulata,
Et senum cœtus potiora callens
Consulat Vrbi.
Vtq; nihil obsit, face quos libido
Suggerit menti excutiamus ignes,
Et tuas nostris animis salubres
Inijce flammas.
Vt Deo regi Superûm canamus
Gratias, à quo bona cuncta, qui ter
Optimus ter maximus omne Vbiq;
Regnat in æuum.

EIDEM DIVO LAVRENTIO Martyri.

QVæ Vida cecinit, ediditq; carmina
Commissa chartis, laudibus Christi optimi
Et maximi indulgens, caduca fore ratus,
Sibiq; diffisus tua has in æde tibias
Syringa multisonoram, & omnifariam
Factam organis è musicis Versuum loco
Erexit, & commendat has quammaximè,
Beate Laurenti, tibi, qui præsides
Albæ aduocatus plurimùm Ligustidi.
En Vt coruscæ, Vt templum Vbiq; illuminent:
Argenteas dicas, Vel argento pares.
Discriminatæ auro Vt nitent interlito.
Expressam Vbi hæ de follibus tumentibus
Auram hauriunt, prædulcibus sonant modis,
Neq; simul omnes, sed Vocatæ scilicet
Iussæq; solùm: cæteræ interim silent.

Hic

Hic musicorum omne audias prorsum genus,
Seu tibias veras velis, seu barbiton,
Seu fistulam, seu tympanum, seu cornua,
Tubámve bellicam, lyram quoq; & lituum,
Quæ cuncta Syrinx, aliaq; refert plurima,
Modò hoc, modò illud, musici ad libidinem.
His Vida saltem concinet Christum modis,
Charta & caduca si peribunt carmina.

DIVO DALMATIO Martyri.

NEc te nos tacitũ indictúmve relinquere fas est,
Nec sinere ire tuos sine carmine Dalmati honores,
Quos tibi rite die memores redeunte nouamus.
Huc ades, ò quondam clarum iubar, addite cælo
Post tantas vitæ ærumnas, post mille labores,
Et quos insigni es perpessus morte dolores
Pro Christi decore, & veræ pietatis amore.
Huc ades, & festas quas læti ereximus aras
Inter & Eridani ripas, & fluminis Olliij,
Dexter adi, populiq; tua prece vota secunda,
Seu Rhodani te gens halantibus inuocat aris
Accola, quã quondam in tenebris & nocte iacẽtem
Erexti, verumq; dedisti cernere lumen,
Omnem luce noua, radijsq; recentibus oram
Perfundẽs, dictisq; hominum fera pectora lustrans,
Seu Ligurum extremis tenet inclyta finibus Alba.
Quandoquidẽ haud procul inde ferunt te lucis inisse
Limina, & in tanari ripa vagisse sonantis.
Mox caram implesti meritis ingentibus vrbem,

Celsa docens rectas ad sidera tollere menteis:
Nec potius te Ticini liquidißimus amnis
Detineat, sedésve iuuet cognominis vrbis,
Quam pater imperijs sacris placidißimus olim
Rexisti gentis custos, templiq́ sacerdos.
Illic (credo equidem) fumant maioribus aris
Templa tibi, quæ quondam ataui eduxere sub astra
Indigenæ tua mirati immortalia facta.
Illi iure quidem hæc memores, visuq́ coacti:
Nos verò, quos longè alia regione remotos
Vix tantorum operum tenuis famæ attigit aura,
Ad nomen tibi præcipuos largimur honores.
Sponte autem, non diues opum, non æsis abundans
Stat pagus, sed enim pietate in teq́ fideq́
Nulla fasell'fero certauerit ora Paderno.
Nulla tuas tendat melius gens dicere laudes.
Nam simulac lætum in cœtum conuenimus omnes,
Fœmina virq́ choros agimus, tuaq́ inclyta facta
AEquamus cælo. Respon∫ant densa salicta
Vndique, & aërea resinit de turre Cremona
Armipotens, gaudetq́ procul pietate suorum.
Primus ego ante aras vates, viciq́ sacerdos
Carmina mille cano, totidem plebs consona reddit.
Primis ipsam vt meritis præsens deuinxeris Albam,
Expulerisq́ adytis mentitos numina diuos
Indigetes, verumq́ Deum detexeris vrbi,
Implentem maria, ac terras, cælumq́ profundum
Concinimus. tum vt tota tuis vltroq́ cit oq́
Gallia præbuerit faciles hortatibus aures,

Admirata hominem supra te plurima vbiq;
Posse Deo plenum, vanasq; reliquerit aras,
Et simulacra, deûm falsos reddentia vultus,
Sparseris vt veri diuinos numinis haustus
Per populos in corda, animosq; in nube iacenteis
Obscura illustrans monitis erexeris aureis
Ad sanctum iubar, immensiq; ad luminis ignes,
Omnia per terras quæ latè fama canebat.
Hoc te Ticini gens accola nomine tanto
Præfecit diuûmq; adytis, morumq; magistrum
Haud vrbi indecorem summo insigniuit honore,
Multa vbi mira olim Superûm regnator ab alto
Te poscente hominum solitas superantia vires
Edidit. obstupuit regio ad miracula rerum.
Tu varijs ope diuina de casibus ægros
Mortales nulla eripuisti præditus arte.
Tu vocem surdis, tu lucem lumine cassis
Reddis, & in media positos iam morte, relictosq;
Erigis: elatos tu prisca ad munera vitæ
Restituis, animasq; in frigida membra reponis.
Tu ductori Italo, cùm te miser imploratum
Finibus æquoreæ venisset ab vsq; Rauennæ,
Incolumem ac validum prædixti viuere natum,
Quem modò discedens ægrum, mortiq; propinqua
Luctantem, & superis propè functũ liquerat auris.
Addimus innumeros, quos nocte dieq; labores
Pro Superûm decore & vera pietate tulisti:
Quot casus, quot per mortes, per quanta pericla
Ieris, aut diros quoties euaseris enses.

Ipse

Ipse aderat Pater omnipotens, teq; ocyus vsq;,
Ceu fuluarum avium subvectum insignibus alis,
Omnibus eripiens seruabat casibus vltró
Huius ope instantem fugeres cùm protinus hostem,
Ticinum pleno tibi qui se obiecerat alueo,
Tranasti suspensus iterq; impunè tulisti
Aëra per, fluctusq; supra sine ponte, sine vllis
Nauigijs, rapida correptus turbine nubis
Ocyor aut Euri pennis, aut fulminis igni,
Nec te oculis potuere sequi trans flumina, donec
Conspexere amnis ripa vlteriore canentem
Cælicolûm tanto grates pro munere Regi.
Talia frustrati viderunt multa, nec vnquam
Gens infesta tuum potuit contingere corpus,
Donec purpurea emeritum insignire corona
Omnipotens statuit Pater, è tenebrisq; vocare
Iucundam ad lucem semper florentis Olympi.
Tum demum ipsius Ticini in littore captum
Sponte ferunt gladio colla obiecisse secanda,
Et nil mutato lætum isse ad funera vultu.
Nec commune tamen fuit, aut sine numine lethum.
Nam caput exectum penitus ceruice cadendo
Blandum nomen adhuc seruantis cuncta sonabat,
Et longo erectus tenuit se tempore truncus,
Viuus adhuc veluti vigor, & vis pristina adesset.
Quo monstro attoniti crudeli cæde madentes
Agnouere Deum, veniamq; immanibus ausis
Orantes verum tenebris hausere fugatis,
Omnia quæ in numerum memores altaria circum

Dici

Dicimus. hic nullus qui non mihi succinat ordo est,
Nulla tuis quæ non titulis indulgeat ætas.
Nempe tibi primos pueri, mixtæq́ puellæ
Semper vere legunt flores, & cerea cantu
Dona ferunt, variisq́ onerant altaria frugum
Primitiis de more, viri, matresq́ suorum
Ipsæ etiam tibi dant operum testantia fructum
Munera, bombycum folles liniq́ maniplos
E nodis, albumq́ oculo nigrante fasellum.
Tu populis præsens vota audis rite vocatus,
Avertisq́ tuis precibus mala plurima genti,
Concilians nobis adversum crimine nostro
Cælestum Regem, & quodcunq́ piacula pubis
Infecere, tuo tu diluis ipse favore,
Et tua, qua multum polles, nos gratia servat.
Nunc verò si nostræ unquam fuit ulla salutis
Cura tibi, aut nostri si te movere labores,
Nunc, ó nunc pater, auxilio, nunc munere nobis
Est opus alme tuo, tantis occurre periclis
Quæ nostris, nisi pulsa vetes, cervicibus instant.
Inter se reges adversi bella lacessunt:
Militis ipsi inopes nos semper prætereuntis
Præda sumus: nostros manus est externa labores.
Aspice nos, & tanta tuis dispendia pelle.
Vitam inopem nostro liceat tolerare labore,
Solariq́ famem, parvosq́ educere natos.
Siquid prætereà in nostris fraudis've doli've est,
Corrige tu, & meliorem animum prece suffice genti.
Nos furto nihil inter nos carpamus avari,

Dinea

Diues quisq; suo: pateant noctesq; diesq;
Prædia nostra: domus nullo custode relicta
Nullos nocturno metuant neq; tempore fures.
Ipsi iam culmis sint tuti arentibus agri,
Prataq; siluæq;, & pictis vineta racemis:
Surripiant nec iusta auidi plus parte coloni.
Assuescantq; satis dominorum inhibere iuuencos.
Sponte sua pastos nec agro subducere sulcos.

DIVO CASSIANO Martyri.

COmmendo tibi Caßiane nostros
Hic quoscunq; vides virere agellos.
Non frustrà hoc pia struxerit vetustas
Dictum nomine de tuo sacellum.
Quo matres pueros grauedinosos
Albenses querulis ferunt grabatis,
Et pleriq; tua leuantur aura,
Morbus quos diuturnior peredit.
Ircirco id vetus, erutumq; bellis
Nuper Vida tibi tuus refectum
Forma reddidit elegantiore.
Hinc nos aspice, plurimumq; nostros
Commendo tibi Caßiane agellos.

DIVO CHRISTOPHORO Martyri.

CHristophore, infixum quod eum vsque in corde gerebas,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris:
Quem gestans quoniam multa es perpessus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta mari.

Id

Id quia non poteras, nisi vasti corporis vsu,
Dant membra immanis quantæ gigantis erant.
Vt te non capiant quamuis ingentia templa,
Cogeris & rigidas sub Ioue ferre hiemes.
Omnia quòd victor superasti dura, virentem
Dant manibus palmam, qua regis altus iter.
Quod potis, ars tibi dat, nequeat cùm fingere vera.
Accipe cuncta bono tu bonus ista animo.

DIVO SILVESTRO
Pont. Max.

VRbis sacerdos maxime Romulæ
Siluester olim cùm fugeres opes,
Causam malorum, victitabas
Vrbe procul latitans superba,
Soractis antro siue sub horrido,
Seu Tusculanæ rupis in angulo.
Vbi tuo hoc extat dicatum
Nomine nunc etiam sacellum.
Vbi morari me quoq; nunc iuuat,
Regis canentem cælituum aspera
Maiore plectro personanda
Funera, carminibus Latinis.
Hîc tu beata pauperie potens,
Paruoq; latus cælitibus parem
Vitam actitabas, non tibi aurum, aut
Purpura, non triplices corona
Gemmis nitentes multicoloribus,
Tanti vt decebat Pontificis caput.
Prastans sed alta mente regum

Altior

Altior omnium eras coronis.
Opes perosum te tamen occupant
Opes, & vsq; ijs iuncta potentia.
Repentè diues fis, potensq;
Vrbis ad imperium vocatus.
Cæli secutus prodigia optimus
Cæsar relicta sede Quiritium
Tellure decessit Latina,
Sedem alijs positurus oris.
Vrbem potentem Romulidûm tibi,
Lateq; regnandum Latium ferox
Concessit vltrò, posterisq;
Perpetua serie insecutis.
Non tantùm vt esset rellìgio suis
Vallata muris, tutaq; viribus,
Vtq; abstinerent atq; cæde
Hac ratione truces tyranni:
Sed Rex id egit maximus ætheris,
Periclitatus diues an is fores
Qui pauper olim, nec tibi æquus
Diuitijs animus laboret,
Vtq; enitere t conspicuo tua
Virtus theatro maxima, posteri
Quam deinde possent æmulari,
Haud tibi degeneres futuri.
Non horruisti munera Cæsaris,
Non hæret ipsis diuitijs malum,
Nobis sed ipsis dantur æquè
Nempe bonisq; malisq; habenda.

Tu

Tu sicut ipsa pauperie prius
Diues fuisti, diuitijs item
Pauper fuisti mox adeptis,
Plurima egentibus erogando.
Non cruda duri robora militis,
Decebat vt tantum imperij caput,
Non arma formidanda terra,
Non tibi erant metuenda ponto.
Non proferendi cura erat imperij,
Vrbésue captis adijcere vrbibus,
Te sceptra regum nil mouebant,
Nil periturum animo extruebas.
Mens fixa cælo sed penitus tua
Regnabat alto exercita in æthere:
Ibi locabas regna, & vrbes,
Quósque ageres alacer triumphos.
Ibi beatus nunc ideo viges:
Curas inanes, & studia irrita
Mortalium spectas ab alto,
Continuos miserans labores.
Tuis adesto: ne officiant opes,
Quas per te adepti sunt humiles, face:
Tuámque mentem illis precare,
Sintq; tuis studijs potentes.
Mens prisca nostris & pietas tamen
Resurgat antè in regibus, ij sacra
(Olim vt solebant) absque fraude
Mente pij tutantur ipsi,

DIVO AVRELIO AVGV-
stino Hipponis Episcopo.

VT te diue potens Libya nunc pectore toto
Accipio, patiórque libens, me lumine quando
Lustrasti vates olim, diuûmq; sacerdos,
Nunc ipsos inter diuos stellantis Olympi
Templa tenens: audi, atque tuas ne despice laudes,
Dum nos mortali facta immortalia voce
Libamus, sacrósque aris adolemus honores.
Huc omnis chorus, huc pariter iuuenésq; senésque
Ferte pedem, lætóque fauentes agmine adeste.
Hæc est illa dies, penitus caligine mersis
Quæ claram rebus lucem attulit, atque nigrantem
Eloquio noctem insigni, tenebrásque resoluit.
Nam cui non notum quanta perculsa iacerent
Olim corda patrum formidine, queis pia cordi
Relligio? quem non Tyriæ telluris alumnus
Terruerat linguæ confisus fallere docta?
Cui non audacis, cui non audita furentis
In Superos, Superûmq; ipsum conuicia regem?
Non tulit omnipotens Genitor miseratus ab alto,
Et iuueni immisit mentem se pectore toto
Diffundens: subitò est oculis densissima nubes
Discussa, & ratio manifesta in luce refulsit.
Quos ah tum gemitus, quæ tum suspiria ab imo
Pectore iam culpā fassus dedit? haud mora victus
Exuit hostilésque animos, mentémque benignam
Accipit in veros diuos diuûmque parentem
Iam melior, iam noster, amans quos oderat antè.

Protinus illa animi vis viuida, & aurea lingua,
Quæ modò cælicolas toties exercita contra est,
Inuigilat veterum pro relligione parentum.
Ille quidem in medijs hominum conuentibus ore
Incipit effari, immortalis gaudia vitæ
Ostendens, altiq; acie penetralia cæli
Mentis adit. sed quæ nunc prima exordia sumam?
Nam modò nascentis canit incunabula mundi,
Quis rerum sator, immensum per inane quis auctor
Terrarum validis vinclis librauerit orbem.
Nunc docet obliquos Solis Lunæq; meatus,
Astrorúmque vices, pascentiáque æthera dium
Sidera inexhaustis flammis, laticésque coactos
Astra super, quæ dehinc liquidi ignis sēina, quæ vis
Torqueat immensi irrequieta volumina mundi.
Addit cælicolûm sedésque domósque quietas,
Agmináque alituum Superûm ter tena recenset.
Quinetiam vlterius solertis lumina mentis
Sustollit figitq; oculos in luce suprema:
Qua ratione animæ nascentibus insinuentur,
Quæ ve animis natura, quis & vigor omnia dictis
Illustrans. tum nescio qua dulcedine mentem
Captus, vitam aliam post sæcula sera futuram,
Atque alios populos, noua regna, noua arua, nouum
Aëraq; stellasq; alias, renouandaq; Lunæ (æquor,
Lumina, nec motu voluendos ætheris orbes
Perpetuò canit: at tempus iam iam affore, cùm Sol
Aureus, atque suos dediscent sidera cursus.
Tum canit, vt multum miserās incommoda nostra

Vera Dei soboles cælo diuinitus olim
Demissus Deus intemeratæ virginis aluum
Implerit clausus. mox vt mortalis in auras
Prodierit puer, vtq; patres eduxerit antris
Morte obita infernis magna & vi strauerit hostem
Regnatorem Erebi, spolijsq; animosus opimis
Victor ouans rursum astra petiuerit: addit & olim
Affore cùm terras iterum idem viset ab aula
Siderea, vt vitas hominúmque & crimina discat
Quæsitor, damnétque Erebo (miserabile) sontes,
Atque pios cæli vocet alta ad sidera manes.
Nempe iterum vita functis, ac lumine cassis
Pristina deberi sua corpora cuique ferebat.
Atque ideo contemnere opes, & gaudia vitæ
Mortalis lapsu subito peritura monebat,
Iustitiámque animisq; Deum, & virtutis amorem
Infundens veris purgabat pectora dictis,
Continuò in melius mores formauit, & artes
Humanas legésque dedit, quas mille sequuntur
Nunc etiam gentes, obseruabúntque minores,
Dum circum astriferi voluetur machina mundi.
Quid mirum, illius si Sol quacunque recurrens
Aspicit extremum Oceanum cita dedita porrò
Exijt immensum terrarum fama per orbem?
Quis nescit quantos etiam mox ille labores
Pertulerit sacra pro re, pro regis amore
Cælicolûm, obijciens certis sese vsque periclis?
Vt formidatos toties superauerit hostes
Fandi ope? vt auersúmque Deum mortalibus agris

Assid

Assidua supplex prece conciliauerit? Vtq;
Excidium patriæ belli flagrantibus armis
Inconcusso animo tulerit, plebemq; patrésque
Solatus. neque enim quisquam certauerit vnquam
Laudibus Augustine tuis. tu maximus ille es
Nobis labentem qui verbis restituis rem.
Templa tibi, tibi relligio non perdita debet.
Te nunquam vllius fando violentia vicit:
Te nulla incautum veri sub imagine fugit
Pellacis hostis fallacia. soluere nodos
Tu bonus, atque dolos verborum aperire latentes.
Se tibi se ratio ostendit: tibi sæpe futura
Nosse datum, & vera populis prædicere voce.
Tu mulcere potens hominum fera pectora, dictis
Exacuens, animósque rudes formare colendo:
Nunc meritò cælum mortali corpore functus
Incolis, AEthereæq; plagæ iuga læta, tibi omnis
Astrorum chorus assurgit: tibi lucidus æthra
Siderea applaudit polus: altum nubila longè
Te nigra, te fugiunt nimbiq; Austriq; madentes,
Terroresque, metúsque, & inexorabile lethum
Sub pedibus iacet. aëreis tibi carmina campis,
Perpetuásque canunt laudes vatum chorus omnis,
Cælestum vatum chorus omnis, amœna per arua
Qui te incedentem medium comitantur ouantes,
Sublimémque humeris attollunt, atque beatos
Per cæli populos alacres arcana canentem
Magna ferunt, sistúntq; supremi ante ora parentis.
Salue inter summos lumen venerabile diuos

Magne pater: facilis precibus nunc annue nostris,
Dum tibi solennem de more nouamus honorem,
Et cœtum celebramus. adi hæc tibi sacra secundo
Templa pede, & proprias tibi quas ereximus aras:
Seu Libyam patriæ captus telluris amore
Nunc colis, atque Hippona tuam: seu propter amœni
Ticini ripas Insubrum respicis Vrbes,
Ossa vbi marmoreo tua sunt tumulata sepulcro.
Da deinde auxilium pater. en nunc aspice quantis
Degitur hoc æuu in tenebris, vitaq; periclis,
Vt curæ nostra assiduæ præcordia carpant,
Vtq; auri malesuada fames, & dirus habendi
Ducat amor captos, vera & rationis egentes.
Eripe nos his, sancte, malis: sit nescia vita
Culpaq́, fraudisq́; & prorsus criminis expers.
Suffice dehinc animis visum: da tollere mentes
Ad cæleste iubar fontémque ad lucis, vt artus
Exuerimus vbi moribundos, tartara sontes
Impia non subeamus, & illætabile regnum.
Hoc precibus pater hoc prohibe, per si qua parentis
Longæua est pietas, quæ te terraq; mariq;
Sola anus ausa sequi per mille pericula, quondam
Finibus excessit Libycis, patriaq; relicta
Littoris Ausonij ignotas penetrauit ad oras,
Nostraq; nunc etiam tellus complectitur ossa
Illius, & proprias diua sacrauimus aras.

10.

IO. MATTHAEO GIBERTO
Veronæ Episcopo, non in
ἀποθέωσιν relato.

QVi poterat fluxis vnus succurrere rebus,
Atq; hominum lapsos reuocare in pristina mores,
Cælestum æquiparans mortali corpore vitam,
Occidit ante diem, & spes nostras morte fefellit.
Scilicet omnipotens genitor mortalia nondum
Respicit, humanis sed adhuc irascitur ausis.
Spes mihi pacis erat, res citra posse ruinam
In melius verti, dum se & sua quisq; retractat
Hoc duce, & egregias priscorum accingimur arteis.
Huius enim simulatq; Athesim lux propter amœnũ
Diffulsit, squalens ad tantum protinus omnis
Obductos oculos passim iubar extulit orbis.
Fortunata Athesis ripa, collesq; beati,
Tam propè, tam clarum quibus vnis cernere lumen
Contigit, & primos tam sancti sideris ortus.
Tuq; adeò Verona poli acceptissima regi,
Qui talem Siculis partum vsque acciuit ab oris,
Sacrorum vt tibi præficeret, morumq; magistrum
Esse daret, nec se penitus mortalibus ægris
Subducens pietas, terrenas linqueret oras:
Sed dictis ille & rebus, rectiq; piiq;
Cordibus in nostris priscum renouaret amorem.
Illum ideo à teneris regum in penetralibus altis
Educi voluit, summisq; assuescere rebus,
Mollis adhuc tenero cùm vix pubesceret æuo.

Iam tum Romulei accitu patris atque senatus
Illum Roma orbi mirata est iura ferentem,
Miratiq́ duces pacis praescripta notantem.
Hinc acris vis illa animi decora alta superbi,
Semper celsa petens, & nil mortale agitans mens.
Prodiga mens vitae, nec habendi obnoxia amori,
Nulla non animis cura caelestibus aequa
Illum habuere: procul fuit omnis vana cupido,
Et quae multa hominum exercent praecordia pestes.
Vnus amor recti sanctiq́ arrecta cupido
Vna erat, & totum capiebat pectore caelum.
Ille viam ingrediens, longè nos antè volabat,
Attollénsque facem dextra vibrante coruscam:
In tenebris nostras lustrabat lampade mentes,
Et recti iustiq́ vias dabat esse patentes.
Illius impressis ponens vestigia signis,
Qui Deus humanos, morti obuius, induit artus.
Vtq́ Dei ille animo obseruabat facta sequaci
AEmulus, humanis quantum fas viribus illi,
Sic nobis, quibus est is honos, párq́ infula cingit,
(Atq́ vtinā quoq́ par virtus, visq́ aemula mētis)
Illius ad speculum nostros componere sensus
Cura erat, & vitas hominum formare colendo.
Ille quidem metuens ne sese gloria inanes
Tolleret in ventos, semper benefacta tegebat,
Dissimulánsq́ premebat humi se sponte iacentem.
Attamen vsque suo tralucens igne micabat
Proditus, & quò se premeret magis, hoc magis altū
Ore sonans cunctas tollebat fama per vrbes.

Multi

Multi illum populi, multaq; per oppida gentes
Optauere ducem, sibiq; asciuere magistrum.
Mortalésq; adeò quàm densa in nocte iacerent
Oppreßi, admonitos vitæ tædere prioris
Cæptum erat: hic illic flentes admißa per vrbes
Longè alio versi incipiebant viuere sensu.
Iam sacris cedebat vbique coërcita frænis
Fraudúmq; scelerúmq; licentia, iam noua rebus
Mutatis facies mortalibus apparere.
Iámq; sacerdotes casti, iam pectora virtus
Nūc meliora hominū, recti modo inhospita habebat.
Iam templis antiquus honos, iam debitus aris
Cultus erat, cunctiq; suos desuescere mores
Sponte sua priscumq; ætas meditarier aurum
Decolor, & versis hoc sole nitescere rebus,
Omnia lætari, spes heu sed pascere inanes.
Cuncta Euri volucres sparserunt vota per auras.
Nanq; ecce in medio cùm vere tepentibus auris
Iam viret omnis ager, cùm mille coloribus arua
Picta nitent, tenerásque omnis sese induit arbos
Infrondeis, tollúntq; caput sata, & omnia rident:
Tum tacitis spes agricolis accenditur ingens,
Et cupidas penitus subeunt noua gaudia mentes,
Ah nimiùm ignaris sibi cælo quanta paretur
Tempestas: nanq; ecce ruens venit horrida grando,
Spémque anni vna dies aufert, tot acerba labores.
Hac Verona tuum populata est horrida agellum
Tempestas, qui cultus erat, qui floribus omnem
Afflabat latè circum bene olentibus oram.

Giberto moriente perit labor irritus omnis:
Præside quo tollens caput aurea sidera adibas,
Vt priscos iam non malles Zenonas apisci.
Occidis ô nostri decus, & lux Vnica sæcli,
Occidis, & rursum nos alta in nocte relinquis.
Te moriente, simul toto detractus Olympo
Sol penitus, rebusq́ue Videtur lumen ademptum.
In peius iam cernere erit ruere omnia rursum,
Et bene cœpta iterum retro prolapsa referri.
Vt pro te cunctantem animam prior ipse dedissem,
Tercentumq́ue alij, quorum minus Vtilis ætas
Et Virtus, longo tu Vita dignior æuo.
Ipse mihi in cunis Videor ceu mollibus infans
Desertus, media quem somnus nocte reliquit,
Cùm sibi nutricis sentit solatia blanda
Deesse, locum querulis omnem Vagitibus implet.
Cuius ego admonitus posthac componere Vitam,
Cuius ego impressis niti Vestigia signis,
Quo duce tendere iter potero per deuia cœptum?
Circum errant Vmbræ, tenebrisq́ue inuoluor obortis,
Iamq́ue magisterij, quodcunque est, pœnitet huius,
Qui potero dux esse alijs errantibus ipse
Obsitus, & nigra noctis caligine pressus?
Tu mihi lumen eras, tu fax, tu prauius ignis:
Te sine nil dubijs mihi mens confidere rebus.
Omnis nostra perit penitus fiducia tecum.
Tu cælestum agitans mortali corpore Vitam,
Oblitusq́ue hominem, & cæli caua nubila tranans,
Ardua terrarum nos linquere mente iubebas,
Osten

Ostendénsque breues quàm sit mortalis ad vsus
Conditio, quàm nos fluxos natura crearit:
Suadebas contra vulgi communia vota
Mortales contemnere opes, contemnere honores,
Et si diues opum flueret tibi copia semper,
Diues opum, tibi parcus eras, sed largus egenis.
Hinc etiam, quæ tantum alios quæsita fatigat,
Sæpe oblata, alta spreta est tibi purpura mente:
Longè alios flagrans inhiabas corde rubores.
Si tibi fors vnquam, si tempora fortè dedissent
Pro templis arisq; tuum effudisse cruorem,
Atque ita purpurea caput insignire corona,
Nullum ideo horrebas discrimen sponte subire,
Iam duris animum assuetus quæcunque ferendo.
Et siquando (etenim virtus obnoxia semper
Ictibus, infestiq; pios odere profani)
Horrida tempestas te contra fortè coorta est,
Inconcusso animo te fluctibus opponebas
Omnibus, & fractas temnebas arduus vndas.
Nec tamen auctores noxæ, cùm perdere posses
Ipse tuis opibus, sæuibas vltus in ipsos:
Sed veluti meritos benè, amica mente fouebas,
Et caros inter nullo discrimine habebas,
Tātùm illis meliorem animū mentemq; precatus.
Qua nos erudiens propiora exempla docebas
Vltrò ignominiam ferre, & conuicia inultos
AEquo animo, & mala sponte pati, mēteq; benignā
Concipere in meritos malè, nec sua præmia cuique
Reddere pro meritis, sed amādo vno ordine habere

Aequè

Aequè omnes, studia illius praeclara secutos,
Qui moriens nostro pro crimine versus ad astra
Orabat veniam lethum intentantibus ipsis.
Atq; ideo tibi vita fuit discrimen vbique,
Et labor, humanis dum te pro viribus effers,
Terrenisq; animo quantum potes eximis oris,
Assiduum ducens contempto fœdere bellum
Cum scelerum inuictis auctoribus, vndiquè duris
Hostibus obiectus, quos in te armabat Erinnys
Addita, & infernis tibi erat certamen ab oris,
Corporeisq; animo obluctatis pestibus acri
Gaudebas varios nunquam tibi deesse labores,
Et tibi ludus erant certamina, cuncta ferendo.
Nunc tibi parta quies, tibi pax secura laborum.
Et quamuis nos imbelles orbisq; relicti
Tristemur, quamuis fusis Verona capillis
Saeuiat, & maestis vlulatibus impleat auras:
Tu tamen ô pelagi tantis defuncte periclis,
Tot maria emensus, tot tempestatibus actus,
Optato fueris portu, & tuta arce receptus
Despicis errantum casus, miseratus ab alto,
Et nostros ope sancte leuas propiore labores.
Quandoquidē Superûm domus illa imperuia viuis
Nunc tibi aperta patet, patet alti ianua caeli,
Lucis inaccessae diffuso lumine fulges
Aureus, &, quo cuncta beantur, Sole reluces,
Quásque preces longè fundebas nuper ad auras,
Nunc Patris ad solium omnipotentis faris ad aures.
Et quamuis caeli nondum dignentur honore

Mort

Mortales noctis densa caligine pressi,
Tu tamen æternum titulis florentibus æuum
Immistus superis agis altis ætheris oris.
Tot diuos terra genitos veneramur ad aras
Proiecti, quorum tantùm benefacta minores
Credimus, & tenuem vix fama accepimus auram.
Verùm oculis tua nos his hausimus aurea facta,
Irreprensa, sacro diuûm dignissima honore.
Scilicet adueniet, nec sera morabitur ætas,
Cùm te mortales vulgò per templa, per aras
Ore sonent, humilésque vocent in vota, tuique
Nominis obiectu supremi numinis iras
Placabunt, statuéntque tuo de nomine templa.
Spero equidē Pater omnipotēs tua nomina ab alto
Audiet ad tumulum orantes, tu vota secundans,
Quæ non humanis opibus, non artibus vllis
Conferri possunt cunctis mirantibus edes,
Et tabulas templo testantes omnia figent.
Iámque huius mihi nescio quid rumoris ad aures
Repit, & hanc in spem vicinas erigit vrbes.
Illum carminibus me in sæcula mille iuuabit
Æternis aperire diem, sacrísq; dicare
Annua quæ feri celebrent toto orbe nepotes.
Intereà mihi sanctus eris, mihi sideris instar
Ætherei, vnde meæ veniat lux plurima nocti.
Iámque adeò magnis magnum decus addite diuis,
Iam votis hominum assuescens Giberte vocari,
In melius flecti cœptis ne defice rebus,
Et quanquam nos arma premāt, hostísq; superbus

Victor

Victor ouans saeuo nostros terat vndique bello,
Et pulchrae Italiae immineat, sacrisq; Quiritum
Moenibus, atque orbis raptis aspiret habenis:
Haud tamen ipse velim super his te multa moueri
Nunc primū. primásq; preces consumpse precandos.
Sunt alij quibus haec curae, toto aethere diui.
Ipsa Dei genitrix, caeli regina, periclo
Huic aderit, Natiq; pedes complexa tonantis,
Nos tutos dabit, & si praestet, ad otia reddet:
Nec sinet euerti sua tot delubra, tot aras.
Te verò, quae cura fuit dum vita manebat,
In terris, eadem caeli super astra sequatur.
Aspice nos propius, quaeq; intus bella fatigant
Conuulsos animos, propiora auerte pericla.
Scis quid opus, nostris quid tātum mentibus obstet,
Scis pater, & coram flens mecum es saepe locutus.
Luce noua adueniens illustres pectora nostra,
Vt nostri ah nimium, & nostrorū semper amorem
Exuti, ac vitae curas mortalis inane
Obliti, vacuas tollamus ad aethera mentes,
Atque ibi regnemus securi, ibi nostra locemus
Sceptra, hominū varios nunquam metuentia casus,
Quóue graues Pater omnipotens attemperet iras.
Nec nouet excidijs res versas funditus omneis,
Ipsi nos versis renouemus mentibus vltró.
Mutemus mores, veterúmque insignia nobis
Aptemus studia, & nostros antiqua labores
Respiciens pietas subeat noua corda, nouentur
Saecula, conuerso redeat gens aurea mundo.

DIVO

DIVO HOMOBONO
Cremonensi.

Beate pauperum pater,
Decus Cremonæ Homobone,
Iuua tuos ciues tuis
Cantu vacantes laudibus.
Nil post Deum, Deiq; post
Magnam parentem Virginem
Noster chorus te sanctius
Colit sacra tibi die.
Sensere nostri sæpius
Tuam patres præsentiam,
Dum supplicum victus prece
Nostris ades periculis.
Tu sæpe nobis percitum
Ira Tonantem mitigas,
Nec in merentes nos sinis
Sæuire pœnis debitis.
Non templa frustrà ponimus,
Arásve dictas de tuo
Vetusta rite nomine
Dicauit olim ciuitas.
Hæc consecuti nobiles
Tui labores præmia,
Dum more diuûm degeres
Vitam caduco corpore.
Tu mente cælum cogitans
Deum gerebas pectore
Quem deperibas vnicè

Rerum tuarum nil memor.
Tu largus indigentibus
Eras profundens omnibus,
Paruum tuo quod prælium
Vix suppetebat victui.
Quod erogabas, largius
Supplebat illico Deus,
Et tosta liba crescere
Sunt sponte visa in arcula.
Quid? obuio cùm pauperum
Non abnuisti cœtui
Quod afferebas vinea
Fossoribus pactum merum:
Cados inanes prodigus
Lympha replesti fluminis,
Quæ visa mox bibentibus
Merum colonis nobile.
Per se tibi templi fores
Vltrò patebant vi sua,
Dum nocte concinentium
Choros adires flaminum.
Ascriptus inde cælitum
Choris beatis, indicas
Apud Deum qua polleas
Rerum satorem gratia.
Funus venitur ad tuum.
Cæci vident, claudi meant,
Muti loquuntur, audiunt
Surdi, leuantur languidi.

Quin & sepulcrum sub tuum
Ducunt furore percitos.
Nunc vsq; cedit protinus
Vis infera potentia.
Regi tamen sit gloria
Horum datori munerum,
Qui trinus vnus omnia
Regnat Deus per sæcula.

DIVO THOMAE Aquinati.

LAEta dies nobis rediijt voluentibus astris,
Qua Volsci Thomas decº, & lux vnica Aquini
Digressus terris cæli aurea templa petiuit.
Ferte rosas, date thura, pio date carmina vati.
Ille Deo ante diem plenus, puerilibus annis
Mortales contempsit opes, contempsit honores,
Quicquid opis potuit miseris partitus egenis,
Quos exercebant morbiq;, algorq;, famesq;,
Nobilium longè fugit tecta ampla parentum,
Fortunamq; domus, inopem traducere vitam
Maluit, atq; humiles cœtu cum paupere sedes
Antetulit habitare. rudi malè tectus amictu.
Fortunate puer, non hæc sine numine venit
Mens tibi, sed teneris tam tum Deus affuit annis.
Fortunas fragiles, perituraq; gaudia vulgi
Despiciens, sequeris longè meliora, supernisq;
Aspiras opibus diuum regnisq; beatus,
Nulla tibi quæ vis vnquam, nulla auferat ætas.
Si non regifico hic tibi diues regia cultu

Luxiruat, si non ostro fulgens comitatus?
At secura quies, & raris nota voluptas,
At tibi tranquillam permulcent otia mentem,
Otia læta, quibus mortales pectore curas
Exutus vacuo egregias amplecteris arteis,
Atq; choris propè par degis cælestibus æuum,
Regum sceptra animo superans, ipsaq; beatus
Pauperie, duris dum pares legibus vltrò.
Fortunatæ animi, egregias diuinitus artes
Hic haurisq; colisq;, tibi se recta loquendi
Ostendit ratio, in dubijs veri omnibus index,
Ne quis fallaci tenebras offunderet astu
Verborum, & nigram lucis sub imagine noctem.
Hic etiam penitus sese omni ex parte videndam
Ostendit natura parens tibi dædala rerum,
Et causas penitus dedit altè accessa repostas.
Insuper & cæli numeros, mensusq;, viasq;,
Et Superos aperis motus ratione, nec vlla est
Ars vsquam doctò quam non vulgaueris ore:
Pectore nil intentatum, nil linquis inausum.
Quid recti mox per populos præcepta canentem,
Vnigenæq; Dei, veterumq; oracula vatum
Pandentem referam? mortalia pectora veri
Implesti accendens lucis cælestis amorem.
Tu quoq; diuina pro re, pro relligione,
Pugnando, in populis vbi plurima sæpe coorta est
Seditio, auersas reuocasti in pristina mentes,
Auctoresq; mali multa ratione subactos
Vrges voce, adigisq; inuitos vera fateri.

Aurea adhuc monimenta manent diuina reperta,
Thesauris sensa orando è cælestibus hausta,
Pro quibus optabas (tibi veri tanta cupido,
Tantus amor cæli) mortalem effundere vitam
Fortiter, atq; tuo testari vera cruore,
Et petere insignem palma è victrice coronam.
Atq; ideo in terris tibi sæpe affulsit ab alto
Cælicolûm Pater, ac pleno se numine fudit:
Quo præsente datum tibi sæpe micantia diuûm
Templa animo peragrare, poliq; arcana referre.
Sæpe hominum tacitas simulato in pectore curas
Detexti: sæpe instantes morbosq;, famemq;,
Præliaq;, cladesq;, & funera prædixisti.
Te nulla inferni potuit vis vertere monstri.
Nil animi nocuere truces, sine corpore vulgus
Nubiuagum, aëreas quos clàm volitare per auras,
Atq; hominum perhibent mentes abducere recto.
Pestibus his magna inuictus virtute resistis,
Et puram puro seruasti corpore mentem
Integer: intactum flexit te nulla cupido,
Nulla Venus, nulli subierunt pectus amores:
Vnus amor cæli supero tibi venit ab axe.
Ipse sator rerum Rex omnipotentis Olympi
Vsq; amor, vsq; tibi dignis fuit ignibus ardor.
Hunc vnum captus sequeris, hunc saucius vnum
Noctes atq; dies flagranti pectore versas.
Hoc sine dulce nihil tibi erat nec amabile quicquã.
Quicquid agis, quicquid moliris, ad æthera versus
Vsqueadeo hunc supplex ante omnia consulis vnum.

Ipse tibi afflatam manifesto numine mentem
Firmabat, votisq; tuis nihil abnuit vnquam.
Te vario hinc illinc positi in discrimine adibant
Suppliciter. tu dexter opem, præsensq; ferebas
Omnibus, atq; tuo seruati munere abibant.
Te quoq; fama refert, prece dũ vim tendis Olympo,
Funere iam elatos reuocasse ad munera vitæ.
Hæc adeò ætherei tibi erant commercia cæli
In terris. quoties socij te nocte silenti
Deprendere, tuos dum in templo affaris amores?
Ara vetus stabat, stabat venerabile saxum
Supra aram nostræ seruans simulacra salutis,
Pendentem cæli ferali è stipite Regem.
Hic tibi, consuleres tacitus dum numen amicum,
Multa super Christi latitanti corpore in almis
Frugibus arcana vi, quæ libamus ad aras
Pro veterum tauris, pro sanguine quadrupedantum,
Reddita vox cælo, templumq; audita per omne est,
Macte animo insigni, mortali corpore Thoma
Septus adhuc habili hausisti mysteria mente,
Quæ vix cælestes animi cælestibus oris
Securi norunt. sed quæ satis ampla tuarum
Præmia erunt laudum? quæ merces grata laborum?
Tu mihi solus, ais: magna atq; vberrima merces
Tu mihi solus eris. nihil ò nihil apprecor vltrà.
Hac vice sermonum oblitum mortalia cuncta
Te perhibent, cæliq; oculis adijsse profunda.
Nanq; ab humo te sublatum (mirabile visu)
Cernebant, ea dum fierent, pendere per auras.

Libratumq́; sólo nil iam debere relicto:
Qualis auis, liquido dum captat flumine piscem,
Stat super, & leuibus vix aëra conciet alis.
Qualis item volucrum regina, liquentibus auris
Summa tenet, radijs oculos dum explorat acutis.
Quanta tuam hîc porrò mulcebant gaudia mentē!
Quantus amor! te ò fęlicem, quanta voluptas!
Tunc tibi lætitia liquefacta in pectore corda
Crediderim, & membris penitus stillasse solutis,
Molleq́; prædulci flagrasse cupidine pectus.
Quas ego opes regū his? quos victo ex hoste triūphos
Contulerim? quos non mortales sanus honores
Posthabeam? tantùm istius me tenuis amoris
Corripiat scintilla tuo de fomite lapsa,
Et rapido algentes mihi torreat igne medullas.
Tu pater hæc tu nos diuinæ incendia flammæ
Erudias bonus: has felices suggere tedas,
Vt versi in melius renouatis moribus vltrò
Placemus Superûm regem, quem crimine nostro
Læsimus, & iustas crebri irritauimus iras.
Sancte veni, precibusq́; tuas mitissime nostris
Iunge preces, nobisq́; tuo placabile numen
Concilia aduentu, nostrisq́; occurre periclis.
Respice nos duris attritos vndiq; bellis.
Hinc atq; hinc hostes fessis crudele minantur
Exitium: iam capta Rhodos, iam Pannonia omnis
Debellata iugum subijt. Quin nuper ab Afris
Infestis vis ventorum pia reppulit arma.
Pro trucibus mare pugnauit prædonibus in nos

Iratum, cælumq́ piam intractabile causam
Damnauit, nostra hostiles (prò) classe per vndas
Disiecta: euasit raro cum milite Cæsar.
Ah dolor, & laceras vix legimus æquore puppes.
Tende pijs redeat vigor in præcordia priscus,
Et nostris rursum assuescat victoria dextris.
Nunc ô si vestro sit quisquam è sanguine ductor,
Qui decus antiquum, laudesq́ imitatus auorum,
Obuius amplexis magno sub Cæsare rebus
Succurrat, patrijsq́ auertat sedibus hostem.
Sit vestræ tibi cura domus, sit cura tuorum
O' Aualæ gentis decus, vtq́ ex orbe tenebras
Vnus tu sola quondam ratione fugasti,
Gentibus & clarum potuisti ostendere lumen:
Sic eadem quoq́ nunc aliquis de stirpe nepotum
Terrorum has tenebras victricibus auferat armis.
Atq́ adeò hunc iuuenē pietate & fortibus ausis
Insignem, modò qui generi superauerat vnus,
Omnipotens Pater his velit aspirare tropæis.
Non ille ignarus decorum, non ille triumphis
Insuetus, veterum sed famam egressus auorum
Tanto operi sat erit, nec onus detrectat iniquum.
Hunc olim Italiæ portus lætantis, & vrbes
Excipiant redeuntem, armis felicibus vltum
Argolicas arces, Solymamq́, & nobile bustum.
Vix prædam ingentem capiant, Turçasq́ frementeis
Regia Parthenope, Prochyteq́ latrantibus vndis
Cincta, Pythecusæq́, & vestri mœnia Aquini.
Quòd si perstat adhuc cæli tamen ira, malisq́

Nond

Nondum finis adest, etiamq́ admissa luendum,
Nec malè amica viro hanc permittunt tēpora laudē,
Huic peperit sobolem egregiam pulcherrima coniux.
Qui pueri! quantum ostentant virtutis amorem!
Nec iam vllū occasum metuit domus alta, nec vllū
Progenies finem: spes fulsit tanta nepotum.
Hac saltem de tot natis crescentibus vni
Debita suspensis maneat victoria bellis.
Si tibi nunc intra Sirenum mœnia templa
Alfonsus dicat, & propriam pater erigit aram:
Ille suis laudem eximiam concesserit vltrò,
Nec pulchris genitor natorum inuiderit ausis.
Tolle tuum cælo genus, & res aspice nostras.

DIVAE MARGARITAE
Virgini.

NVnc te Diua canā, quādo tua templa sacerdos
Ingredior, custosq́ tua nouus addicor ara.
Nympha decus cæli, quam latè fama sequuta est
Per gentes seuum non expauisse Draconem
Squamigerū, ingentē, & cristis capita alta ferentē.
Non te vesani valuit vis vlla tyranni
Vertere; non diræ ve minæ flexere, precésve,
Non ingens auri pondus, non munera opima.
Ille tuo ardebat nimium crudeliter igni,
Optabatq́ tuos thalamos accensus amore,
Quando tibi Armenias par forma inuenta per vrbes
Nulla, tamen multæ Armenias viguere per vrbes.
Mortales sed enim tu non dignata Hymenæos,
Cælesti face flagrabas & regis amore.

Cælicolûm, cui formam vni mentemq́ sacraras,
Pro quo etiam tantos voluisti ferre labores.
Hunc vnum suspirabas, hunc scilicet vnum
Noctes atq; dies infixum corde gerebas.
Quinetiam vera pro relligione pudoreq́
Vltrò læta dares gladio cùm colla secanda,
Hunc vnum exiliens caput à ceruice vocabat.
Ille igitur tibi, conditio vt mortalis adempta est,
Pro vita moribunda, & pro spretis Hymenæis,
Continuò dedit æthereas regnare per oras,
Felices populi degunt vbi morte carentes
Aeternùm, pascuntq́ optato lumina vultu
Numinis immensi, Superûm quæ immēsa voluptas.
Hic tibi celsa domus: molemq́ & corporis artus
Hic habitas exuta, tibi mortalia regna
Sub pedibus, tu cæliuagis immista puellis
Aethera per, superiq́ incedis sidera Olympi.
Nempe choros cùm sæpe vocat festasq́ choreas
Siderei regina poli, veniuntq́ vocatæ
Mille nurus, cinctæq́ olea felice puellæ,
Secreti quà læta magis plaga lucida cæli,
Ipsa venis forma ante alias spectabilis omnes
Nympha decus cæli ò pulcherrima Margarita.
Omnis te sequitur chorus, omnes lilia matres
Cana tibi sternunt, tibi narcissosq́ rubentes
Sub pedibus, capitiq́ addunt redolentia serta.
Ipsa suas tibi patitur sanctissima curas
Aeterni Regis genitrix, domina ætheris alti,
Cùm mortale genus cæli miseratur ab arce,

Atq;

Atq; iras Nati meditatur flectere iustas:
Nos ambæ aspicitis simul, arcetisq; periclis,
Nec te compellat nequicquam nomine quisquam.
Te matres facilem partus iam mensibus actis
Implorant, mediaq; vocant in morte iacentes.
Ipsa faues Lucina, tuo se munere lætæ
Incolumes testantur. adit tua protinus omnis
Hinc delubra chorus matrum, & tibi sacra quotãnis
Dona ferunt, gnatasq; docent connubia nondum
Expertas, primis tua templa inuisere ab annis,
Et votis venerari, & sacras dicere laudes.
Salue cælicolûm virgo, decus innuptarum.
Huc ades: & quamuis alibi maioribus aris
Templa tibi fumant, cæloq; minantia tecta,
Ne tamẽ ex longo addictam tibi sperne Cremonam.
Sed quoties hanc tura tibi incendemus ad aram,
Læta veni, & facilis nostris diua annue votis.
Aspice vt Italiæ felicem hanc diuitis oram
Seruitio vsq; premant externi, vt finibus hostes
Nunc hi nunc illi in nostris æterna fatigent
Bella, nec Italia possunt decedere victa.
Nos fessi rerum intereà victoris iniqui
Præda sumus: coràm aspicimus populatibus arma
Nostra rapi, nostros maculari cæde penates.
Pinguia iam squalent abductis arua iuuencis:
Vndiq; præcipitesq; fugam petiere coloni.
Ciuibus ô tandem lucem da cernere nostris,
Et populis redeat vetus in præcordia virtus!
Inter se positis vltrò ciuibus armis

Pacem agitent, vnaq; velint occurrere pesti
Communi, atq; ferum diuellere finibus hostem.

DIVAE MARGARITAE
Virgini.

MArgarita tuam, senium quam euerterat, adē
Vida tibi è patrio marmore restituit.
Pro qua si pietate vlla est ei gratia apud te
Parta, sacerdotem respice diua tuum.
Non aurum, non, quos vulgus suspirat, honores,
Non longa in terris sit sibi vita, petit:
Verùm illum sibi concilies, cui sanguine fuso,
Cui simul æterna virginitate places,
Numen vt illius in morte experiatur amicum,
Illius inq; pijs sit pius vsq; choris.

DIVAE PELAGIAE
Virgini.

TV quoq; carminib9 Pelage memorabere nostris,
Parua meis cui flore halat penetralibus ara,
Diua, olim Armenias inter celeberrima nymphas,
Fax iuuenum. neq; enim melior fuit altera forma,
Ornatuq; prior, gressum quacunq; ferebas
Antiochi mediam pube stipante per vrbem
Gemmiferum caput attollens, auroq; relucens,
Ore oculisq; faces iactabas, vnde iuuentus
Pestem animis male cauta acremq; bibebat amorē,
Et tibi ludus erat cupidos suspendere amantes,
Ac torquere diu. foribus tibi pendula serta
Semper erant, querulumq; iterabat ianua carmen:
Nec tua erant stratis sine limina amātibus vnquā,

Quæ miseris durum præbebant nocte cubile.
Hæ tibi erant artes, primæ hæc commercia vitæ.
Ast vbi verus amor cælo te cepit ab alto,
Corq; tibi Omnipotens diuinitus attegit aura
Ad miras vatis voces & verba loquentis,
Continuò totis tota es resoluta medullis,
Et tibi delicuit glacies ceu mobile pectus.
Atq; vbi sublata est oculis, quæ plurima nubes
Te circum caligabatq;, aciemq; premebat,
Ne cæli queres iucundum cernere lumen,
Quæ facies rerum horribilis, quæ noctis imago est
Visa tibi? quantus tibi pectus perculit horror?
Vidisti fueris quàm tetro obnoxia monstro:
Vidisti quibus in tenebris quantisq; periclis
Expositam certæ morti te sponte ferebas.
Ah nimiùm secura mali, secura pericli,
Ni tibi dexter opem supera Deus arce tulisset!
Ac veluti pelagi in medio pugnantibus Austris
Siquis fortè, graui qui vinctus membra sopore
Nil sensit, dum sæuit hiems, mox fluctibus actus
In siccum, somno excitus quanto æquora motu
Turbentur videat, quantas euaserit vndas,
Syrtesq;, scopulosq;, & naufragos Euripos,
Horreat, & tutum vix sese in littore credat:
Sic tu Nympha mali admonita instantisq; pericli,
Quos pelagi fluctus, quantos enaueris æstus,
Horrebas vitæ studia illaudata peractæ
Incusans, tendensq; ambas ad sidera palmas.
Flebas, purpureasq; genas largo imbre rigabas,

Pacem

Pacem orans, imoq; trahens suspiria corde.
Iamq; animos penitus sensusq; oblita priores
Reijcis ornatus veteres, corpusq; superbum
Frigore vix prohibens hirsuto inuoluis amictu,
Fortunasq; omneis, quarum tibi copia larga,
Venturi secura, inopum partiris in vsus.
Iam tibi lucentes gemmæ, iam purpura, & aurum,
Tectaq; marmoreis sordent subnixa columnis.
Iam species vilis, iam vilia munera formæ,
Et solitum tibi dulce nihil: mortalia temnis
Omnia, sublimiq; animum defigis Olympo.
Ille sibi æterno te captam iunxit amore,
Qui nos morte sua tenebris eduxit ab atris,
Criminaq; effuso deleuit nostra cruore.
Huic vni te Nympha colis, huic pecteris vni:
Hos vnos tacito suspiras pectore amores.
Atq; ideo vitas hominum vestigia, & vrbem
Effugis incomitata petis loca sola, nec horres
Præside freta Deo sæuarum lustra ferarum.
Non tamen omne sôlum cordi tibi: sed placet vnus
Montis Oliuiferi, Solymorum qui imminet vrbi,
Altus apex, quem sæpe tuos audimus amores
Cum socijs lustrasse Deum sub mole latentem
Corporea, fessumq; oleis iacuisse sub altis.
Quóve pudicitia incolumi vis omnis abesset,
Veste genus mentita, virumq; imitata latebas.
Fortunata amplis opibus, rebusq; relictis
Sede sub angusta, tugurijq; in pauperis antro
Pauper agis duram non paupere pectore vitam.

Vincis opes animo, nuper quibus ampla fluebas,
Nec quicquã tibi desit, habes quando omnia in vno.
Quo frueris, quò cuncta refers, ille omnia solus
Est tibi: nil illum præter tibi, quem cupis vnum
Saucia, suspirasq́ʒ, imisq́ʒ è sensibus ardes,
Noctes atqʒ dies animo hæc vna addita cura.
Sæpe ideo terris subuecta mente relictis
Tolleris alta petens, liquidumq́ʒ per aëra vecta
Carpis iter, superas nubes, atqʒ æthera tranas,
Sanctorumq́ʒ acies volucrum ter terna pererras
Concilia, hac illac vestigans lumine passim
Quem sine fine ardes, quem cor tibi deperit vnum,
Donec eum teneas tandem complexa repertum
Illum animo, tota illum hauris latissima mente,
Totum obiens acie (neqʒ enim dimittis) acuta.
Nec tibi diuina labefiunt lumina luce
Qua frueris, miraq́ʒ animum dulcedine pascis.
Intereà exanimum lethi ceu frigore corpus
Labitur, & dulci torpent tibi membra sopore.
Et pigeat castas post vincula sacra puellas
Spernere mortales ignem vnum propter amores?
Non tamen inuidia volucer tibi defuit hostis
Noctipotens, pulchris semper contrarius orsis.
Ille tibi memorabat opes, memorabat amores,
Quos fugeres, prisca & reuocabat ad otia vita
Mollia desidiasq́ʒ, animum conuellere nixus.
Tu saxo veluti turris fundata vetusto
Stas contrà, & fractas obiectu reijcis vndas.
Illius obiectu cui toto pectore flagras.

Te quoties petijt, toties certamine victus
Cessit, & exutus, fidit quibus, arma reliquit,
Vsqueadeo vt pugna fugeret se credere iniqua,
Et tremeret nigris manus importuna sub oris.
At nonnulla etiam dura solatia vita
Hic tibi erant aliunde, cohors neq; deerat amantũ.
Nam vulgò tuguri ante fores examina fera
Sape audita ferunt superûm sub nocte volucrum
Ludere, & in numerũ liquidos tibi fundere cantus:
Tunc etiam quandoq;, antro cùm exire iuuabat,
Ibas, & loca plena Deo sola sancta legebas,
Et fortunatas lustrabas lumine sedes,
Vnde salus hominum infanda trabe nexa pependit.
O' illis mihi si quoq; detur degere in oris
Quòd superest huius moribundo in corpore vita!
Dulce foret sacra vestigia ponere terra,
Atq; vias legere interdum, quas ipse per olim
Sapius audirem Regem omnipotentis Olympi:
Quãdo (humiles nam me retrahunt, onera inuida, [cura)
Pressus humi nequeo sublimẽ tollere mentẽ
Ad cali iubar, & superas percurrere sedes.
Sic animum saltem dulci solarer amore,
Inspiciens tantorum operum monimenta per agros.
Felices agros nimiùm, felicia rura,
Felices montes, pedibus quos presserit ille:
Felices fontes, queis labra admouerit ille:
Nullum mane mihi, nullus mihi vesper abiret,
Quin tumulo accumbens venerarer nobile bustum,
Saxa lauans lacrymis, fortunatumq; sepulcrum

Ample

Amplectens, cui diuinos tegere obtigit artus,
Donec ad ætheteas rediuiuus surgeret auras.
Tum siquis mihi demonstret quo puluere fusus
Diuinus cruor, ore legam, terræq; beatæ
Sæpius accurrens nunquam satis oscula figam.
O saltem si, cùm mihi venerit vltimus æui
Finis, ibi fessæ vitai claustra relinquens,
Sensibus extremas auras fugientibus hauriam,
Quas moriens Heros posito capite expirauit,
Tum mihi felici quàm molliter ossa quiescant!
Hæc tibi semper erant: nec te vlla auertere Nimphæ
Tempestas potuit tam turbida, quin loca adires
Ardua quotidie, lacrymarumq; imbre rigares,
Donec languentes te mors fera exuit artus,
Et superas anima petijsti præpete sedes:
Is vbi in amplexus nunquam fallentis amantis
Sæpius, & dulci frueris per sæcula amore.
Ille tibi spretis pro gemmis, murice, & auro
Indutæ cæli æterna dat luce nitere:
Pro iuuenum cœtuq;, & pro nuruum famulatu,
Aligeris immista choris, immista puellis
Cælicolis plaudis choreas, & carmina promis.
Ipsa tibi consors patriæ non immemor olim
Vsq; comes graditur pulcherrima Margarite,
Nec sine te iuuat æterna indulgere choreæ.
Salue Diua Erebi terror, decus addita cælo.
Accipe, nunc tibi quos vtcunq; nouamus honores.
Promerita tibi templa damus, tibi ponimus aras,
Atq; tuo frumentiferos de nomine campos

Dixim

Diximus: ipsi etiam norunt tua sacra coloni.
Serta tibi è primis suspendunt spicea aristis,
Pomaq; mellaq; purpureosq; è vite racemos.
Præsentemq; vocant agris, pecoriq;, satisq;,
Arboribusq;: rogant ne culmos aspera adurat
Rubigo, grandoq; leues terat horrida aristas,
Néve nemus latum vites coquat alba pruina,
Decutiatq; nouos exusta ex arbore flores,
Neu pyrus arescat, folijs've vberrima morus,
Néve apibus noceant longæ mala frigora brumæ.
Plurima præcipuè volitans lactentibus absit
Messibus, heu, nostris nunc primùm cognita terris,
Prataq; ne nigro viridantia demetat ore.
Sit lætum pecus omne. lupus procul absit acernis
A' stabulis, valeantq; canes, sit rustica proles
Vuida. ne pubes sit turpi obnoxia morbo,
Nec fleat informi lapsos de vertice crines.
Nos verò, humani generis quos inuidus hostis
Insidijs petit, & recto deducere tendit,
Respice Diua. vides quibus vndiq; pectora captet
Nostra dolis, quot se in facies, quot vertat in ora
Abditus, incautosq; occulta indagine cingat.
Nunc Veneris curis paulatim innectit amaris,
Illecebrasq; animis, atq; otia inertia suadet,
Adq; epulas vocat, & nocturna pocula mensæ.
Nunc petit iniecto ventosæ laudis amore.
Sæpe ostendit opes: interdum ostendit honores,
Inuidiaq; odijsq; animos inflammat acerbis.
Quot scelerum facies, illi tot retia, queis nos

Impli

Implicet, & varia deludat imagine captos.
Eripe nos, precibusq; tuis euadere casses
Detur, & occultas hostis deprehendere fraudes.
Quandoquidem tectis potuit te fallere nunquàm
Irritus ille dolis, semperq; irrisus abiuit.
Hos tu non ignara modos nos instrue & arteis,
Et tibi sit pietas nostra, ó pulcherrima, cordi,
Te quanuis paruo colimus Pelagia sacello.

CAELITIB. VIRGINIB.

Caeli delicia beatioris
Quid vos in Superûm domo puellæ
Tam multis rear actitare seclis?
Vos mi dicite, vósne sempitèrna
Iuuant otia, & vsque feriatis
Cordi est perpetua frui quiete.
Dum vestros animos alit voluptas
Illa illa illius effluens ab ore,
Aspectu ómnia qui beat vel vno?
An vos ó potius iuuat choreis
Indulgere, chorosq; ductitare
Ad cæli numerum vsq; concinentis?
Vos ó vos videos videre molli
Stellatis pede lusitare in hortis
Molles, lacteolas, venustulásque.
Quàm vos quàm iuuat insequi vsque amantem
Formosum placitæ arbitrum choreæ!
Quàm vos carmina dicere vsque amanti
Ductori placitæ iuuat choreæ,
Qui quocunque oculos & ora vertit,

Haustis omnia amant repentè flammis!
Quàm vos quàm iuuat vndiq; expetitas
Huic nesciisse virum, huic necem subisse,
Pro nobis quoque qui integer peremptus!
Hunc vt sensibus intimis amatis,
Toto aut pectore deperitis vnum,
Et vestro est in amore nil amarum,
Hæc mihi dicite virgines. Sed vnum est
Quod nunc vos aliud velim rogatas.
Id mi dicite puriter roganti,
Hæc inter quid agunt mei ambo ocelli,
Margarita rosa prior recenti,
Et forma Pelage haud minus venusta,
Quas nos plus oculis amamus ipsis
De nobis meritas bene, atq; amantes?
Ecquæ illis aliæ venustiores
In vestra choreæ vacant corona?
Vt ô vt mihi nunc videntur ambæ
Post cæli dominam, Dei parentem
Prælucere, aliasq; præterire
Subsultim celeris duces choreæ.
En blando vt pede, blanduloq; motu,
Casto vt corpore, castulisq; ocellis.
Hæc vt purpureo rubens in ostro,
Illa vt candidulo albicans ligustro
Lætæ virgineis vtraq; palmis.
Saluete ô simul ætheris puellæ
Omnes aureolæ, integellæ & omnes,
Nos interdum opibus iuuate vestris:

Qui

Qui mortalibus ignibus calemus,
Vestra nos facis vstulate flamma.

DE DIVIS CAELITIB.

ADeste mecum virgines, & integri
Pueri, & puellæ, & omnis ætas, maximè
Casti, & pudicæ coniuges adhuc viris
Iunctæ, aut solutæ vinculis iugalibus.
Neque non vocamus quos iuuentæ nequiter
Piget peractæ, admissa pœnitentia
Ex corde, ab imo diluentes pectore.
Adeste, mecum laudibus sustollite,
Quos præteriuimus, beatos ætheris
Sublimioris, generis omnis, incolas.
Non vnus omnes prosequi ego versu queam,
Fauete linguis, saltem eos silentio
Taciti simul veneremur innumerabiles.
Miremur omnium perennes laureas,
Claros triumphos, inclytasque glorias,
Eos & omneis aduocemus sedulò,
Nobis vt alto opem ferant ab æthere
Periculis in omnibus: neque nos sinant,
Quoad valebunt, cedere obrutos malis.
Non quòd suapte vi, sua aut potentia
Queant iuuare hominem, & opem impartirier.
Diui neque bona, neque vlla dant cuiquam mala.
Est vnus omnium bonorum publicus
Disseminator, ille cæli præpotens
Regnator orbis conditor, hominum sator,
Cui omnia famulantur, omnia subiacent

Obnoxia, vnus omnibus vbiq; imperat,
Vnusq; quos vult eligit, quos ope iuuet,
Nullius ipse externæ opis porrò indigus.
Quos verò habet neglectui, in præceps sinit
Ruere misellos, ac malis prorsum omnibus
Circumuenit, dans cuiq; pro merito, vt lubet:
Vltor seuerus criminum, mortalibus
Perterrefaciens conscia intus pectora,
Cælum trisulcis cùm coruscat ignibus,
Tonitruq; templa concutit cælestia.
Nobiscum enim persæpe agatur sæuiter,
Nobis nisi eius præsto vbiq; Filius
Adesset aduocatus, & se opponeret
Caro Parenti, is dum parat nos funditus
Vertere, malisq; quæ meremur perdere:
Cui detegit quæ passus est olim volens
Vulnera, peremptus pro salute publica.
Hunc supplices homines in omnibus adeunt
Discriminibus, & aduocatum vnum admouent.
Verùm quia plerunque suppudet reos
Adire rectà regium Gnatum vnicum,
Hunc deprecatorem vt sibi illico parent,
Néve alloquantur eum sine internuntio,
Prius adhibent de ciuium numero aliquos,
Et, aduocatum qui precentur, aduocant,
Seu sint adhuc nos inter hic superstites,
Siue in supernam iam aduolarint curiam.
Est tutius verò aduocare quos scias
Intra receptos iam ætheris domicilia.

Neq; est verendum ne aduocati exaudiant,
Quod oppidò remoti ab ijs habitent plagis,
Humusq́; ab astris absiet quamplurimùm.
Vident piorum animæ ac volucres spiritus
Semper beati humana facta, & audiunt:
Sed non suapte acie, suóve lumine:
His omnia repræsentat ante oculos sua
In luce Soboles cuncta cernentis Dei,
Rerum fideles suggerens imagines.
Hunc intuentes intuentur omnia,
Quæcunq; opus, vel quæ haud Pater eis abnuit,
Itidem audiunt omnia vocati cælites,
Et obsecrati pro obsecrantibus obsecrant.
Est ille speculum, est vnus idem Echo omnibus.
Ob id tamen mortalium ipsi mentibus
Haud inseruntur. solus illapsu Deus
Adest, & animis influit præsentia,
Solusq́; propitio fouet nos numine.
Nulli creato est numen aut diuinitas.
Vult ipse post se nos tamen venerarier
Honore proximo Quirites ætheris,
Et supplicabundos sepulcra visere,
Et quicquid eorum apud nos reliquum est,
Nec tura eis negare, nec crocum, aut rosam.
Quare agite mecum adeste cuncti, & ætheris
Onerate votis vniuersam curiam,
Nobis beneuolum vt aduocatum sedulò
Reddant, suaq́; cælites nos euehant
Qua plurima pollent apud eum gratia.

Is dehinc Parentem propitium nobis dabit,
A quo perenni ut fonte, cuncta fluunt bona.

D. CAELITIBVS.

ADeste sancti cælites,
Ciues supernæ curiæ,
Vestra leuantes nos ope,
Deo propinquos iungite.
Tu diua Virgo Virginum
Princeps, Dei puerpera,
Regina cæli, da tuum
Adesse nobis Filium.
Vos dehinc beati præpetes,
Dei fideles nuntij,
Simul creati cum noua
Nascentis orbis machina.
Quos contumax contra Deum
Non extulit superbia:
Sed perstitistis in fide
Vlti rebelles prælio.
Tum vos caduci corporis,
Ceu nos, onusti pondere
Quondam, mares aut virgines,
Nunc dij beati cælites,
Quos vestra virtus ætheris
Euexit ad fastigium.
Floretis illic maxima
Iam consecuti præmia.
Vos inuocamus supplices,
Nobis famen defendite,


Sint bella longè, sit lues:
Sit nostra cælo arrecta mens:
Vt mox leuati vinculis,
Grauiq; mole corporis,
Migremus ad vos illico,
Vestros adoptati in choros.
Possimus hæc vt assequi
Vobis rogandus maximus.
Ter vnus ille qui bona
Potens opum dat omnia.

FINIS.

OMNES *rogatos Vida vult quammaximè*
Qui legerint versus suos, si offenderint
Quippiam quod alienum à sacris mysterijs
Videatur, antè ne improbent quàm intelligant.
Nam recta sentit cum optimis, & asserit
Quæ firma patrum comprobat consensio,
Omniaq; quæ scripsit, bona scripsit fide.
Nec factiosum ferre genus hominum potest,
Qui, vt esse videantur aliquid, vetera eleuant,
Nouasq; semper efferunt ineptias,
De industria recta deerrantes via.
Siquid per imprudentiam dixit tamen
Quod parte ab vlla claudicare censeant,
Vult esse non dictum, abolitumq; funditus.
Et ipse iam nunc abrogat dicto fidem.

MAR. HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS CHRISTIADOS

LIBER PRIMVS.



VI mare, qui terras, qui cælum numine comples,
Spiritus alme, tuo liceat mihi munere Regem
Bis genitum canere, è superis qui sede Parentis
Virginis intactæ grauidam descendit in aluum,
Mortalesq; auras hausit puer, Vt genus Vltus
Humanum eriperet tenebris & carcere iniquo
Morte sua, manesq; pios inferret Olympo.
Illum sponte hominum morientem ob crimina tellus
AEgra tulit, puduitq; poli de Vertice Solem
Aspicere, & tenebris insuetis terruit orbem.
Fas mihi te duce mortali immortalia digno
Ore loqui, interdumq; oculos attollere cælo,
Et lucem accipere ætheream, summiq; Parentis
Consilia, atque necis tam diræ euoluere causas.
Iam propè mortis erant metæ, finisq; laborum
Christo aderat, Solymūq; ideo haud ignarus ad Vrbem
Phœnicum extremis remeans de finibus ibat.
Illum ingens comitum numerus, iuuenesq; senesq;

Sponte sequebantur, rerum quos fama trahebat
Vndiq; collectos. nam magnas siue per vrbes
Ferret iter, seu desertis in montibus iret,
Olli se innumeri iungebant vsque, parati
Iussa sequi, vellet quascunque abducere in oras:
Atq; nouos erat hic semper fas cernere cœtus:
Pinifero veluti Vesuli de vertice primùm
It Padus exiguo sulcans sata pinguia riuo,
Hinc magis atq; magis labendo viribus auctus
Surgit, latifluoq; sonans se gurgite pandit
Victor: opes amnes varijs auxiliaribus vndis
Hinc addunt atq; inde, suo nec se capit alueo
Turbidus, haud vno dum rumpat in æquora cornu.
Tum verò numero socios seiunxit ab omni
Bissenos, sibi quos olim delegit vt essent
Tantorum memores operum, testesq; laborum.
Atq; vbi secretos nemora in seclusa vocauit,
Procera innitens cedro mœstissimus ore,
Eq́; imo rumpens suspiria pectore fatur,
Ventum ad supremum socij: data tempora vitæ
Exegi in terris: lux nunc infanda propinquat,
Meq́; pij manes expectant: illius ergò
En vltrò infensam Solymorum ascendimus vrbem.
Illic informis lethi mihi dira parantur
Supplicia: immeritum me nunc coniurat in vnum
Sæua sacerdotum manus, vt non inscius ipse
Prædixi toties, ac vobis cuncta retexi.
Ibo, morte mea veterum scelus omne piabo.
His me prime malis oneras pater: ipse tulisti

Dulc

Dulcia poma: mihi sed nunc tua furta luendum.
Cùm tamen expulerit tenebras lux tertia rebus,
Aëreas cæde abluta reuocabor in auras.
Vos etiam quos non pertæsum deniq; nostri,
Funera acerba manent: audete, & lucis amori
Istius æternum vitæ immortalis honorem
Mecū omnes præferte: domus non hæc data, non hæ
Sunt vobis propriæ sedes. Vos ætheris alti
Lucida templa vocant, stellis florentia regna,
Pax vbi secura, ac requies optata laborum.
Hic domus, hic patria: huc omnes contendite læti
Angustum per iter: vestras hic figite sedes.
Dixerat. at socij defixi lumina mœstis
Hærebant animis, ac tristia multa putabant.
Tum senior Petrus haud lingua vociue pepercit,
Et tali Diuum affatus sermone precatur,
Nate Deo, quæ tanta Deum te denique cæli
Vis agit, vt libeat lethum crudele pacisci
Pro quoquam, aut certis vltrò te offerre periclis?
Quin age te incolumi potius (potes omnia quando,
Nec tibi nequicquam Pater est qui sidera torquet)
Perficias quodcunq; tibi nunc instat agendum,
Non adeò exosus lucem, ingratusq; salutis.
Hos animos, hanc confestim precor exue mentem.
Ipse tui miserere, tuûm miserere, nec vltrò
Proijce nos: qui te tendis quocunq; sequemur.
Sic ille, increpuit dictis quem talibus heros,
Non pudet, ó nunquam sapiens mortalia semper
Voluere nube oculos pressum, cælestium inanem?

Nec

Nec potis es vanis vnquam desuescere curis?
Hac'ne tibi consulta mei suasere labores?
Non hoc consilijs, non hoc auctoribus istis
Tempus eget, Genitor iussis haud mollibus vrget.
At vos ô, rebus spretis mortalibus omnes
Ferte viri, & duros animo tolerate labores,
Oblitique hominem cælo altas tollite mentes:
Et cùm mortales linguas in iurgia soluent
Vos contra, falsis onerantes nomina vestra
Criminibus, gaudete, ac firmo pectore ferte,
Indignamque ignominiam contemnite læti.
Hinc fortunatos vos dicite, præmia quando
Certa manent, oriturque ingens hinc gloria vestra.
Hæc fatus, montes aditum fert tristis in altos.
Incedunt vnà socij cum Rege parati
Cuncta pati, & iuuenis sortē indignātur iniquam.
Et iam palmosæ subit Hiericuntis ad vrbem:
Zacchæi excipitur tecto, mensisque paratis,
Cui quondam componere opes per fasque nefasque
Immensas amor acer erat, sed luce recepta
Hospitis aduentu, cœpit malè parta luendo
Reddere cuique suum, partiri cætera egenis,
Tot facti infectique auri congesta talenta.
Hic subitò non læta ferens grauis impulit aures
Nuntius, atque animum rumore momordit amaro.
Lazarus haud procul hinc Bethanes regna tenebat
Diues opum, clarus genus alto à sanguine regum:
(Nam pater ingentes Syriæ franauerat oras,
Vique sibi captas quondam subiecerat vrbeis)

Nem

Nemo illo hospitibus facilis magis: omnibus illa
Noctes atq; dies domus ultrò oblata patebat.
Huc etiam persæpe ipsum succedere Christum
Haud piguit, creberq; domus indulsit amicæ
Hospitio, atque Deum posita se nube retexit.
Hunc igitur postquàm morientem accepit, & acri
Vix, morbo correptum, auras haurire supremas,
Et quasi iam lethi portas luctarier ante,
Demisit lacrymas, sociisq; hæc edidit ore,
Cedamus, letho actutùm reuocandus amicus
In lucem, modò me summus Pater audiat ipse,
Atq; suas velit hîc, vt sæpe, ostendere vires.
Hæc ait, & gressum Bethanæ tendit ad vrbem.
Prosequitur comitum manus ingens, atq; videndi
Innumeri studio socios se protinus addunt.
Intereà longè mundi Regnator opaci,
Infelix monstrum, penitus non inscius illam
Iam propè adesse diem, superi qua maximus vltor
Imperio patris infernis succederet oris,
Manibus auxilio, ac sedes vastaret opertas,
Sollicitus parteis animum versabat in omnes,
Siqua fortè potis regno hanc auertere cladem,
Moliriq; Deo lethum meditatur. ea vna
Denique cura animo sedet, hæc sæpe vna resurgit.
Demens, qui id propter tantùm non viderat ipsum
Demissum cælo iuuenem, quo sponte piaret
Morte obita veterū culpā, & scelus omne parētum.
Protinus acciri diros ad regia fratres
Limina, conciliū horrendū, & genus omne suorū

Imper

Imperat. ecce igitur dedit ingens buccina signum,
Quo subitò intonuit cæcis domus alta cauernis
Vndiq; opaca, ingens, antra intonuere profunda,
Atque procul grauido tremefacta est corpore tellus.
Continuò ruit ad portas gens omnis: & adsunt
Lucifugi cœtus, variaatque bicorpora monstra,
Pube tenus hominũ facies, verùm hispida in āguem
Desinit ingenti sinuata volumine cauda.
Gorgonas hi, Sphyngasq; obscœno corpore reddunt,
Centaurosq; hydrasq; illi, igniuomasq; Chimaras,
Centum alij Scyllas, ac fœdificas Harpyias,
Et quæ multa homines simulacra horrentia fingunt.
At centumgeminus flammanti vertice supra est
Arbiter ipse Erebi, centenaq; brachia iactat
Centimanus, totidemq; eructat faucibus astus.
Omnes luctificum fumúmque, atrósque procaci
Ore oculisq; ignes, & vastis naribus efflant.
Omnibus intorti pendent pro crinibus angues
Nexantes nodis sese, ac per colla plicantes:
In manibus rutilaq; faces, vnciq; tridentes,
Queis sontes animas subigunt, atque ignibus vrgēt.
Nec minus illi etiam diuersis partibus orbis
Conueniunt properi, qui terris omnibus errant
Hortantes scelera, ac varijs mortalia ludunt
Pectora imaginibus, rectiq; obliuia suadent.
Necnòn ventorum tempestatúmque potentes,
Nubiuagum genus, haud certa regione locati,
Nimborum in media consueti nocte vagari.
Ergo animis prompti, atque opibus coiere parati

Vnà

Vnà omnes: fremitu vario sonat intus opaca
Regia, rex donec nigram igne tricuspide dextram
Armatus cœtu in medio sic farier orsus,
Tartarei proceres, cælo gens orta sereno,
Quos olim huc superi mecum inclementia Regis
AEthere deiectos flagranti fulmine adegit,
Dum regno cauet, ac sceptris multa inuidus ille
Permetuit, refugitq́ parem quæ prælia toto
Egerimus cælo, quibus olim denique vtrinque
Sit certatum odijs, notum, & meminisse necesse est.
Ille astris potitur, parte & plus occupat æqua
Aetheris, ac pœnas inimica è gente recepit
Crudeles. pro sideribus, pro luce serena
Nobis senta situ loca, sole carentia tecta
Reddidit, ac tenebris iussit torquere sub imis
Immites animas hominum, illætabile regnum.
Haud supera aspirare poli datur amplius aula.
Ingens ingenti claudit nos obice tellus,
In partémque homini nostri data regia cæli est.
Nec satis: arma iterum molitur, & altera nobis
Bella ciet, regnisq́ etiam nos pellit ab imis,
Id propter iuuenem ætherea demisit ab arce
Seu natum, siue alitibus de fratribus vnum.
Iamq́ aderit, fretusq́ armis cælestibus ille
Sedibus exitium vehet his, & regna recludet
Infera, concessasq́ animas nostro eximet orbe.
Fors quoq́ nos, nisi non segnes occurrimus, ipsos
Arcta in vincla dabit, vinctosq́ inducet Olympo
Victor ouans. superi illudent toto æthere captis.

Iste autem quanuis mortalia membra caducus
Induerit, tamen est nostris imperditus armis.
Nempe ego sæpe adij, coramq; interritus vrgens
Tentaui insidijs nequicquam (non ea me res
Falsum habuit: neq; enim nũc primùm talia cerno)
Quas non in facies, quæ non mutatus in ora
Accessi incassum? semper me reppulit ipse
Non armis vllis fretus, non viribus vsus:
Sed tantùm veterum repetito carmine vatum
Irrita tentamenta, dolos, & vim exijt omnem.
Ergo quæ mihi nunc surgit sententia pandam.
Ille iter antiquas Solymorum instaurat ad arces,
Sit licet inuisus magnæ primoribus vrbis:
Quippe sacerdotes odijs ingentibus illi
Infensi insidias, vt cuique est copia, tendunt,
Solliciti veterum pro relligione parentum,
Vt ferro incautum superent, & funere multent:
Quãdoquidẽ ille nouos ritus, noua sacra per vrbes
Instituit, priscasq; audet rescindere leges.
Hic opibus vestris opus: en nunc confieri rem
Tempus adest: in eum cuncti maioribus illos
Inflammate odijs, & vera, & praua canentes,
Pestiferumq; animis furtim inspirate venenum,
Ne victi, oblitiq; iras corda aspera ponant:
Sed sæui magis atq; magis, stimulisq; subacti
Acribus absistant nunquàm, nisi cæde peracta.
Si verò, siquis socijs ex ipsius vnum
Bis senis capere, atq; dolis peruertere possit,
Res confecta, metus penitus sublatus & omnis.

Præci

Præcipitate moras, fluxis succurrite rebus.
Nunc tectis opus insidijs, nunc viribus vsus.
Vix ea fatus: vbiq; ruentes iussa facessunt
Auctores scelerum, portisq; ex omnibus altè
Diuersi rumpunt: tremit abdita murmure Tellus.
Incubuere auris: crinitas anguibus alas
Obscurum per inane mouent, terrasq; capessunt.
Non tam olim densa sublimes nube per auras
Florilegæ glomerantur apes æstate serena
Nubifugo Borea, & madidis cessantibus Austris,
Siquando exhorta est inter discordia reges,
Sæuaq; collatis inuadunt prælia signis.
Væ, quibus institerint terris, quibus orbis in oris
Dira cohors, quantas populis feret illa ruinas?
Iamq; emensus iter multis comitantibus heros,
Vera Dei soboles, Bethanes mœnibus instat.
Cernit ibi mœstas crinem laniare sorores
Munera fraterno tumulo suprema ferentes,
Expertem thalami Marthan, atq; vrbis auitæ
Magdali dictam de nomine Magdalenam.
Progreditur, bustumq; petit: mœstissima Martha
Hunc simul ac vidit, comites, fratrisq; sepulcrum
Deserit, ac multo venienti occurrit honore.
Insequitur soror inde, oculos ambæ imbre madentes,
Fœmineis ambæ plangoribus indulgentes.
Vtte post cari germani funera tandem
Accipimus venientem? vt te sæpe ille vocabat
Magne hospes gelidi perfusus frigore lethi?
Atq; equidem credo, tunc sors te siqua dedisset

Nobis, nunc etiam vitales duceret auras.
Nunc quoque (nil quando clari tibi rector Olympi
Abnuit) haud penitus nobis spes omnis adempta est.
Talibus orabant: comites simul omnia luctu
Miscebant: mœstis resonabant cuncta querelis.
Ast heros tristes dictis solatus amicis
Spondet opem, superas rediturum ad luminis auras
Actutum fratrē incolumen, quē faucibus haustum
Telluris quarto iam Sol non viderat ortu.
Diditur hæc totam confestim fama per urbem,
Quæ cunctis incredibilisque & mira videri.
Vicinis populi paßim de montibus omnes
Concurrunt studio visendi, atque omnia complent.
Ventum erat ad tumulum: stat circunfusa iuuētus:
Ipse autem in medio duplicis ad sidera palmas
Iandudum tendens oculosque immobilis heros
Orabat, tacitusque Parentem in vota vocabat.
Orantem obseruant taciti, intentique tuentur,
Quid iubeat, quæ signa ferat, quò deinde cadat res.
Bis toto color ore abijt, bis pectore anhelo
Infremuit, nutuque caput concußit honestum.
Ecce autem tumuli tremere ostia visa repentè.
Omnibus extemplo subita formidine sanguis
Diriguit, penitusque inuasit pectora frigus,
Cùm tandem Deus has effudit ad æthera voces,
Summe Parens quamuis precibus nil abnuis vnquā
Ipse meis, quæcunque petam, tamen hoc tibi grates
Munere semper agam: tua quanta potentia, vidit
Circunfusa manus, populi videre frequentes.
Vos

Vos autem famuli properate, recludite marmor,
Saxum ingens auferte, Viroq; exoluite Vittas.
Nec mora præceptis, patuerunt clauſtra ſepulcri,
Concurſu accedunt magno, attonitiq; pauore
Inſpectantq;, Videntq; intus deforme cadauer,
Vixq; ſibi credunt, nullo cogente moueri.
Nec mora, clamantis ter Voce Vocatus amici
Erigitur, loquiturq;, & calo Veſcitur auris.
Obſtupuere omnes: nec ſat Vidiſſe loquentem,
Aut audiſſe ſemel, dum cuncta ex ordine narrat
Conuentu in medio, quæ funere paſſus in ipſo eſt,
Quanto anima inſtantis Vi lethi excluſa dolore,
Terrenoſq; diu eluctata reliquerit artus,
Quas facies moriens, quàm obſcœna aſpexerit ora
Terrentum iuxtà furiarum, iraſq;, minaſq;.
Vt Vix ſiderea Volucres miſſi arce miniſtri
Auxilio poſſent auidas inhibere rapinas.
His addit ſcelerum pœnas, ác læta piorum
Præmia, quæ Ve animas miſeras ſubiiſſe neceſſe eſt
Arbitria, æternoſq; nigris fornacibus ignes.
His actis, Deus orantis Vicina Simonis
Tecta ſubit, quem tota olim lacerũ ulcere membra
Eripuit morbo, atq; in priſtina reddidit ipſe.
Dum Verò menſas grati dignatus amici
Accubat in medio procerum Vrbis, protinus ecce
Ingreditur forma inſignis cultuq; puella
Picta peregrinas tunicaſq;, ſinuſq; crepanti
Argento ſaturos, atq; auro intertexto,
Cui caput implicitum gemmis: it flexile collo

Aurum ingens mistus onerosa monilia baccis,
Propexiq́ nitent electro molle capilli,
Nexilibus quos in nodos collegerat hamis:
Aureaq́ ex humero demissam fibula vestem
Eois opibus grauidam, & Gangetide gaza
Subnectit: media micat ardens fronte pyropus,
Crebraq́ consertis pendent redimicula gemmis:
Qualis læta sinus cùm Tellus veris honorem
Pandit, opesq́ suas gremio explicat alma virenti.
Hæc olim amißis vtrisq́ parentibus orba
Restitit, & proles in opes successit auitas
Vnica, quas pater immensas prædiues habebat:
Dumq́ ætas rudis, vna illi super omnia cordi
Relligio fuit, & seruandi cura pudoris.
Mox autem paulatim annis feruente iuuenta
Sensibus illapsa est Veneris malesuada cupido,
Quæ mentem immutans furijs subiecit iniquis,
Ah miseram: abiecto non obstat cura pudori,
Non species, non fama monet: ceßit timor omnis,
Relligioq́ oblita: domo iam nubilis exit:
Iam conuiuia, iam spectacula læta frequentat:
Vinclaq́ contemptis rectoribus omnia rumpit:
Ac veluti ratis Ægæo sine remige in alto,
Sublatos simulac fluctus inflauerit aura,
Nunc huc incerto, deinde illuc fluctuat æstu,
Quò ventiq́ vndæq́ vrgent, spoliata magistro.
Et iam freta opibus prædulces ambit amores
Florentum iuuenum, siquis spectabilis ore
Egregio, formaq́ alios supereminet omnes.

Ergo læta virum præstanti corpore postquàm
Accepit venisse, Deum quem fama ferebat,
Nullam passa moram studio correpta videndi
Venerat. ast vbi conspicuos deperdita vultus
Hausit, & egregia diuinum frontis honorem,
Diuinosq; oculos ardentis pabula amoris,
Diriguit, penitusq; animo sententia versa est,
Atq; alias longè concepit pectore flammas.
Ecce autem subitò visa spirantis ab ore
Septem adeò circùm offusa caligine, & atra
Nube exire faces: veluti cùm torris obusti
Vltima sursum flamma fugit, fumumq; relinquit.
Hæc Deus, hæc, inquit, capitum fœdißima septem
Correptam miseræ mentem vexabat Erinnys.
Tum Maria (hoc illi nomen) mutata, nec illa
Argento quæ illusa sinus modò venerat aureos,
Iam capiti crinale aurum, colloq; monile
Detrahit, & tunicas squalentes exuit auro.
Iamq; sui piget, & curis mordetur honestis.
Inde Deum orabat veniam, genibusq; volutans,
Vt canis ad mensam procumbere suetus herilem:
Lambebatq; pedes nudos, lacrymisq; rigabat
Veste fouens, alios tulerat quam nuper in vsus.
Tum de marmoreis varios deprompsit odores
Thesauris: casias, & nardi mollis aristas,
Aut turis lacrymam, atq; aurā fragrantis amomi,
Pronaq; permulsit nudas liquido vnguine plantas.
Suauis in aëreas diffugit spiritus auras,
Cuncta Deus placida quæ mente accepit, & illam

Dignatus venia monitis impleuit amicis.
Intereà circumpositis ex vrbibus ægrum
Cernere vulgus erat conuentu accedere magno.
Multi ibant oculis clausis, multi auribus orti
Indociles, fandi ignari, quiq; ægra trahebant
Membra ferebantur, quósve exagitabat Erinnys
Captos mente, sui immemores, Deus ipse iuuabat
Auxilio, validiq; omnes lætiq; redibant.
Tandem hinc digrediens Solymorū tendit ad arces.
Hanc fundasse Semes soboles tua dicitur vrbem
Vitisator pater, exactis simul imbribus ingens
Cessauit vastis stagnare paludibus orbis,
Plurimaq; immensi compressa licentia ponti.
Tum venere, suo bellis qui gente subacta
Vrbem appellarunt de nomine Iebusai.
Protinus hinc reges, à prisco sanguis Iuda,
Finitimis latè dominam coluere subactis.
Hic templum Solomon per terras omnibus aris
Euersis ope barbarica rex condidit olim,
Templum opulentū, ingens, eductā ad sidera molē.
Huc mensas, arasq; sacras, & aënea labra
Transtulit, & veteris vestes ac munera templi,
Ostro perfusas vestes, auroq; rigentes,
Tum lychnos, lancesq;, cauasq; inuexit acerras,
Cymbiaq;, & tripodas, fuluoq; ex ære lebetas,
Inclusasq; sacro leges ac fœdera ligno,
Quæ gemina in silice omnipotēs Pater ipse notarat.
Hic gentis rex, atq; omni cum gente sacerdos
Sacra ferens pecudum fundebat rite cruorem.

Victi

Victima non alias maculabat sanguine sedes.
Vndique mos erat huc populos ter adire quotannis,
Et proprios genus Isacidum instaurabat honores.
Ipse etiam huc heros crebrò se ferre solebat.
Iamq; vijs plenis multis cum millibus ibat,
Vnde vrbis poterant turres atq; alta videri
Culmina: læti omnes ramos viridantis oliuæ,
Quasq; manu gestent palmas à stirpe refringunt.
Præcedit peditum latè manus omnis: it ingens
Ponè equitum globus: in medio pulcherrimus heros
Haud acri prouectus equo, phalerisq; superbo
Eminet: at sibi pauperiem vt placuisse beatam
Admoneat socios, Rex quadrupedantis aselli
Terga premit, vates quondam vt cecinere futurum.
Nudus erat vertex, humeris demissa fluebat
Ad talos vestis, quam festinauerat olim
Ipsa parens, puerоq; dedit gestare: nec illa est
Vllo attrita vsu, nulla consumpta senecta.
Taurea nudatis circundat tegmina plantis.
Talis iter tendit, recipitq; ad mœnia gressum.
Ante vrbem pueri occurrunt mistæq; puellæ
Floribus, ac varijs ornatæ tempora sertis.
Omnibus in manibus palmæ, omnes carmina læti
Læta canunt, tonsis & inumbrant ora coronis,
Certatimq; Dei gaudent placida ora tueri.
Tum demum portis vrbem ingrediuntur apertis,
Et propius Regem seruatoremq; salutant,
Prætenduntq; manu thyrsos, oleasq; coruscant
Frondenteis: superas ingens it clamor ad auras.

Spargitur hic rumor ſubitò,ac tota vrbe vagatur.
Conſurgunt gentis primi:procul ecce per auras
Pulueream cernunt tolli ſuper æthera nubem,
Ignari penitus rerum,cauſaſq; requirunt
Tam ſubiti motus,quénam tam multa ſequantur
Millia ductorem,quis tantus clamor ouantum.
Aſt illi quibus eſt diui haud incognita fama,
Occurrunt alacres regi,plauſumq; ſequentes
Ingeminant:quàq; ingreditur,paſsim ecce rubenti
Inſternunt oſtro ſola barbaricisq; tapetis,
Intenduntq; vias ſertis,& floribus augent.
Vix ingreſsus erat,cùm denſam reſpicit ecce
In biuio turbam,clamoremq; auribus haurit
Ingentem,& ſecum admirans veſtigia preſsit.
Vallis erat circùm frondoſis vndiq; ſepta
Collibus:in medio riuis atq; imbribus humor
Collectus ſemper ſtabat laticeſq; perennes,
Quò ſolitæ innuptæ prædiuitis vrbis aquari,
Et potum pariter pecudes compellere priſci
Paſtores,lymphaq; gregem curare ſalubri:
Vnde lacum fama eſt olim dixiſſe minores.
Huc concurſus erat certis dę more diebus,
Turbaq; adibat inops varijs exercita morbis.
Nanq; videbatur magno quandoq; moueri
Cum ſonitu,medio vnda lacu,& perculſa repente
Sublato ad cælum ſpumabant cærula fluctu.
Sed vulgo ſubiti quæ motus cauſa latebat.
Impubes pueri tantùm innuptæq; puellæ
Signa prius manifeſta dabant,ſeſeq; canebant

Cern

Cernere pennatum puerum fulgere per auras
Vndanti chlamyde, atq; auro radiantibus alis,
Delapsumq́; polo tranquilla impellere vtraq;
Stagna manu, lateq́; viam signare cadentem:
Qualis stella Pater superûm quam misit Olympo
Aut nautis signum, aut populis in castra coactis,
Præcipitat flammis longè lateq́; coruscis
Scintillans: corda ignaris mortalibus horrent.
Ergo expectabant denso miseri agmine circùm
E' cælo signum intenti, laticesq́; quietos
Seruabant oculis, atq; omnes auribus auras,
Auditum ad signum subitò vt se primus in vndas
Quisq; daret, stagnoq́; sonanti immergeret artus.
Quippe erat inde salus semper, non pluribus, vni,
Qui subitò impulsum prior exiluisset in æquor:
Sicut vbi vacui tendunt medio æquore campi
Viribus, & rapido iuuenes decernere cursu,
Arrexere animos cuncti, signumq́; parati
Expectant: pulsat pauor intus pectora anhelus
Omnibus, atq; locum spondet sibi quisq; priorem.
Hos inter longo detentus brachia morbo,
Brachiaq́; & plantas, omnes & inutilis artus,
Petrus erat, cui quondam & opes & auita fuere
Prædia opima, sed, vt iuuenili è corpore morbum
Pelleret, heu nimiùm mendaci credidit arti,
Dumq́; vias omneis, medicaq́; explorat opis vim,
Pauperiem morbo adiecit miserandus iniquam,
Ossibus ad viuum qui iam persederat imis.
Iamq́; ferè denum in luctu quater egerat annum,

Innumeris circumuentus, morbisq; famesq;:
Quem postquam aspexit propiùs stellantis Olympi
Rege satus, sic est Vltrò placido ore loquutus,
Infelix, quæ te segnis mora detinet Vnum
Seruantem has frustrà ripas, & tristibus Vndam
Præsentem morbis, alij cùm scilicet omnes
Protinus hinc abeant læti, oblitiq; laborum
Accipiant solitas reparato in corpore Vires?
Ille sub hæc, largoq; genas simul imbre rigabat,
Non hoc crimē aquæ, non Vis mihi fontis iniqua est:
Verùm ego dum motum opperior salientis aquai,
Præcipites dant saltu alij se in stagna priores
Ad sonitum: inualidis nequeo ipse insistere plantis,
Nec me tunc opis externæ dignatur egentem
In stagno quisquam ante alios mersare salubri.
Talia narrantem placido Deus ore tuetur,
Atq; ait, Ipse tuis pedibus subsiste, Valensq;
Carpe Viam, nec cuncta Vndis debere necesse est.
Vix ea, cùm subitò cernentibus omnibus ecce
Erigitur, stratumq; humeris (mirabile Visu)
Ipse suis referens pedes omnes paßibus æquat,
Atq; suo solida respondent robore Vires:
Sicut Vbi in siluis dum ramos colligit, anguem
Frigore sopitum pastor, brumaq; rigentem
Frondibus implicuit, admouitq; inscius igni:
Nulla mora est, propiùs flāmas Vix pertulit, & iam
Attollitq; caput, iamq; ignea lumina torquet,
Perq; domum serpens micat arduus ore trilingui.
Parte alia ante fores templi, mediaq; ministri

Ingenti

Ingenti strepitu testudine dona sedentes
Vendebant, qua plebs arata imponeret ara,
Lanigeras pecudes, taurosq́ʒ, paresq́ʒ columbas,
Voti vt quisqʒ reus, rerumq́ʒ vt copia cuiqʒ.
Quos simul atqʒ heros ingressus vidit, & omnem
Discursu & clamore locum resonare profano,
Haud tulit, & verbis graniter commotus acerbis
Reppulit, intortum vibrans per terga flagellum,
Verberaq́ʒ insonuit, sacroq́ʒ à limine abegit:
Qualis vbi Arctois Boreas erupit ab antris,
Aëreos rapido peruerrens turbine campos,
It cælo ferus, & piceas toto æthere nubes
Insequitur: dant victa locum, & caua nubila cedũt.
Sacra Deo domus hæc (inquit) hæc numinis ædes,
Vos autem versam indignos scelerastis in vsus.
Sanguine respersum est aras, animaq́ʒ litatum
Hactenus antiquis concesso more sacrorum.
Indultum satis, atqʒ ouium iam cædis abundè est.
Nunc pater omnipotens pecudum volucrumq́ʒ cruorē
Parcere vos posthac iubet ac fumantibus extis.
Vos diuersa manent mutatis orgia sacris:
Discite iustitiam tantùm, puraq́ʒ litate
Mente, Deumq́ʒ pijs precibus placate volentem.
Hi vestri ritus, ea deinde piacula sunto.
Sic ait: & supplex demisso poplite ad aram
Cernuus arcana prece Patris numen adorat.
Iamq́ʒ sacerdotum primis exarserat ingens
Tristi in corde dolor, flammaq́ʒ iraq́ʒ coquebant.
Nec nouus hic primũ furor, hæc odia aspera surgunt.

Antiquæ irarum causæ, antiquiq́ue dolores
Haudquaquam exciderant animis, fixiq́ue manebāt.
Non tamen hîc ausi sunt illum surgere contra,
Sed veriti vltricem plebem turbamq́ue sequentum.
Excessere adytis nequicquam indigna minati:
Quales nocte lupi stabulis cùm fortè reclusis
Appetiere gregem: verùm custodia pernox
Obstitit, & canibus vocalibus inde reuulsit:
Olli (dira fames stimulis agit intus) abacti
Cedunt, & montes nequicquam vlulatibus implēt.
Dum verò affatur genitorem Diuus ad aram,
Mirantes socij templum per singula lustrant,
Suspectu molem vasto, artificumq́ue laborem.
Cautibus excisas centum, centum ære columnas
Omnes è solido, omnes altis montibus æquas,
Tignaq́ue, & æterna ex cedro laquearia, aënoq́ue
AEratas porrò stridentes cardine portas,
Sectilibusq́ue minutatim sòla leuia saxis:
Tum puro ex auro postes, mensasq́ue metallo
È simili, & fixos alta ad donaria currus
Distinctos hebeno, & candenti elephanto.
Quæ dum cuncta legunt, perfectis ordine notis
Improuisus adest, tacitusq́ue superuenit heros,
Atque ait, Hæc moles, adeò hæc immania templa,
Protinus vt vento radicitus eruta pinus,
Versa repentè dabunt labem ingentemq́ue ruinam,
Et tibi digna tuis Solyma instant præmia factis,
Quæ vates ad te missos diuinitus ausa es
Tot ferro petere, aut duris detrudere saxis.

Ipse

Ipse tuos quoties, præsens vt vera monerem,
Tentaui ciues incassum cogere in vnum,
Ceu cristata suos dispersa examina fœtus
Singultu volucris vocat, & plaudentibus alis?
Ferro excisa cades: iam iam labentia regna
Protinus arma ruent tua, vindexq; hauriet ignis,
Et passim hæc largo sudabit sanguine tellus.
Nónne vides iam vt nunc res procubet inclinata?
Et tibi iam votis non prosit nectere vota?
Longè alias Pater omnipotens sacra trãstulit oras:
Longè alia vult ipse coli & placarier vrbe.
Atq; adeò hic altè depactus terminus esto.
Sic fatus monstrat miras in marmore formas,
Argumentum ingens, senûm monimenta dierum,
Magna quibus magni compacta est machina mũdi,
Et veterum euentus, & prisca ex ordine auorum
Facta, haud humanis opus enarrabile verbis.
Non illic hominum effigies, simulacráve diuûm,
Arcanis sed cuncta notis signisq; notauit
Obscuris manus artificis, non hactenus vlli
Cognita, non potuere ipsi deprendere vates.
Hic Superûm Sator informem speculatus aceruum,
Aeternam noctemq;, indigestumq; profundum
Prima videbatur moliri exordia rerum,
Ipse micans radijs, ac multa luce coruscus.
Iamq; videbatur fulua de nube creare
Stelligeri conuexa poli, terrasq; fretumq;,
Et lucem simul vndiuagam, mox vnde micantes
Et Solis radios, & cæli accenderet ignes.

Ipsi iam denso crepitare examine circum
Auctoremq́ꝫ, ducemq́ꝫ suum: plausuq́ꝫ sonare
Aligeri fratres supera arce volatile vulgus,
Lucis opus primæ. necdum tamen æthera ab imis
Flammiferum terris, terras discreuerat vndis,
Sed tantum confusa iacebant semina rerum.
Nec mora, vix cæli extuderat septemplicis orbem,
Ordine cui vario rutilos affigeret ignes,
Et iam cuncta nouam incipiebant sumere formam
Paulatim, cælumq́ꝫ sua compage teneri.
Cernere erat sicca in medio iam mole relicta
Littoribus curuis circum maria humida fundi,
Illisosq́ꝫ vadis spumare ad sidera fluctus.
Nondum pontiuagæ curuabant ampla carinæ
Carbasa, nec liquido lentari in marmore remi:
Læta sed innocui verrebant æquora Cauri.
Ecce autem iam fagiferi capita ardua montes
Attollunt, infraq́ꝫ iacent humiles conualles.
Continuò tellus summittens Dædala germen
Flore renidescit, & frondeis explicat arbos.
Iam videas viridi vestiri gramine campos,
Iam colles densis frondere cacumina siluis.
Ilicibusq́ꝫ, oleisq́ꝫ, & coniferis cyparissis.
Nec mora, cæruleo flammis duo lumina cælo
Incipiunt teneris primùm lucescere rebus,
Et sibi, ceu mundi vigiles statione vicissim
Succedunt, certoq́ꝫ suum dant fœdere lumen.
Nam lucis fons dimensum Sol ambit Olympum
Ipse die, terrasq́ꝫ nouo splendore colorat.

Nocte

Nocte suas vultu pallenti seruat in vmbris
Luna vices fundens auratis cornibus ignem,
Lucidaq; exornant nocturnis æthera gemmis
Sidera, perpetuo circumlabentia motu.
Tum bifidis paßim verrebant marmora caudis
Squamigerûm mutæ pecudes, pelagoq; natabant.
At pictæ volucres librare per aëra pennis
Corpora, & inter se curuis decernere rostris.
Nec procul hinc errant latos armenta per agros,
Lanigeriq; greges persultant pabula læta:
Iam latebras videas meditari dira ferarum
Semina, iam longos per humum reptare chelydros.
Desuper hortari clara de nube putares
Cælicolûm Regem, lætasq; expromere voces.
Crescite, propagate genus mea semina vestrum,
Sæclaq; perpetuis generatim iungite sæclis.
Tandem nudus homo emicuit tellure creatus,
Quem Superûm Sator affariq; & edicere leges
Ore videbatur coram, ac præponere regnis,
Qui terras immortalis ditione teneret:
Mansisset dictis, seruasset fœdera pacta.
At campum arboribus iuxtà ac viridantibus herbis
Lucentem aspicias, stellantia floribus arua,
Poma vbi cæruleo multum vigilata dracone:
In medio fons perspicuis argenteus vndis
Quattuor aduersis voluens regionibus amnes,
Qui terræ gremio infusi latè arua rigarent.
Atq; hic cernere erat malesuadi fraude draconis
Deceptum iuuenem vetitos ex arbore fœtus

Gusta

Gustare edicti immemorem legisq́ seueræ.
Et iam (vix pomum infelix admouerat ori)
Pœnituisse putes se frondibus inuoluentem,
Nec iam cælituum Regis grauia ora ferentem.
Nanq́ videbatur fuluæ inter vellera nubis
Horribili super impendens mortalibus ore
Dura redarguere, & sæuas indicere pœnas
Pro meritis, quas ille olim, quas omnis ab illo
Progenies lueret lucis ventura sub auras.
Intereà coniux, quæ capta libidine dira
Iura prior legesq́ datas, ac fœdera soluit,
Infelix fruticum frustrà per densa latebat.
At victor, factusq́ potens iam fraudis, aëna
Effulget squama, teretiq́ volumine serpens
Ter superans stirpem, spirisq́ ingentibus ambit
Tortilis, & motis insultat desuper alis
Virgineo irridens deceptos improbus ore.
Nec procul hinc ideo videas latè infera circùm
Regna, subobscuras sedes, lucemq́ malignam
Solis, vbi casti manes animæq́ piorum
Sedibus exclusæ quondam debentis Olympi
Vnius ob scelus, expectabant ordine longo.
Stabant hic cani proceres, vittatæq́ vatum
Agmina, tendebantq́ manus ad sidera passas.
Quos omnes humeris pater altè extantibus Abras
Amplificam pandens chlamydem, protentaq́ latè
Brachia subnixus, dextra læuaq́ tegebat.
Orantes illos credas, Superûmq́ parentem
Supplicibus dictis affari, parceret iræ,

Parcer

Parceret Vnius noxa omnes perdere gentes.
Substitit hic imo suspirans pectore diuus,
Atq; ait, En nostrum deposcunt ista laborem.
In me nulla mora est: ego tanta debitus ira
Morte mea eripiā hos tenebris, & claustra refringā.
Quin ea quæ subitò paucis deprensa sequuntur,
Sublegite infandum mihi portendentia lethum.
Omnibus hic pauci extinctis mortalibus ibant
Inclusi ligno summas impunè per Vndas.
Ingens latiuago fluitabat machina ponto,
Et Vix extabant immani corpore montes,
Quos procul abruptus collisis nubibus ignis
Ingeminans creber cælo rutilante petebat.
Hic natum senior nudo Isacon ense petebat
Infelix pater, exequitur dum tristia iussa.
Aspiceres illum toto iam corpore niti
Dextram attollentem. nondum respexerat, & iam
Nuntius ecce aderat cæli demissus ab arce,
Iussa ferens primis contraria. Victima iuxtà
Pascebat pueri ignari pro cæde parata,
Candidus, & Villis aries argenteus albis.
Hinc fratrem inuisum narrata ob somnia fratres
Vendebant, misero mentiti dira parenti
Funera, discerptumq; feris: pater ipse cruentam
Versabat gnati tunicam, lacrymisq; rigabat.
Hic etiam Pharijs dum ciues ducit ab oris
Post longa exilia in patriam, promissaq; regna
Legifer auxilijs fretus cælestibus heros,
Orta lues populum errantem miseranda repentè

Serpentum afflatu letho dabat, atque iacebant
Corpora tabifico passim morientia morsu.
Dux vero in medio campi suspendit aënum
Ingenti è malo colubrum, stratosq; iubebat
Dirigere huc aciem intentos, lignúmque tueri,
Quæ miseris erat haud dubia via sola salutis.
Parte alia rostro terebrans sibi viscera acuto
Fœta auis implumes pascebat vulnere natos.
Stant olli circùm materno sanguine lati,
Et pectus certatim omnes rimantur apertum.
His animaduersis portis bipatentibus ibat
Multa putans, necdum gradibus descenderat heros
Omnibus, & magno iam longè vrgente tumultu
Ecce trahebatur passis per terga capillis
Pallida longævi coniux Susanna Manassei,
Quoi pater egregiam forma & florentibus annis
Haud placitis tædis inuitam agramq; ingarat.
Nanq; fidem ob thalami fœdatã ad iusta vocabant
Supplicia, ingenti iuuenum sectante caterua.
Et iam saxa manu pueri vulgusq; tenebant.
Ipse sed anteuolans prohibebat tela sacerdos,
Donec porticibus Christum conspexit in amplis,
Ad quẽ vbi concessit, miseramq; ad limina traxit,
Ingressus versare dolos, Hæc prodidit (inquit)
Coniugium, thalamiq; fidem deprensa fefellit.
Sontem iura neci tali pro crimine dedi
Nostra iubent duris (sed quæ inclementia?) saxis.
Teq; ideo vatum interpres mitissime adimus,
Et tua quænam sit sententia quærimus omnes.

Dixer

Dixerat: atque animo iam spes pascebat inanes,
His captũ implicitumq́ putans sermonibus hostem,
Praclusos habitus, non effugia vlla relicta:
Illam quippe neci si solueret interceptam
Miti animo miseratus, eum turba omnis in ipsum
Saxaq́ & vltrices raptim conuerteret iras,
Quòd sanctas gentis leges euerteret ilex:
Si verò ad pœnam iussit pro crimine duci,
Sese odijs vulgi obijceret crudelis acerbis.
Hæc agitans iam victorem se mente ferebat,
Pectora lætitia multum tumefactus inani.
Ac veluti in somnis olim sibi visus arator,
Dum terræ attrito suspendit vomere terga,
Auri ingens pondus campo effodisse subacto,
Gaudia vana fouet: cernet somno ille relictus
Pauperiem, duros & adhuc sibi adesse labores,
Somnia fortunamq́ animo execratus inanem.
Ipse viam Deus inuenit (fallacia numen
Nulla humana valet contra) qua legibus illi
Parceret illæsis: nempe, vt defixa tenebat
Ora sôlo, tandem attollens, turbamq́ paratam
Aspectans ait, Haud dubium quin crimine lethum
Sit merita: id prisci quondam sanxere parentes.
Ergo agite ô vestrûm quicunque est criminis expers,
Saxa manu primus rapiat, feriatq́ merentem.
Ecquis erit tanto è numero qui vulnera prima
Dirigat, & sceleris purum se proferat vltrò?
Sic memorans omnis seruabat lumine p. ones
Obliquo, horrendúmque tuens, illúmque paratus

Inscripsisse solo, cui mens interrita nullum
Esset ob admissum fœdè, securáque culpa.
Stabat conspectu in medio tremebunda puella,
Iam suffusa oculos mortis nigrore propinquæ,
Et positis terram genibus submissa petebat,
Non minus exanimata metu quàm in retia cerua
Acta canum latratu, & longo exercita cursu,
Cùm iam cõsumpta vires; cum se vndique cunctam
Hoste videt, mortemq́; instantem certa moratur.
His autem auditis responsis, omnibus ingens
Confestim cecidit furor, & vis fracta quieuit:
Quisq; suam tacito versant in pectore vitam,
Inq́; vicem spectant sese, atq; aduersa tuentur,
Nec quisquam turba in tanta se prodidit vltró.
Saxa cadunt manibus furtim labentia, & omnes
Quisq; sui memores abeunt, templumq́; relinquunt.
Vt verò Deus aspexit vacua atria circùm,
Linea detraxit pauitanti vincla puellæ,
Atq; illam verbis monitam dimitit amicis,
I melior veterum famam iam extingue malorum.
Talia dein socios fatur conuersus ad ipsos,
Heu durum genus, haud possunt desistere victi.
Nil linquunt intentatum, nil prorsus inausum.
Nempe ego nunc festis fas contra & iura diebus
Affero opem inualidis, agrosq́; in pristina reddo,
Nunc sontes, & sponte sua commissa fatentes
Accipio, noxaq́; animos & crimine soluo.
Nunc socij fruges tractant, & vina priùs quàm
Dent manibus lymphas, cùm victu corpora curant,

Nec

Nec dapibus parcũt, & quæ in vos plurima iactãt.
Quinetiam me fraude petunt furta irrita adorti.
Vel cum Romanis astu me opponere tentant
Incautum, quærúntque dolo an fas pendere regi
Per capita argentum, edicto quod quisque iubetur.
Nec cæcos mea facta mouent ingentia, quæ non
Humanis fierent opibus, non artibus vllis.
Nec qua vi hæc agitem spoliati lumine cernunt,
Consiliísq; audent supremi obstare Parentis.
Nec priscos tollo ritus, legésve refigo.
Quippe alia arcanis longè sententia dictis
Indeprensa latet, longè altera sacra teguntur
Nube sub obscura verborum. Vt cætera mittam,
Quid suis horretis vetitis imponere mensis
Viscera? non animis labem sublimibus affert
Aut his aut illis ieiunia soluere rebus.
Vobis intus obest mens ipsa & dira cupido.
Sed quoniam gaudet cœno immundáq; palude
Setigerum genus, & pecori huic innata libido est,
In sue adumbrantur Veneris mala gaudia fœda.
Quinetiam vt iussis animos cælestibus auctor
Paulatim assuescens posset mollire colendo,
Nec nulla inciperet sub relligione tenere,
Indociles primùm populos, obtusáq; gentis
Pectora, iussit oues iugulare, & sanguine terram
Imbuere, immeritósq; aris mactare iuuencos:
Quæ tamen omnia erant, sicui mens alta vigebat,
Venturæ speculum mox relligionis & vmbra.
His actis, iam deuexum cùm vesper Olympum

Clauderet, egrediens malefida cessit ab Vrbe.
Tum Genitorem obitus affarier ante propinquos
Exoptans, coramq; arcanas promere voces,
Ignaros socios Tabori ima in valle reliquit.
Ipse autem ascensu superans capita ardua montis
Constitit, aereas feriunt vbi sidera cedri.
Addiderant comites se tantùm ex omnibus illi
Fidus Ioannes cum fratre, Petrusq; vocati.
Stabant orantes taciti, pariterq; supinas
Tendebant sine voce manus ac lumina cælo.
Ipse autem his magno Genitorem affatur amore,
O Pater, en insons nunc dira ad funera pergo,
Progenies tua, nec tot ferre indigna recuso,
Quando certa tibi mens, atq; hæc fixa voluntas.
Et tanti mortale genus: nil demoror, adsum.
Hos saltem qui me patriáque suisq; relictis,
Per varios casus lectissima corda sequuntur,
Aspice, & immeritos cæcis auerte periclis.
Haud vereor, quòd se his homines, gēs impia passim
Opponunt: nil facta hominum mortalia terrent.
Ipsi etiam (nihil hoc moueor) moriantur ad vnum.
Aut potius sæuo (si vis) tu fulmine perde
Correptos igni, & penitus res attere fractas
Tu Genitor, tanto finémq; impone labori,
Si tanta est genus humanum cælo addere molis,
Sæcláque mutatis in pristina reddere rebus.
Tantum oro (scelus) inferno summissa barathro
Gens pestem meditata viris nil improba fortis
Officiat, non infando peruertat amore

Insid

Insidijs captos, nec corda improuida fallat,
Dum scelera hortatur, nostriq; obliuia suadet.
Iam iã aderunt infandi hostes, armata dolis gens,
Nondũ animos satiata, graues nondũ vlta dolores.
Has fraudes, iámque has fraudes artésq; mouebunt.
Quas non mentiti simulato corpore formas,
Vt capiant gentes innocuum, vertántq; venenis
Pestiferis? tu frange dolos, férque irrita in auras
Cuncta Pater: tandem victis edice quiescant.
Sint qui per terras gentes post funera nostra
Iustitiam erudiant & relligionis amorem.
Hanc veniam concede: id Gnati cedat amori.
Filius hæc: Genitor contrà cui talia reddit,
Nate Patris virtus, nostriq; simillima imago,
Nulla tuis fraus (solue metum) nullæ'ue nocebunt
Insidiæ, quas nunc regni molitur operti
Arbiter, incœpti frustrà irritus omnia tentat.
Induat in facies centum, centum ille figuras,
Ipse adero, retegámque dolos, fœcundáq; fraudis
Agmina disijciam, & magna virtute resistam.
Vnus erit tantùm cui mentem insania vertet,
Infelix, iam nunc deuoto pectore versat
Infandum scelus, atque tui iam pœnitet agrum,
Secum indignantem, tua quòd præcepta sequutus
Exuerit blandum vitæ mortalis amorem,
Malueritq; graues sub te tolerare labores,
Omnia quæ mecum mundi ante exordia nosti.
Hunc tamen indignum numero cœ túque piorum
Addidimus, memores vatum, quiqtalia quondam

Prædixere, tuis exemplum insigne futurum.
Euadent alij insidias meliora sequuti.
Omnes te propter contempto lucis amore
Haud mortē horrescent, pergentq́ in funera læti,
Innumeramq́ suo parient tibi sanguine gentem
Protectu vita, & mortis amore superbi.
Efficiam cælo dignos post aspera tandem
Funera, deserti magnum ætheris incrementum.
Quos tu olim aspicies hac relligione nepotes
Surgere Nate tibi? quàm pectora certa videbis?
Tu modò tu perge, & cœptum decurre laborem.
Hi quos cernis enim vix nunc tua iussa sequutos
Indociles, fandi ignaros, (mora non erit) altos
Pectore concipient sensus, doctoq́ verendas
Ore canent leges afflati numine nostro,
Et vastum in melius referent hortatibus orbem.
Succedent alijs alij, sacriq́ nepotes
Victores tua signa ferent trans vltima claustra
Oceani latas vndis cohibentia terras,
Clarescetq́ tuum passim per sæcula nomen.
Sponte sua inuicti reges tibi sceptra, tibi arma
Subijcient sua per terras, arasq́ sacrabunt.
Atque adeò grauida imperijs Roma illa superba,
Apenniniuagi quæ propter Tybridis vndam
Ingentes populos frænat pulcherrima rerum,
Summittet fasces, & quas regit orbis habenas.
Illic relligio, centum illic maxima templa,
Centum aræ tibi fumantes, centumq́ ministri,
Quiq́ viris latè, atq́ ipsis det iura sacerdos

Regib

Regibus, & summo te in terris reddat honore.
Siqua tamen paulatim annis labentibus ætas
Decolor inficiet mores, versisq; nepotes
Degeneres surgent studijs, per dura laborésque
Exercens lapsam reuocabo in pristina gentem.
Illa malis semper melior se tollet ad astra.
Sæpe sôlo velut euersam excisamq; videbis,
Quam modò prædixi, populorum incursibus vrbem.
Verùm quò magis illa malis exercita, semper
Altius hoc surgens celsum caput inseret astris,
Mœniaq; in melius semper recidiua reponet,
Nec nisi subiecto passim sibi desinet orbe.
Sic placitum, nostri sedes ea numinis esto.
Hæc ait, & Natum dextra complexus inhæsit.
Ecce autem subitò rubra vibratus ab æthra
Cum sonitu fulgor micat, & polus intonat ingens.
Nam Pater omnipotens manifestus ab æthere nubē
Ostendit radijs illustrem lucis & igni.
Omnia collucent latè loca. turbine Christus
Corripitur rapido, mediaq; in nube refulsit,
Verus & aspectu patuit Deus, atque per auras
Diuinum toto spirauit vertice odorem,
Luminis ætherei specimen, Genitoris imago.
Nec secus emicuit roseo pulcherrimus ore
Insolita circùm perfundens omnia luce,
Quàm cùm mane recens lucis fons aureus ingens
Lumine Sol cælum exoriens rigat omne profuso,
Oceani in speculo longè resplendet imago,
Et crocea effulgent aurata cacumina siluæ,

Talem se socijs mirantibus obtulit heros
Amborum in medio vatum, quorum alter adiuit
Flammifero quondam inuectus cæli ardua curru,
Et tranauit equis insultans aëris auras:
Isacidum Pharijs genus alter duxit ab oris
Dux profugûm, legésque dedit morémque sacrorum.
Necnon cælicolûm propius tum maxima pandi
Visa domus, cœliq́; ingens apparuit aula.
Tum Genitor nubis fulgens candentis amictu
Oscula libauit Nato, & vox lapsa per auras,
Hic mea progenies, hic est mea magna voluptas:
Vni huic mortales omnes parete volentes.
Nec plura his: toto assonuit chorus omnis Olympo
Cælestum cantu vario, plausúmque dedere.
Tum demum in faciem consuetam redditus Heros
Attonitos socios monstrisq́; metúque sepultos
Excitat, atque hominis mortali apparuit ore.

M. HIERONYMI VIDAE CHRISTIADOS

LIBER II.

AT Solymi trepidi rerum, & formidine cæci
Noctem illam patrũ primi, templiq́; ministri
Insomnem duxere: animis adeò addita cura
Incubat, ac nullam attonitis dat dira quietem.
Omnibus ante oculos vrbem ingredientis imago
Læta Dei, festiq́; manus impubis honores,

Illiusq́;

Illiúsque vident latè increbrescere nomen.
Fama volat, passímq; canit miracula rerum.
Quid faciant? magis atq; magis iam vera patescũt
Quæ quondam prisci vates cecinere futura,
Terras cælesti regem de stirpe manere,
Cuius in aduentu templum, Iudæáque tandem
Regna ruant, Solimæq; euersis desinat aris
Antiquo de more sacros imponere honores.
Ergo infracti animis omnes, terrore subacti,
Tectis, quisque suo, septi clausíq; manebant.
Quales quæ solita florentia rura volantes
Carpere apes, vbi sæuit hiems, calúmque profusos
Soluitur in nimbos, & aquosus regnat Orion,
Ocia lenta terunt, clausisq; aluearibus ægræ
Cunctantur, circúmque fores ac limina mussant.
Tempus erat per membra quies cùm grata soporem
Irrigat, ac positis affert obliuia curis:
Et iam noctipotens manus imo emissa barathro,
Horribiles visu formæ furialibus omnem
Cœtibus obsedere vrbem: pars turribus instant:
Pars apicem templi & fastigia summa coronant:
Cætera pérque vias legio, pérque alta domorum
Tecta volant, tractimq; hærent per culmina tignis.
Haud secus Italiam repetunt vbi vere tepenti
Cærula aues longo fessæ super æquora cursu,
Quæ prior occurrit tellus, hanc agmine denso
Certatim arripiunt, procuruáque littora complent.
Principiò spargunt occultum in pectora virus,
Vipereámque viris animam cæcúmque furorem

Inspir

Inspirant, odiumq́ animis & crimina linquunt.
Multi etiã in facies hominũ vertuntur, & omnem
Protinus incendunt varijs rumoribus vrbem:
Irrepunt tectis alij, somnóque solutis
Somnia dira ferunt varia sub imagine rerum,
Atque hominum falsis simulacris pectora ludunt.
Iamq́ huius subeunt, iámque illius alta potentum
Limina, & attonitos dictis hortantur in hostem,
Terrificántque animos facta atq; infecta canentes,
Christum inferre faces, arisq́ instare bipenni
Armatum ærata, atque adytis extrema minari,
Et iam semusto in templo dominarier ignem.
Quin ipsos templi mentiti veste ministros
Singula tecta adeunt, patrésque ad limina sacra
Conciliumq́ vocant. nigri dux agminis ipse
Impulit ærisono stridentes cardine portas.
Hinc atque hinc delubra petunt. concurritur vltrò
Vndique: nec tenebris nox obstat euntibus atra.
Non aliter captam si rumor nuntiet vrbem
Nocte dolis intempesta, atque latentibus armis
Hostem inferre acies, & iam summa arce receptũ,
Culminibusq́ immissa voret fax atra penates,
Plenis cuncta vijs feruent, trepidoq́ tumultu
Huc atque huc itur, nec sat rationis eundi est.
Præcedunt diræ facies, facibusq́ nefandis
Sufficiunt lucem, & summo dant vertice lumen,
Terrificas capitum quatientes vndique flammas.
Nec miseri tamen agnoscunt: furor omnibus intus
Eripuit mentem, lapsumq́ in viscera virus.

Nec

Nec minus intereà bis seni ex agmine missi
Bis senos Christi ad socios, euertere siquem
Possent, & furijs deceptum incendere iniquis.
Illi autem pleni monitis ducis (antè futura
Præscius ista suis prædixerat omnia) seruant
Inuictos animos, inapertaq; pectora fraudi,
Quanquam hostis species sese trāsformet in omnes
Nequicquam expertus, mentésque indagine captet.
Vnus non valuit sese his subducere vinclis
Iscarius pesti infandæ deuotus Iudas,
Lectorum procerum labes & pestis Iudas.
Hic se olim addiderat socium, vestigia Diui
Ingressus, patria atq; opibus carisq; relictis,
Incerta exilia, incertas quacunque paratus
Ire vias, taliq; necem pro rege pacisci.
At mox cœptorum piguit, duriq; laboris
Paulatim pertæsum, animo tum voluere secum
Noctes atque dies tacitus, siqua potis arctis
Legibus exolui, & priscæ se reddere vitæ,
Indignans longum incassum cecidisse laborem.
Hos abitus iámque hos abitus & furta parabat
Impatiens operum, rebus non lætus egenis.
Talibus vndantem curis, animosq; labantem
Iampridem nigræ reperit dux ipse cohortis:
Haud minus exultans animis, quàm mōte sub alto
Cùm procul aspexit tendentem in pascua ceruum
Getulus leo, quem siccis exercet hiantem
Faucibus ex longo collecta insania edendi.
Ac prius in faciem Galilæi versus Iora,

Ipsi

Ipsi qui fuerat coniunctus sanguine Iuda,
Insomnem aggreditur verbis, Tu nocte silenti
Montibus in solis erras insane: potésque
Vltrò sæua pati sub nudo frigora cælo,
Atque tibi alterius sub nutu degitur ætas,
Dum sequeris (quis te tantus furor incitat?) istum
Elatúmque animis, euersoremq́ sacrorum,
Quem tantùm illuuies adeunt teterrima gentis,
Fæminei cœtus, & semiuiri comitatus?
Primi omnes infensi odijs concordibus ardent,
Sacrilegoq́ necem intentant: iamq́ ille furorem
Vesanum expendet, cedet fiducia tanta.
Non illi auxilio magnarum gloria rerum
Quas mentitur, erit: nil contra obtendere densa
Nubila, nil solitas accingi proderit arteis.
Rumpe moras, eia instanti te surripe cladi.
Sic ait, ardentemq́ odijs instigat acerbis.
Tum mutata acri percussit pectora thyrso,
Et subitò nocti ablatus se immiscuit atræ.
Hinc miserum inuadens præcordia ad intima sese
Ingerit, atque imis dirum implicat ossibus ignem.
Olim etiam in mentem veniunt quæcunque sub illo
Iussus dura tulit, quæcunque exhausta pericla:
Et piget, atque nefas polluto voluit amore,
Immeritumq́ animo sedet hosti prodere regem.
Ah miser, ah malesane, Deum non pectore sentis?
Non oculis numen præsens, non auribus hauris?
Quis te mutauit tantus furor? aspice quo nunc
Culmine præcipitas, quónam trahis arce ruinam:

Nec

Nec qualis sentis tibi menti insederit error.
Quid struis? aut quò te raptat tam dira cupido,
Quæ nunc te malè habet, mentisq; & lucis egētem?
Quam nunc amittis sortem, irreparabile donum,
Optabunt seri post sæcula mille nepotes.
Atque adeo quæ vota foues, quam mente secas spem
Lætitia elatos animos inflatus inani,
Omnia discerpent rapientq; per aëra venti.
Excute, dum licet, infandam de pectore pestem,
Quæq; imis te nunc est addita cura medullis.
Iamq; sacerdotes, totáq; ex vrbe senatus
Secretam in templi sedem concesserat omnis.
Ipse sacerdotum primus, cui tempora sacra
Infula cingebat, Caiphas in sede sedebat
Celsior aurata: inde alij longo ordine ciues,
Quos omneis circunsiliunt, acuuntq; furorem
Tartareæ haud vlli visa sine corpore pestes.
Nec mora, nec requies: sublapsæ in pectora cunctis
Eripiunt mentem, atque animis incendia miscent.
Multa illi inter se vario sermone serebant
Solliciti: vasto strepit ingens murmure templum.
Sunt qui ipsum iubeāt vtcunq; absumere Christum
Seu vi, siue dolo, iuuenemq; inuadere ferro
Qui rursum in lucem nuper reuocatus ab vmbris
Venerat, & totam monstro concusserat vrbem,
Ast alij plebem metuunt vulgiq; furorem:
Nanq; sibi ingenteis populos deuixerat Heros,
Hos meritis, illos diuino affabilis ore.
Hic Nicodemus erat pesti impenetrabilis vnus

Prima

Primores inter gentis non ultimus ipsos,
Cui longè menti melior sententia, sed non
Audebat dictis contra omnes tendere solus.
Ille Deo quondam sese inscius intulit hostem,
Atque dolis frustrà contrà stetit: inde ubi numen
Admonitus sensit, veluti de nocte profunda
In lucem reuocatus, ei se iunxit amore,
Clàm tamen, infensa vitans odia aspera gentis.
Tum verò illius de vita & sanguine cerni
Vt vidit, lethúmque insonti triste parari,
Non tulit ulterius latebras, hacq́; edidit ore
In medio, Non obscuram non lucis egentem
Rem ferimus: (neque enim vereor iam vera profari
Pro patria, quamuis mihi sint extrema ferenda.)
Cernitis hunc omnes manifesto numine ferri,
Maiorémque homine, &, nosmet nisi fallimus ipsi,
Vera Dei patuit Soboles, verus Deus, ille
Olim quem toties afflati numine vates
Venturum cecinere, nefas quò triste piaret,
Commendans genus æterno mortale parenti.
Hoc liquet, hoc ultrà non in discrimen agendum.
Huius ope innumeri quos nox obscura premebat
Luminibus captos, iucunda luce fruuntur.
Multi etiam voces obstructis auribus orti
Accipiunt reddúntque: agris quot reddita venit
Insperata salus, qui lenta aut membra trahebant,
Victa lue, aut subito correpti corpora morbo?
Treis etiam (nostis) obita iam à morte reduxit
Elatos idem in lucem: modò Lazarus omnem

Percu

Perculit, & monstro ingenti permiscuit Vrbem.
Prò lauas hominum menteis, prò pectora caca.
Non hac Paonijs succis, non artibus Vllis
Confieri possunt, maior Deus intus agit rem,
Maius numen inest. quoties diuina loquentem
Incassum contrà stetimus Verbisq; dolisq;
Instructi? quoties ausi Vim tendere inermi
Aut ferro, aut duris nequicquam perdere saxis?
Nube caua eripuit caput, ex oculisq; recedens
Aligerûm se caelesti subitò agmine sepsit.
Et quisquam illius certum non numen adoret?
Quid molimur adhuc? quid nobis deinde relictum?
Quin potius, quando nobis demissus Olympo
Auxilio Venit, Vnà omnes adeamus, ab ipso
Suppliciter pacem oremus commissa fatentes.
Talia perstabat repetens: Violentia cunctis
Gliscit, & accensus semper per Viscera sensus
Conflatur magis, & saeuos furor aggerat aestus,
Paulatimq; animi turgescunt tristibus iris.
Exarsere omnes: pestis latet intus, & omnem
Eripuit miseris lucem, Victisq; Veneno
Pestifero nebulas effudit mentibus atras.
Tum demum erumpit qua cunctos ira coquebat.
Infremuere omnes contrà, gemitumq; dedere:
Qualiter aere cauo dum sulfura pascitur atra
Inclusus magis atq; magis furit acrior ignis,
Moliturq; fugam, nec se capit intus anhelans,
Nulla sed angustis foribus Via, nec potis extrà
Rumpere, materiam donec comprenderit omnem:

Tum piceo disclusa volat glans ferrea fumo.
Fit crepitus: credas rupto ruere æthere cælum:
Iámque illa & turres procul ecce strauit & arces:
Corpora & arma iacēt, latè & via facta per hostes.
Haud illi secus accensi meliora monentem
Excludunt adytis, atque extra mœnia trudunt.
Tum verò Caiphas, vbi facta silentia linguis,
Sic orsus, sibi quæ sedeat sententia pandit,
Haud equidem moror, ò ciues, quòd versus ad hostes
Iste etiam infando captus perfugerit astu,
Qui toties summa pro re, pro legibus olim
Obiecit patrijs caput vltrò, ipsúmque premebat
Obnitens contrà nuper sermonibus hostem.
Tanta est artificis pellacia, vis ea fandi,
Vt quoscunque velit vertat, superétque venenis.
Scilicet hunc credam cælo diuinitus actum
Nobis venisse auxilio, qui se impius ortum
Patre Deo canit, ac leges abolere parentum
Antiquas cupit, atque nouos inducere ritus:
Séque vltrò excidio templi venisse fatetur,
Quod nostri monitis olim cælestibus acti
Impensis tantorum operum struxere parentes.
Quæ nouitas aut relligio, qui denique mores?
Ille etiam, nequid sceleris sibi restet inausum,
Sacrilegus sontes, & quorum crimina nota,
Prosequitur venia, haud veritus scelerata subire
Limina, nec festis parcit de more diebus.
Ergo agite, atque illi insidias lethumque merenti
Maturate viri, crescentem extinguite flammam:

Ne

Ne mox subsiliat victrix ad tecta domorum,
Degustetq; trabes, perq; ardua culmina regnent.
Subuertet solitis aliter totam artibus vrbem
Seditione potens, populos captabit, & omnem
Subijciet sibi prodigijs fallacibus oram.
Hinc quæ tot nobis annos tam prospera cessit
Relligio, euersis actutum desinet aris.
Tum metuo ne Romulidæ non talia passi,
Quicquid adhuc iuris superest à gente reposcant,
Et profugos patria iubeant decedere terra.
Vnum pro multis detur caput, vnius omnes
Expiet, ac tutos mors tanto in turbine præstet.
Hoc habet. hæc melior superet sententia ciues.
Hæc illi ob numen dona, hunc reddamus honorem.
Talia fatus erat. furijs stimulantibus intus
Experti, paßiq; senes eadem ore fremebant.
Omnibus idem animus: sed qua ratione quibúsve
Id fieri occultè queat artibus exquirebant.
Cùm subitò ecce suis clàm se furatus Iudas
Improuisus adest cunctis mirantibus: illum
Excipiunt trepidi spirantem immanè, locantq;
Sede inter primos, fariq; hortantur, & ardent
Quid veniat dubijs animis audire, silentq;.
Ille autem torquens huc flammea lumina & illuc,
Sic fatur, Scio vos Galilæi facta furentis
Formidare, patres, patriæ qui legibus affert
Exitium: moliri ideo vos plurima cerno.
Si mihi quæ posco promittitis, omnia solus
Quæ nunc vos frustrà exercent dispendia tollam:

Ille manus faciam in vestras hodie incidat vltrò.
Dixerat: argenti læti pepigere talenta
Ter dena, egregij pretium memorabile facti,
Dimittuntq; alacres, atq; extra limina ducunt.
Ille petit montes iterum, sociosq; reuisit.
Fortè propinquabat genti solennis & ora
Festa dies, veterum cùm relligione parentum
Immunes operum ducunt septem ocia soles,
Perq; domos ouium fœtus epulantur, & acri
Fermento parcunt iussi, properataq; liba
Expediunt, mensasq; onerant agrestibus herbis,
Lætitiæ veteris memores. hac luce ferebant
AEgyptum priscos olim cælestibus actos
Prodigijs magna cum præda exisse parentes,
Ingressos pede iter salsas impunè per vndas.
Ergo ingens tum sceptriferam concursus ad vrbem
Vndiq; erat, populiq; omnes ad sacra fluebant.
Non effusa tamen turba huc sine more ruebat:
Verùm quisq; ducemq; suum, gentemq;, tribumq;
Vnà ibant comitati. etenim licet omnibus idem
Sanguis, cognataq; orti sint stirpe nepotes
Omnes Isacidæ, paribus sub legibus omnes,
Scindit se tamen in bis senas vna tribus gens,
Atq; Palæstinam latè est diducta per omnem,
Libera gens olim multa munita virûm vi,
Florentesq; vrbes populis, opibusq; vigentes.
Tunc autem patrijs de finibus exturbati
Penè omnes aberant, & Caspia saxa colebant.
Vix de bis senis tribus vna intacta manebat,

Alteraq; & patria sese tellure tenebant,
Beniamidum gens, aq; ipso domus inclyta Iuda,
Ambæ tunc etiam populis opibusq; vigentes.
Tantum autē imperio adiectam, ceu cætera passim
Contuderat bello, & victricibus hauserat armis,
Hanc quoq; seruitio partem Roma alta premebat.
Sceptra vrbi tantùm, sublataq; ademerat arma,
Linquens sacra viris ac leges victor auitas.
Nunc tellus deserta iacet. tot clara fuere
Mœnia, tot populis pariter cum fortibus vrbes,
Hæ bello, hæ validis quassatæ viribus æui.
Vsqueadeo sæuas Superùm Pater arsit in iras
Nimbipotens, Natiq; necem non passus inultam est.
Non tamen indecorem tantæ solatia cladis
Ipse sinam antiquā (superent modò carmina) terrā,
Ne penitus seclis obliuiscentibus ætas
Deleat extinctam pariter cum nomine gentem.
Regem illis Superùm prosit regionibus ortum
Vagisse, & cælo primùm reptasse sub illo.
Vos ideo aligeri cœtus gens ætheris alti,
Qui leuibus magnum pedibus pulsatis Olympum,
(Nam vos sæpe polo missi peragrastis & oram,
Et gentis crebri hospitio indulsistis amicæ)
Este duces mihi, dum tota regione vagantem
Raptat amor: longum vos mecum ferre per æuum
Nomina, quæ cecidere, iuuet, deletaq; gentis
Oppida, & antiquas antiqui nominis arces.
Pòst autem vestra sublatus ad æthera penna
Carmine mortales oras visusq; relinquam.

Vos me sublimi sistetis tramite vectum
Auia per Superûm loca: me iuuet alte curru
Aurea nubifugo mulcentem sidera cantu
Intactas primum ire vias mortalibus agris,
Et petere insolitam cæli alta è rupe coronam.
Hæc olim audentem, ni deserat ætheris aura.
Nunc mecum populos percurrite templa petentes:
Non aliàs illuc aditum est maioribus vnquam
Et numero & studijs. nec tantum sacra petebant,
Quantum auidos Christi visendi traxerat ardor.
Orti autem à magno primi ingrediuntur Iuda
Per multos ductum reges genus: hac tribus vsque
Et numero & virtute caput super extulit omnes,
Tantum alias superans, quantũ leo cuncta ferarum
Semina inexhaustis animis & viribus anteit.
Littorea innumeri Gaza venere, Sabeque:
Engada deseruere, racemiferosque recessus,
Vrbis Adulææ sedes, humilemque Raphean:
Hic Lyde atque Selis, ventosaque Iamnia, & Hippa,
Ascalo, Azotique arces, Acharonque, Sochonque,
Quaque fluentisonis Iope perfunditur vndis,
Proiecta rupes, pontoque minantia saxa.
Parte alia antiquam ciues liquere Damascum,
Primus vbi (vt perhibent) limo felice creatus
Natus homo est, calique nouas erupit in auras.
Deseriturque Emaus, Nepseque exhausta silescit.
Quasiuitque suos Ægypti proxima regnis
Anthedon, natique Dei cunabula Bethle:
Tum deserta silent & Galgala, Bessuraque omnis.

Atuaq́ȝ, quà Marethō, quà proxima nubibus Erme,
Quà Sigoris mirata nurum, dum incendia versa
Respicit, humanos seruasse in marmore vultus,
Concretiq́ȝ salis subitum traxisse rigorem,
Quà calet Asphaltis flammis infamibus vnda,
Ingentesq́ȝ palus ad cælum exæstuat æstus
Aëra contristans graueolenti sulfuris aura.
Quondam hîc læta seges, riguisq́ȝ rosaria campis,
Nunc stat ager dumis, obductaq́ȝ sentibus arua,
Crimen amor malesuade tuum, vim tendere adorti
Infandam indigenæ pueris calestibus olim
Diuina capti facie & florentibus annis,
Fecissentq́ȝ, fuga nisi se illi ad sidera lapsi
Remigio nixos rapuissent præpetis alæ.
Non tulit altitonans Pater, atq́ȝ vltricibus omnem
Inuoluit flammis tractum, immersitq́ȝ profundo.
Squalet adhuc cinere, & putri latè ora fauilla.
Infœcunda ideo terra, & sine frugibus agri,
Difficilesq́ȝ aditus, & inaccessi secessus.
Illic (vt fama est) nitidum florem educat arbos,
Quem cupiunt iuuenes, cupiunt decerpse puellæ.
At simul atq́ȝ graui perflante euanuit austro,
Succedunt poma hirsutis asperrima barbis,
Quæ nulli iuuenes, nullæ cupiere puellæ.
Hæc tamen aspectu solida, & syncera putares,
Fœda sed illuuies intus, subitoq́ȝ fathiscunt
Ad tactum cinefacta, hominum nihil vsibus apta.
Pallida item flauis cùm vix seges albet aristis,
Dira immaturas messes interficit aura.

Protinus hinc subeunt populi Symeone creati,
Qui Saroën, Molodamq́; viri, Sicelechidaq́; oram
Felicem frugum, latosq́; vligine campos,
Qui Sipabota colunt, Asanesq́; biuerticis arces,
Quiq́; Atharin quondam generosos palmite colles,
Remmona qui, cultisq́; erectam in collibus Ain,
Et quos turilegæ pascunt centum oppida Idumes,
Ruraq́; odoriferas Arabum vergentia ad oras.
Ecce autem Isachari magno clamore nepotes
Ingressi delubra petunt, aramq́; salutant.
Gens victu facilis, contentaq́; finibus arctis.
Hic adsunt quos Hermonius sub vertice pascit,
Hermonius generator apum, generator equorum.
Qui Thaburi capita alta tenent, quibus ardua rupes
Carmeli domus: hac rapido gens turbine quondam
Sublatum vatem cæli per aperta repentè
Vidit flammifero ferri super æthera curru.
Scasena quos misit, quos Hennada, quos alit Affra
Nobilis, in summis sitientes rupibus vrbes:
Qui Senum, & Reboten liquere, Remethiaq́; arua
Vitibus, & varijs intersita littora pomis.
At taciti incedunt gens Dani è sanguine creti,
Deiectiq́; oculos, deiectiq́; ora per vrbem
Templa petunt: qualis, cùm frigora prima lacessunt
Autumnum, necdum ramis decussit honorem
Bruma suum, coluber latebras meditatur, iterq́;
Fert tacitum lapsu repens per saxa quieto,
Sibilaq́; ora premit, neq́; caudæ surrigit orbes.
Iamq́; viros tristes credas, quòd sanguine ab illo

Prædi

Prædixere ducem fore pleni numine vates,
Qui genus humanum Christi sub imagine falsa
Terreat, atque hominum vitas & crimina quærat,
Deterior fas atque nefas ubi verterit ætas,
Et rebus feret exitium mortalibus ignis.
Protinus at multis aderit cum millibus ultor
Vera Dei soboles, verus datus arbiter orbi.
Illum nequicquam pugnantem, & vana mouentem
Turbine corripiens terræ ima in viscera trudet.
Insequitur iuuenum nimbus, genus Asere ductum,
Spicea quais capita obnubit de more corona
Omnibus, & nexæ ludunt per tempora aristæ.
Hi Betagumque, Hormamque serũt, his Aphega sedes:
Illos Ama dedit: illos misere Robaa.
Non numero Arctipus Labana, non Aziba cessit.
Hos iuxta seram in noctem soliti urere myrtos
Littoreas ponti gens accola Zabulones
Dona ferunt: pars Ieptaphiles ab sede profecti:
Pars Iedaba veneres Canam hi liquere modò atra
Miratam puras in vina rubescere lymphas.
Hos Nazara tulit, tulit illos ardua Sembros,
Quaque modò aërias iterum venisse sub auras
Vidit morte obita puerum Galilea Nais,
Millia multa tulit, totidemque uberrima Dotha,
Atque suis Nalole, Cathetiaque alta relicta est.
At quis Nephthalidũ numerauerit oppida, & arces
Innumeras, quas & Cedar, quas, & sacer altis
Fert humeris Libanus cæli confinibus æquus.
Qui celsam Nasona habitant, qui Nephthalis urbẽ,

Gens oris,fandiq; potens,fœcundaq; veri
Nascentem gemino Iordanem fonte salutat.
Omnis ijt Galilæa:omnis Samarea penates
Deseruit studio gens tantùm accita videndi.
Sæpe hac Rege satus Superûm tellure moratus
Sponte Deum se detexit.miracula rerum
Asseda nunc etiam meminit,meminere Caperna,
Et,vetus amisit quæ nomen,Graia Sebaste.
It Bethole,eductaq; ad sidera Bessais arce,
Et quos piscosis Gennesara proluit vndis.
Leuigenæ verò sacrum genus omnibus ibant
Immisti:neq; enim propria his regio vlla colenda
Sorte data est,sed diuersas dux legifer olim
Huc illuc oras æquè est partitus in omnes,
Præfecitq; sacros aris,proq; hubere glebæ
Et ingulare dedit pecudes,atq; exta cremare.
At non contentus regnis sceptrisq; Manasseus,
Sortitus quæ trans fluuium sibi iunxerat ampla,
Protulit imperium,quà Nepheca Bersaq; surgunt
Venatrix,pecorumq; altrix,& Dora ferarum.
Olli etiam parent Tenachos,nemorosaq; Iebla,
Et Magedos nulli populis opibus secunda.
Quasq; rigat Taphua claris argenteus vndis,
Ver vbi perpetuum,scatebrisq; recentia prata.
Succedunt qui trans Iordanis flumen opima
Arua serunt,tribus ipso etiam deducta Manasseo.
Necnon Gada sati,necnon Rubene creati
Belligero,fratrum cunctorum maximus æuo
Qui fuit:vnà omnes vrbem ingrediuntur,vt olim

Vnà

Vnà etiam sedem optarunt trans flumen eandem,
Indigenis quondam regnata gigantibus arua.
Argobia qui rura colunt, Basanidaq; oram,
Qui saltus Galadina tuos, Ogiq; subactas
Sexaginta Vrbes, Galaticaq́; oppida, Iabin,
Et Sebamā, Balmēq́;, Ramotha, Golanq́;, Nabenq́;,
Edrenq́;, Selcamq́;, & semirutam Cariathen.
Hæc tunc nomina, nunc alio sunt nomine terræ.
Tum qui cedr. fera pascunt asperrima Arimnes,
Omnes fronde caput tecti, omnes terga Veruti.
Qui Bosorim, Rabathenq́; tenēt, q Gaulida, & cēm
Fortibus exercent tauris Bathaltidos oram,
Et quos humectat præceps de montibus Arnos.
Nec Vos transierim qui prata feracis Abilla,
Quiq́; Eleale Viri metitis, Viridemq́; Aserota,
Sconiamq́; Esebon saxis horrentia regna,
Desertasq́; Cades, quas Phasga habet arduº, & quas
Hinc atq; hinc Hermus præruptas sustinet Vrbes,
Quas Abaris, cuius nimboso è Vertice quondam
Pastores admirati Videre morantem
Iordanem ingenti subsidere mole coacta
Vndarum, & cursu cedentia flumina retrò,
Dum domus Isacidûm promissa capesseret arua.
Postremi subeunt aduecti è sede propinqua
Beniamidæ, datæ sorte quibus lætissima tellus,
Maxima Vbi & Solyme totius regia gentis,
Altaq; Iarephele, Luzeq́; binominis arces,
Quæq; modò quarta regem iam luce sepultum
Bethane obstupuit reuocari ad munera Vitæ,

Et

Et Tarela, & Samare, & lentiscifera Gabaotha,
Gens infesta feris: ideo exuuias que luporum
Induti incedunt iuuenes, canibusque fatigant,
Quas sepire plagis iuuat vsque, & frangere siluas.
Atque adeò aßiduo venatu manè recentes
Conuectant humeris prædas, quas vesper Olympum
Claudit vbi gaudent partiri, epulisque fruuntur,
Atque inter sese per agros conuiuia curant.
Hic adsunt queis Maßpha domus, quibus ardua Hemē
Difficiles colles, ac scabra crepidine terga,
Qui liquere Recen, celsasque Berothidos arces,
Atque Sylum quondam gaudentem paupere templo,
Qui longūque Helephō, Auinque, Amosamque, Selámque
Atque vlulata Rhamæ paßim Racheilidos arua,
Qui Gabeone domo, quique Hierichunte profecti.
Indigenas est fama viæ, aßiduique meatus
Oblitum vidisse diu considere Solem
Imperio ducis, atque diem decedere serum.
Hos inter facie egregia puer altior ibat,
Qui prisco genus à Saulo noménque trahebat.
Iam tum illum vates vno omnes ore canebant
Præstanti clarum eloquio factisque futurum.
Quantis ille tamen mentem caligine pressus
In nostros odijs primùm furijsque feretur?
Omnipotens aderit Pater, & se pectore toto
Altius infundet iuueni, excutiétque furorem.
Protinus afflatus diuinitus ætheris aura
Implebit terras monitis, latúmque per orbem
Mortaleis meliora docens ad sacra vocabit,

Nec

Nec lethum horrescet pro relligione cruentum.
Iam duodena tribus magnæ successerat Vrbi:
Ipse etiam templo vt solitos inferret honores,
Munere nec tali tam læta luce careret,
Affatur socios Christus, Lux sacra propinquat,
Omnis se dapibus festa domus apparat Vrbe.
Ecquis erit vestrûm primus qui ad mœnia tendat,
Siquis fortè opibus fessos inuitet abundans,
Nos quoque vt ante meos obitus ac funus acerbum
Solennes epulas celebremus & annua sacra?
Nec longè quærendus: erit puer obuius vltrò
Vrnam humero lymphasque ferens de fonte recentes.
Quò tendat gressus, aut quò sese ille receptet
Obseruate, locúmque acie capite vsque sequendo:
Limina vos eadem accipiant, tectúmque subite.
Tum dominum affati corâm, hospitiúmque rogantes
Exiguam sacris sedem, nostrum edite nomen.
Tectum auratum, ingens, pictisque insigne tapetis
Protinus ostendet: structas ibi ponite mensas.
Ipse adero, atque eadem socios ad limina ducam.
Dixit. Ioannes mandata Petrúsque facessunt,
Et mæsti magnæ succedunt mœnibus Vrbis.
Ibant incerti, atque oculis procul omnia obibant,
Cùm puer vrnam humero gestâs lymphámque recentē
Vicino veniens de fonte occurrit: eum vsque
Seruantes gressum ferret quacunque, sequuntur,
Quasque subit, subeunt ipsi quoque protinus, ædes,
Huc atauis clarúsque Simon, & prole beatus
Septena sese semper referebat ab agris,

Siquam

Siquando caris cum gnatis viseret vrbem.
Namq; illum potius campis ruriq; iuuabat
Degere, ciuilesq; procul contemnere honores.
Vmbræ illi nemorum cordi, riuiq; secantes
Prædia, quæ centum diues vertebat aratris.
Iam grauis argutasq; fides & carmina amabat
Fluminis in ripis, aut fontem propter amœnum.
Norat enim cæli numeros, mensesq;, viasq;.
Sæpe Deo plenus porrò ventura canebat
Agricolis, quid Sol, quid menstrua Luna pararet:
Sudisq; pluuiæq; docens prænuntia signa.
Tum sacris intentam igitur concesserat vrbem,
Vt de more dies festos celebraret auito.
Dumq; alia famuli mensas & dona pararent
Parte domus, veterum facta ipse canebat auorum,
Nunc cithara leuibus digitis, nunc pectine eburno
Percurrens molli attactu vocalia fila.
Præcipuè à prima reuocabat origine quænam
Has ex more epulas atq; hæc solennia prisca
Relligio intulerit genti verùm ecce canenti
Improuisus adest Petrus, & sacra carmina rumpit:
Rex (ait) est nobis, quo nusquam iustior alter,
Aut pietate prior, Christum omnes nomine dicunt:
Is tua nos vltro supplex ad limina mittit:
Exiguam sacris sedem mensisq; rogamus.
His ille auditis, gauisus nomine tanto,
Imperat haud hærens animo tectum omne recludi.
Hinc hilares totis adolere penatibus ignes,
Et pingui suffire Arabum iubet atria silua,

Inter

Interiusq́; viros media in penetralia ducit.
Inde locum ostendit mira testudine pictis
Aulæis circunuelatum ostroq́; rubenti.
Luxuriant sola strata, nitent argentea eburnis
Fulcra torisq́; scyphiq́; auroq́; è simplice lances,
Et passim domus argentoq́; auroq́; renidet.
Atq; hæc deinde refert, Nō hoc mihi nomē ad aures
Nunc primùm venit, illius sed cognita fama
Iampridem virtus: neq; enim mihi cernere coràm
Fas fuit, aut vocem diuinam hausisse loquentis.
Adueniat, placidus tectis assuescat amicis.
Vos hîc expectate: viros qui exacta reportent
Omnia dimittam, meaq́; illum ad limina ducant.
Atq; vtinam libeat longùm his in sedibus olli
Degere, & hospitij dignetur nomine tectum,
Quod nostros iuuet interdum memorare nepotes,
Hospitibusq́; locum felicem ostendere seris.
Intereà aduentu vestro intermissa sequamur
Carmina, & antiquos patrum repetamus honores,
Dum nigra roriferis nox terras obruat vmbris.
Sic ait: ac neruis socians concordibus æra
Obloquitur numeris: quæ concinit, ordine picta
Cuncta putes, aut textilibus simulata figuris.
Nempe Paretonijs cantu deducit ab oris
Isacidûm genus, arrepta maris æquora virga
Vt profugum dux findat, aquasq́; impunè per altas
Vt sine nauigijs ierint, pelagiq́; profunda
Sicco calcarint pede. nanq; indurui humor
Aridus, & liquidas latè est via secta per vndas,

A terg

A tergo tota ex AEgypto curribus hostes
Quadriiugis vectis instabant fulgentibus armis:
Iámq; pios canit emenso pelago alta tenere
Littora, littoreisq; metu se condere siluis.
Nulla mora est: iterum telo tellure recussa
Diuino redeunt in se maria ecce refusa,
Quæ media ingenti dirimebat semita tractu.
Inde hostes ruere, & salsis in fluctibus arma,
Armáq;, quadrupedésq;, & corpora mersa virorum
Aspiceres magis atq; magis subsidere in vndis
Semper, & absumptos velut euanescere currus,
Qui medij extabant, medios salis hauserat æstus.
Addit, vt omnipotens rerum Sator æthere ab ipso
Pauerit in vasta gentem regione locorum
Errantem dape cælesti miseratus egenos.
Cernere ibiq; putes epulas niuis instar ab æthra
Defluere ad terram subitas, cœtúsq; paratis
Accinctos dapibus latis epularier aruis.
Proinde etiam duras cautes pulsabat eadem
Dux cælum aspectans virga, cùm protinus amnis
Prosilit, & dulcem saxa erupere liquorem,
Atq; hausere nouis populi de fontibus vndam,
Quos sitis ex longo collecta vrebat hiantes.
Tum canit vt primus Solymorum conditor arcis
Dona laboratæ frugisq;, recénsq; reperti
Pocula plena meri obtulerit campestribus aris,
Cespite quas viridi sectáq; extruxerat orno.
Atq; ea dum intentis hauribant auribus omnes,
Haud rerum ignarus Christus de montibus altis

Cesser

Cesserat, infensaq́ iterum successerat Vrbi.
Et iam decliui cùm Sol properaret Olympo,
Hospitis intrauit socijs comitantibus ædes
Regifico instructas luxu, dapibusq́ paratis
Discubuere omnes. Vnà inter dirus Iudas
Dißimulans sedet, & vultu mentitur amorem.
Iamq́ Heros puras fruges, properataq́ liba
Accipiens frangensq́ manu, partitur in omnes.
Inde mero impleuit pateram lymphaq́ recenti,
Et laticis misti diuum sacrauit honorem,
Spumantemq́ dedit socijs: mox talia fatur,
Corporis hæc nostri, hæc vera cruoris imago,
Vnus pro cunctis quem fundam sacra parenti
Hostia, vt antiquæ noxæ contagia tollam.
Vos ideo, quoties positas accedere mensas
Contigerit, sacrasq́ dapes libamina iussa,
Funeris his nostri mæstum referetis honorem,
Et nunquam istius abolescet gloria facti.
Nec plura. ex illo mox seruauere minores
Hunc semper ritum memores, arisq́ sacramus
Synceram cererem, & dulcem de vite liquorem
Pro veterum tauris, pecudum pro pinguibus extis.
Ipse sacerdotum verbis eductus ab astris
Frugibus insinuat sese Regnator Olympi,
Libaturq́ Dei sacrum cum sanguine corpus.
In summos hæc relligio succeßit honores.
Ergo vbi pulsa fames socijs, sese ocyus Heros
Exuit insignem tunicam, & mantilibus albis
Succinctus poscit flammis vndantia aëna,

Tum gelidam irrorans dextra lauaq́ sonoris
Pertentans labris feruentem temperat vndam.
Hinc genibus positis Petro, reliquisq́ suorum,
Plurima quàquam ille attonitus nouitate recuset,
Dat pedibus lymphas, & molli siccat amictu
Accuratus, socijs linquens imitabile factum.
Mox gemitus imo ducens de pectore fatur,
En mihi summa dies socij, quā q́ ipse propinquam
Prædixi toties, nox illa aduenit acerba.
Vos linquam, & moriens Genitoris iussa capessam.
Vnus erit vestrûm (vix ô vix credere tantum
Fas scelus) insidijs prodet qui me hostibus vltró.
Haud me animi fallit: furias iam perfidus ille
Concipit, insidiasq́ animo meditatur auaro.
Id pietas mea magna, mei meruere labores.
Non tamen ipse diu pulchro latabere facto,
Quisquis eris: satius si nunquàm lucis amorem
Gustasses, dulcis nec vitæ limen inisses.
At vos este pij, inq́ vicem (quæ exempla reliqui)
Inter vos alij alij parete volentes,
Summißisq́ animis fastus abolete superbos.
Non Erebi in tanto ceßabunt cardine diræ
Vestra potestates præuertere corda timore.
Peruigiles, quæso, iam custodite, procúlque
Consulite, hic animos atque illos promite sensus,
Quos toties mihi pollicitis, ne cedite pesti.
Vos seruate viri noctem non amplius vnam.
Exemplò turbati omnes, gemitúmq́ dedere,
Suspensi quem cæcum adeo, furijsq́ subactum

Ore

Ore premens signet venturi prascius Heros.
Quem senior tali aggreditur sermone precando,
O cæli decus, in quenquã tam immane putandũ est
Posse scelus cadere? quisnam fœdissimus ille?
Faxo hodie nunquam nobis illudat inultis.
Non adeò effugit cum sanguine viuida virtus
Pulsa annis, nec dextra mihi tam frigida languet.
Sic ait, & pariter vagina liberat ensem.
Dux autem signis manifestis prodidit hostem:
Sed cunctis mentem eripuit, soluitq; latere,
Donec res perfecta. dehinc hæc edidit ore,
Immo omni ex nũero mihi nemo hac nocte suprema
Vestrûm nõ infidus erit, solúsque relinquar.
Tu quoque magnanimo cui nunc copia fundi
Sub tecto, atq; amplis tendis super æthera dictis,
Omneis irritans ventos omneisq; procellas,
Hinc atq; hinc circunfusos vbi videris hostes
Me capto, quæres latebras, iaciésque salutem
Mendaci in lingua, pedibúsque fugacibus acer.
Atque vbi curriculo mediam nox humida metam
Attigerit, ter me tibi notum ille ipse negabis
Futilis, incutietque metus tibi fœmina inermis.
Dixerat: ille animi robur magis vsque magisq;
Spondebat, turpiq; metu impenetrabile pectus:
Fœda alios sequet fuga: nec tu me antè timoris
Argue, quàm terga vrgenti dare videris hosti.
Quo te cunque feres, adero: sequar vltro tecum.
Nulla tuis poterit me vis abiungere rebus.
His Deus exactis mensas vrbémque reliquit,

Et se cum socijs pura sub nocte virentes
Transtulit in colles olea, & loca sola petiuit,
Atque omnes secum iussit vigilare: sed illi
Assiduis noctisque dieque laboribus hausti
Haud poterant inuictum oculis defendere somnum:
Et gelidi in summo recubantes aequore saxi
Infusum toto proflabant ore soporem.
Intereà curis confectus tristibus Heros,
Caelesti velut oblitus se semine cretum,
Indignos animo euentus, indigna labanti
Supplicia, atque genus lethi versabat acerbum,
Horrebatque; id enim matris de corpore traxit,
Vt quaecunque hominum mortalia pectora terrent,
Ipse etiam haec eadem mortali corde paueret.
Mens immota tamen, virtusque inuicta manebat.
Ergo iterū atque iterū Genitorem affatus, & ambas
Ad caelum tendens palmas hac voce rogabat,
Omnipotens talin' pater ò me funere obire?
Méne aliena malis tantis commissa piare?
Eripe me informi letho, & tua flecte seuera
Consilia in melius, durosque auerte dolores.
Si tamen id fixum sedet, atque haec certa tibi mens,
Nec generi humano Gnati nisi morte sequestra
Placaris, non fas orbis me deesse saluti.
Ibo vltrò: crimen generis commune refellam.
Dixerat: atque graues curas sub corde premebat,
Multa agitans: toto simul ibat corpore sudor
Proruptus simul & sanguis, vel sanguinis instar.
Ecce autem effulgens subitò dilapsus ab axe

Stellig

Stelligero pictis iuxtà puer astitit alis
Dicta ferens Patris, in tanto solatia rerum
Turbine, mulcebatq́ue ægrum, curasq́ue leuabat,
Abstergens toto fluidum de corpore rorem.
Hortator verò, scelerisq́ue inuentor Iudas
Composito intereà vocat hostes vertice ab alto,
Séque vltrò comitem atque ducem venientibus offert.
Ergo adsunt improuisi illum in vincla petentes.
Longius æra micant tremulæ lumine lunæ.
Iam clypei resonant, iam ferri stridit acumen,
Pinguiaq́ue exuperant noctem funalia longo
Ordine, multifidaq́ue faces, quas vnguine supra
Obduxit manus, & ferro infixicauit acuto.
Fit strepitus: vasto circùm mons vndique pulsu
Armorum sonat, atque virûm clamoribus omnis.
Quos his nil trepidus compellans vocibus Heros,
Heus, inquit, iam state viri, quem quæritis, adsum.
Quò ferrum flammaq́ue? palàm conspectus in vrbe
Conuentu cecini magno præcepta Parentis:
Cur non vnà omnes vos tunc tenuistis inermem?
Ista sub obscurum noctis cur agmina cerno?
Quodsi me tamen ad mortem depositis armis
Insontem, & vobis adeò obstat gloria nostra,
Hos sinite illæsos. nihil hi meruere, nec ausi:
Tantùm dilecti comitis mandata facessunt.
Vnus ego vestras explebo deditus iras.
Hæc ait, & his se quærentibus obtulit vltrò.
Illi autem ad vocem toties (mirabile visu)
Procubuere, sŏloq́ue ingentem fusa dedere

*Arma sonum, atq; oculis subitò nox plurima oborta
Consurgant tandem somno vinóq; grauatis (est.
Aßimiles, harénteq; obliti, donec Iudas,
Qui nusquam somno noctu se strauerat illa,
Signa dedit manifesta, hostiq; obiecit amicum.
Nanq; pij scelus id pratexens nomine amoris
Composuit sese, & ficto dedit oscula vultu.
Ille dolum prasensit, & hac presso edidit ore:
Hæc verò meruit comitum fidißime noster
Oscula amor? tantón' scelere illa ad pramia tendis?
Haud equidem hac tecũ pepigi cõmercia quondam.
Vix ea fatus erat, cùm circunfusa iuuentus
Cæca ruit, densáq; omnes indagine cingunt:
Non aliter quàm coniectum cùm in retia rara
Ceruum, aut fulmineis metuendum dẽtibus aprum,
Pastorum circùm sauit manus: ilicet hastas
Cominus agglomerant certatim: ad sidera voces
Vndiq; eunt: reboant montes clamore propinqui.
Sic iuuenem obsessum longè fulgentibus armis
Sæua cohors premere, atq; omnes in ũbere inermi.
Hi prensare manu, hi stupea vincula collo
Inijcere, & nunc huc nunc illuc ducere captum.
Persurit ante alios, & sese turbidus infert
Malchus Idumais missus captiuus ab oris:
Nulli ferre manum, nulli contendere suetus:
Non ea vis illi, non tanta in pectore virtus:
Verùm vt se Caipha praestantem ostendat in armis,
Cui datus harebat famulus: nam tuta videbat
Omnia, & audenti nullum hic obstare periclum,*

Audet, cedentémque vltrò petit improbus hostem,
Ventosam nequicquam acuens in iurgia linguam,
Et vix ille suas tumefactus corde capit spes.
Non tulit hoc praeceps animi Petrus, arripit ensem.
Et super incumbens inhonesto vulnere tempus
Occupat, ac patulam dicto ocyus amputat aurem.
Quod Deus aspiciens subitò dextrámque tetendit,
Decisamq́ue ab humo madido cum puluere partem
Sustulit, applicuitq́ue manu medica vnde resecta est.
Affixitq́ue loco: nullo hæsit fixa dolore,
Vlla nec apparent vestigia vulneris vsquam.
Mox sociū increpitans vim dextra arcere volētem,
Condere tela iubet, vetito neque fidere ferro.
Ni faciat, senior nequicquam magna locuto
Strictum ardens illi per costas exigat ensem.
Non istis opibus, non istis nitimur (inquit)
Viribus. est Genitor qui me si funere acerbo
Eripere, & fuso nati sine sanguine vellet
Placari generi humano, centum agmina posset
Cælicolûm, mihi centum acies summittere ab arce
Siderea, infensum qui cœtum hunc ense trucident.
Militámne adeò Superûm, pugnatáque bella,
Atque potestates varias & nomina nescis?
Nunc sine me imperijs magni parêre Parentis,
Quæ me sola premunt: hominū nil demoror arma.
Talibus auditis senior vix desinit ira
Inuitus: veluti aspexit si fortè magistri
Assuetum imperijs ceruum media vrbe Molossus,
Siluestrem ratus insequitur. vix voce coërcet

Venator rabido instantem ceruicibus ore.
Ergo sponte sua victum, nec viribus vsum
Corripiunt cuncti, (heu species indigna) trahuntque
Inualidum. & dictis lapsantem immitibus vrgent.
Hæc Pater omnipotens Superûm regnator Olympo
Tam lentus cernis, nec cælo tartara misces?
Ecquando horrificum dextra iaculabere fulmen,
Si nunc immoto facies innubila mundo est?
Fœdere iam rupto rerum confusa laborent,
Atque repentè elementa ruant, ruat arduus æther.
Cur tua dextra vacat? cur non face terra trisulca
Iam fumat? quos flamma vorax seruatur in vsus?
Non genus humanum, non tanti regia cæli
Alitibus supplenda choris, non aurea gens, quæ
Mox hinc se tollet pietate insignis ad astra.
Ne nostri tanto te cura incendat amore,
Iactari vt tali patiaris turbine Natum
Vnigenã, desertum, inopem, atque extrema ferẽtem.
Diffugère metu comites, siluisque teguntur,
Spumiferi vt suis aduentu sæuique leonis,
Semianimes: passim insequitur ferus hostis euntes.
Aspiceres hunc iam captum, iam veste relicta
Elapsum manibus rapido petere ardua cursu:
Illum speluncas, & sicubi, operta subire
Per siluam loca saxorumque in fornice condi.
Nec mora, nec requies, cursu nemora auia feruent,
Et vasto intonsi colles clamore resultant.
Iamque sacerdotis summi tecta ampla subibant:
Protinus huc tota passim concurritur vrbe:

Primo

Primores adſunt procerum, pœnasq; repoſcunt
Vni infenſi omnes, atque illum torua tuentes
Perterrent, vinctumq; minis crudelibus vrgent.
Tum gentis primus Caiphas ita denique fatur,
Res hodie bene geſta viri: non artibus vllis
Infandum euaſit caput: illi nulla ſuperſunt
Effugia inſtaurandi animi, & quod reſtat agendũ.
Nunc eſt illa dies, qua gloria maxima ſeſe
Oſtendit nobis: ſed opus properantibus aſtu.
Accipite, & linguis omnes animisq; fauete.
Nulli fas noſtrûm quenquam demittere morti:
Romani ducis arbitrio ſtat quiſque caditve.
Quæramus lethi cauſas, & crimina primùm,
Inde ducem inſtructi verbis adeamus, vt ipſe
Audiat, & morti indefenſum deſtinet hoſtem.
Sic ait: hinc captum alloquitur, Túne ille ſupremi
Vera Dei ſoboles, verus Deus, æthere ab alto
Quem vates oriturum orbi cecinere priores?
Per Patris obteſtor numen, qui ſidera fulcit,
Fare age, ne te diſsimula quærentibus vltrà,
Diſcuſsisq; palàm qui ſis nunc nubibus ede,
Ne te diuino ignari fraudemus honore.
Dixerat: Ille autem in medio defeſſus, inermis,
Conſpectu paulùm ſuſtollens lumina fatur,
Sum quod ais: quid me ſtudio tentatis inani,
Hæc eadem toties ſcitati? parcite tectis
Inſidijs, victiq; dolis deſiſtite tandem.
Ipſe palàm fateor: nec iam mora longior obſtat,
Cum mihi ſublimis cedet plaga lucida Olympi

Regnanda: æthereà iam iam cernetis in aula
Amplexum dextram Patris omnipotentis, & inde
Mox iterum terras petere aspicietis eundem
Fulgentem clara in nebula, quem mille sequuti
Cælicolæ auratis impellent æthera pennis.
Vix ea dicta: humeris sibi cùm de more sacerdos
Abscindēs tunicā, inquit, Eget quid lucis adhuc res
Indicijs tot clara? palàm scelus ipse fatetur.
Nónne Deo quicunque audet se fingere natum,
Fas & iura iubent multari funere acerbo?
Tollite, ferte moras: Romani ad præsidis ædes
Abripite hunc iubeo, meritasq́; reposcite pœnas.
Intereà casu Petrus perculsus iniquo
Prosequitur mærens, longéque obseruat amicum.
Iamq́; sub ingentis deuenerat atria templi,
Tecta sacerdotis magni, solusq́; sedebat
Tristis, inops animi ante fores nocturnus apertas.
Olli serua, domus cui cura ianua herilis,
Id quod erat rata. Túne etiam fugis, inquit, & isti
Iunctus eras scelerum consors, ideóque per vmbras
Explorator ades, quando omnia nocte quiescunt?
Diriguit Petrus ad vocem formidine turpi,
Oblitusq́; sui est, (quæ vitæ tanta cupido?)
Nec iam scit subitæ turbatus imagine rerum
Quid faciat, quò se vertat quas aduocet arteis:
Qualis vbi dulci virgo decepta sopore
Paruula, quam mater campis ignara reliquit
In solis abeunte die sub tecta reuertens,
Confestim rupto circuntulit humida somno

Lumi

Lumina, nec comites nec matrem conspicit vsquam,
Sed loca sola metu videt exanimata, viarúmque
Immemor, atq; horrere nigra circùm omnia nocte.
Talis erat miser ille animo confusus & haerens.
At cari nomen tandem abiurauit amici,
Pro quo sponte neci modò se deuouerat ardens.
Quinetiam quò se tegeret, succedere tecto
Hostili tulit, & famulis se immiscuit amens.
Nec latuit tamen, illum omnes inimica tueri
Suspectum, & latebras verbis vrgere fouentem,
Térque adeò obiectum nomen patriámque magistri
Audierat, ficto ter dissimulauerat ore,
Cùm matutino mediae iam noctis abactae
Edebant cantu cristatae signa volucres,
Auroram in tectis solitae acri voce vocare.
Tũ monitus verborũ, Heros quae extrema canebat,
Ingemuit, rupitq; imo suspiria corde,
Et penitus duris tristi dolor ossibus arsit.
Tum sese miser incusans turpémque timorem,
Erepsit furtim foribus, solúsque per vrbem
Totam illam ingemuit somni sine munere noctem,
Menti canitiem demissam in pectora vellens.
Quin illũ hãc perhibent mox semper flesse sub horam
Admissi memorem, dum vixit. eum aethera pandens
Saepe oriens, solis saepe ater vesper in antris
Inuenit luctu indulgentem, eadémque quaerentem,
Dum nulla admittit maesto solatia amori.
Deserti subeunt monita vsq; nouissima Regis,
Ac se perculsum muliebri voce recursat.

Et

Etiam tempus erat, cùm nondum aurora relato
Orta die albentes cæli discriminat oras:
Iamq́ue Deum vinctis manibus post terga trahebant
Præsidis ad sedem, quò crimina quæreret ipse,
Quem penes arbitrium, & morti damnaret acerbæ.
Illo Iudæam frænabat tempore missus
Cæsaris imperio Tiberi Pilatus opimam
Pontius, insigni Romanus origine gentis,
Quē furibūda manus trepido est aggressa tumultu
Vociferans, Hunc dede neci: trabe fige merentem
Infami auctorem scelerum, fraudumq́ue potentem.
Hæc crebra ingeminant, densiq́ue ad limen inūdant.
Ille autem iuuenis procero in corpore fixos
Intentusq́ue oculos, intentúsq́ue ora tenebat.
(Nondum illi dulcis flos prorsum euanuit aui)
Insolitam speciem, insolitos miratur honores
Oris, & expleri nequit. hunc è stirpe fatetur
Aut diuûm, aut saltē magnorū è sanguine regum,
Et secum sortem capti miseratur iniquam,
Iamq́ue fauet, tacitusq́ue agitat, siqua potis illum
Impunè eripere, & ruptis exoluere vinclis.
Quem sic alloquitur, Quæ te commissa fatigant?
Fare age, qui casus? vnde hæc effusa repentè
Tempestas tibi? num tantis scelera impia mersum
Impliciter malis? an diuûm tristior ira?
Vnde domo? quo te memoras è sanguine cretum?
Aut quibus aspiras sceptris? quæ debita regna?
Christus ad hæc paucis, Non nunc ego criminis ergò
Protrahor: haud turpi mihi mens obnoxia facto:

Sed

Sed Patris, immensi cæli cui regia paret,
Iussa sequor, nec regna moror mortalia, quamuis
Haud equidem clara me regum è stirpe negarim.
Hæc tãtùm. Ille autẽ admirans decus oris honesti,
Nunc hoc nunc alio sermone affatur, & omnem
Explorat: sed responso non amplius Heros
Dignatur sæuo curarum exercitus æstu.
Tandem illum dux, vt turbam compescat acerbam,
Seruari iubet, atq; domo interiore recondit.

M. HIERONYMI VIDAE CHRISTIADOS

LIBER III.

FAma volans iam finitimas impleuerat vrbes,
Exceptum insidijs heroa dolisq; suorum:
Obscurus tamen, atq; incerto auctore vagari
Rumor adhuc, necdum matris penetrarat ad aures,
Cuncta licet nunquàm illa animo secura timeret
Præsago: nempe audierat, vatumq; tremenda
Terrebant monita, pro libertate piorum
Natum sponte sua subiturum funus acerbum.
Ast vbi Iosephus senior præsensit (ei olim
Alma parens fuerat Superùm concredita iussis)
NaZaren linquens Solymorum se intulit vrbi.
Vix intrgressus videt omnia feruere multo
Concursu populi sublustri nocte per vmbras,
Mœniaq; ingenti misceri tota tumultu.

Ecce

Ecce autem elapsus manibus telisq́ cohortis
Fidus Ioannes pallenti tristior ore
Occurrit: sed vix amens agnouit amicum,
Dum trepidat, casusq́ animo ducis hæret acerbus.
Cui senior, Heus siste gradum: quò te rapis? inquit:
Quo res nostra loco? sine te nunc vester vbi dux
Patre Deo satus? aut strepitus quis tantus in vrbe?
Hei mihi, non fallunt pauidam præsagia matrem.
Sic ait: illum autem iuuenis complexus, & hærens
Tantùm fundebat lacrymas, gemitúsque ciebat.
Tandē pauca refert, Nostra heu spes occidit omnis,
Atq́ absumpta salus: dux fœde carcere captus
Clauditur: inuidia primores vrbis in illum
Conspirant, pœnásque graues cum sanguine poscunt.
Fidi omnes petiere fugam terrore subacti.
Mater vbi est? miseráne adeò iam nuntius aures
Perculit? hei: vtinam tecum nunc afforet ipsa.
Pontius aspiciens lacrymas gemitúsque parentis
Forsitan indigni casus miseresceret vltró.
Ire tamen libet, ac pacem veniámque precari,
Et populi inuidiam atq́ odium crudele profari.
Sic memorans gressum Syriæ rectoris ad ædes
Tendit: ei senior comitem se iungit, & ambo
Incedunt pariter tristes: ceu fortè boues cùm
Agricola amisit pauper, quos hostis abegit
Depopulatus agros, quæsitum protinus illos
Longum iter ingreditur: natorum maximus olli
It comes: hic illic sæpe ambo ignota per arua,
Si quos fortè suis similes videre vagari,

Subsi

Subsistunt flentes, atque auia questibus implent.
Haud illi secus: & iam ventum ad limina tecti,
Quod Regum quondam fuit antiquissima sedes,
Cum res incolumi regno Iudaea maneret,
Sed tum Romulides ora moderator habebat.
Feruere cuncta vident strepitu, patresq; sub ipso
Vestibulo ante fores dissensu tendere magno.
Iamq; sacerdotes paulatim cedere ab aula,
Romano velut infensos, ac dira minantes.
His animum arrecti paulùm lenire dolorem
Incipiunt, rebusq; aliquam sperare salutem:
Atq; ita Ioannes, Mihi se nonnulla aperit spes:
Solue metum, atq; virum pro nato affare, Deiquea
Dissimula sobolem, & causas innecte precandi.
His dictis, pariter succedunt aedibus ambo;
Atq; ducem senior, qui re suspensus eadem
His super in medio procerum consulta rogabat,
Alloquitur genua amplexans, supplexq; precatur.
Optime Romulidúm, quem clari rector Olympi
Iustitia voluit Syriam frenare superbam,
Parce pijs, saeuumq; hominum compesce furorem.
Hinc ratio penitus sublata est: vi geritur res.
Illi ego sum genitor, quem primi gentis in vnum
Coniurant omnes, & ficto crimine terrent.
Iamq; tibi, vt scelere ante omnes immanior vnus,
Traditus, immeritas quo pendat sanguine poenas.
Illum autem virtus tantùm & benefacta per orbem
His mersere malis, sua dum gens effera laudi
Inuidet eximia, nec fert surgentis honorem.

Talib

Talibus orabat: largo simul imbre rigabant
Ora senis lacrymæ: placido quem Pontius ore
Accipit, atque ambos verbis solatur amicis,
Depositumq; senem molli locat ipse sedili,
Atq; hæc deinde refert. Vt vos hic tempore adestis
Optati! nec enim forsan venisse pigebit:
Tu modò vera mihi scitanti edissere pauca
Nunc pater haud veritus: fidei te credere fas est
Omne meæ: cælum & cæli vaga sidera testor,
Sollicito mihi cura tui est nunc maxima nati,
Quē tibi mente agito incolumen seruare, furoremq;
Et rabiem, vt potui, compreßi gentis iniquæ.
Fare age, (nāq; mihi haud nūc primū venit ad aures)
Quæ fortuna viro, vnde domo, quo sanguine cretus:
Ede tuum matrisq; genus: non ille creatus
Stirpe humili, mihi si verum mens augurat: vt se
Incessu gerit? vt vultuq; & corpore toto est
Humana maior species? vt lumina honorum
Plena? vt regifici motus? verba inde notaui:
Nil mortale sonant: sensi illo in pectore numen:
Aut certè Deus ille, aut non mortalibus ortus.
Dicite vos: nam me scitantem auertitur ipse,
Et vix responso tacitus dignatur amicum,
Contemptorq; illi est animus lucisq; meiq;.
His dictis, senior paulisper substitit anceps,
Sene vltrà tegeret quærenti, an proderet illi
Et Diui genus, & verum sine fraude parentem:
Cùm breuiter comes admotus sic fatur ad aurem:
Regia progenies, Nymphæ dignate superbo

Conin

Coniugio, quid adhuc hæres? absiste Vereri:
Omnia sublatis aperi iam nubibus Vltro.
Pone metus, & rumpe moras: Video omnia tuta.
Dixerat: ille igitur missa formidine capit:
Dicam equidẽ: nec dux tibi magna arcana silebo.
Sed quando genus insedit cognoscere nostrum,
Id primum, neq; te suspensum ambage tenebo:
Quanuis res inopes opera ad fabrilia Versum
Exercent, tamen est mihi regum à stirpe propago,
Admotumq; genus superis, clariq; parentes.
Principio innumeræ pater Abras gentis, & auctor
Maximus ille tuas non (Vt reor) effugit aures,
Qui generi legesq; tulit moremq; sacrorum.
Isacon hic dedit: Isacides Iacobus ab illo,
Bis senos qui mox proceres genuit, quibus omnis
Nostra domos in bis senas gens secta tribusq; est.
Hos inter pietate olim quàm maior Iudas,
Tam sese sublime egregie super extulit omnes,
Iudæamq; suo dixit de nomine terram.
Hinc (licet in medio series longissima patrum)
Dauides ortus, regum pater, Vnde meorum
Per bis septem exit genus actum ab origine reges.
Verùm longè aliud inueni genus: ille parentes
Quanuis mortales mortalibus editus oris
Dignatur, tamen est Diuo cælestis origo,
Estq; Deo genitore satus, gaudetq; parente,
Cui mare Veliuolum, cui tellus paret & æther.
Illum autem æthereas in luminis edidit auras,
Nunquam mista Viro mulier, fœtaq; remansit

t *Virgo*

Virginitas, olim vt vates cecinere futurum.
Nam Pater omnipotens fœcunda desuper aura
Afflatam impleuit: tumuit diuinitus aluus.
Quod verò genitor vulgò sum creditus ipse,
Haudita res, mihiq́; alma parens accredita tantùm
Quicum animi posset curas durumq́; laborem
Partiri: mox me fama niueoq́; pudori
Permetuens, eadem dignata est nomine veri
Coniugis immeritum, nec tali munere dignum.
Hæc erat (vt reuocās rem cunctā ab origine pādam)
Iudæas inter virgo pulcherrima Nymphas,
Centum optata procis (Mariam dixere) parentum
Vnica progenies, vrbe edita Nazaræa.
Ipsa autem æterno præ virginitatis amore
Oderat & thalamos, & se sacrauerat aris.
Anna tamen grādæua parens haud nescia vatum,
Plenaq́; venturi è gnata præuiderat olim
Egregiam factis sobolem regemq́; futurum,
Qui populos magnos magna ditione teneret.
Id cælo fixum esse, pios id prodere vates.
Sæpe illam in somnis monuit vox missa per auras
Iungere connubio natam, generosq́; vocare.
Iamq́; erat apta viro, iam nubilis. hactenus autem
Distulerant Superûm monitis parere parentes.
Cùm media ecce iterum sublimes luce per auras
Vox audita: Viro properate ò iungere natam:
Nec generi longè optandi: de sanguine vestro
Quærantur de more: omnis mora segnis abesto.
Continuò paruam vulgatur fama per vrbem:

Tum

Tum consanguinei pulchræ spe coniugis omnes
Conueniunt iuuenes: complentur virginis ædes.
Ipse etiam patri consanguinitate propinquus
Accessi, quamuis æui maturus, vt ipsi
Æquæuo natæ ob thalamos gratarer amico.
Stabant innumeri forma, atq; ætatibus æquis
Florentes, cælum cui munera tanta pararet
Incerti, & sortem sibi quisq; optabat amicam.
Dum spes ambigua, dum turba ignara futuri,
In secreta domus omnes euasimus alta
Tecta, vbi Ioachides numen placare solebat
Virginis ore pater: fuit ara veterrima, nostræ
Quam gentis primi posuere metuq; sacratam
Ter centum totos ataui coluere per annos.
Hanc humiles circùm & prostrati fundimur omnes
Orantes pacem Superos, Superûmq; Parentem,
Det signum cælo placidus quem poscat ab alto.
In medio astabat lacrymans pulcherrima virgo
Flaventeis effusa comas, demissaq; largo
Rorantes oculos fletu: pudor ora pererrans
Cana rosis veluti miscebat lilia rubris:
Qualis, virgineos vbi lauit in æquore vultus,
Luna recens, stellis latè comitantibus, orta
Ingreditur gracili cæli per cærula cornu:
Talis erat virgo iuuenum stipata corona,
Multa Deum verbis testata, Deiq; ministros
Aligeros non sponte sua hæc ad munera flecti.
Hortatur pauidam pater, & lacrymantia tergit
Lumina iussa docens Superûm, simul oscula libat.

Ecce autem, vt præſens aderat quoq; pronuba, cœtu
In medio Anna parens ſubito correpta furore,
Plena Deo tota (viſu venerabile) in æde
Bacchatur, tollitq; ingentem cælo vlulatem,
Vnum in me conuerſa oculos, me fertur in vnum.
Nil minus hoc ducentem animo, nil tale verentem,
Corripiensq; manu, Solus tu poſceris, inquit:
Annuit hoc vni Superûm tibi connubium Rex.
Obſtupuere omnes: nec tunc ex agmine tanto
Exortem quiſquam ſeniori inuidit honorem.
Ipſe aut quòd eram ſeris minus integer annis,
Multa recuſabam, multâ huc veniſſe pigebat.
AEquales aderant fidi, ſimul & renuentem
Hortari, atq; animum mihi blandis addere dictis.
Cedo igitur victus tandemq; vxorius illam
Accedo, & lacrymans lacrymãtem ad limina duco.
Et iam nox aderat ſtellis fulgentibus apta
Suffundens vmbras mundo nigrantibus alis:
Secretis thalamis pariter ſuccedimus ambo:
Flebat ſponſa: ſolum lacrymis iuxtà omne madebat.
Ac veluti, cùm vere ſubeſt uberrimus humor,
Arboribus lenta vitis ſi fortè cacumen
Falſe putans ſtirpem faciat malè prouidus vnca
Agricola, immeritam & violarit vulnere matrem.
Ipſe aderam, & dictis ſolabar mitibus ægram,
Virginis haud cupidus primum decerpere florem:
Cùm ſic longa trahens ſuſpiria pectore ab imo eſt
Orſa loqui, Non relligio mihi vana ſuaſit
Et thalamos odiſſe, & virginitatis amorem

AEter

Aeternum colere: intus agit vis aetheris intus,
Longaeuam responsa licet contraria matrem
Sollicitent, fatumq; minae sunt & mea contra
Vatum iussa mihi, nulli succumbere labi,
Nullis virgineam taedis summittere mentem.
Ante retro primos properet reuolutus ad ortus
Iordanis, sistantq; suos vaga sidera cursus.
Haec ait, inq; genas stillantes vndiq; honesta
Ex oculis simul incipiunt turgescere gemmae.
Nec mora, deinde mihi insinuãs quatit ima repentè
Ossa timor: genua aegra labant: nox plurima oborta
Ante oculos; ter sum conatus pauca profari,
Ter frustrata sono lingua est, nec verba sequuta.
Tum quoq; vox audita, Toro thalamisq; paratis
Parce: tamen concessa tibi connubia serua.
Exurgo, atq; oculos iamdudum in virgine fixus
Horrenda, tali sum tandem voce loquutus,
Quis mihi te virgo inuito coniunxit Olympo?
Quis tantis (non hos equidem quaesiui hymenaeos)
Immeritũ implicuit monstris? haud talia quondam
Praedixit puero genitor ludibria vates,
Iam senior vates idem templiq; sacerdos.
Ille quidẽ aut nullos thalamos, mihi nulla manere
Connubia, aut certè clarum fore me inde canebat.
Verùm age quae menti surgat sententia pandam.
Quandoquidem Superi mihi te iunxere, sed iidem
Absterrent monstris, licet, & mox vsq; licebit
Virgineum serues intacto corpore florem,
Haud tamen ipse ausim iniussus dissoluere sacri

Connubij vincla ista: domo degemus eadem,
Ipse tibi ut genitor, mihi tu ceu filia semper,
Teq; adeò casus iam nunc complector in omnes.
Hoc tua relligio velit, hoc mea serior ætas.
Annuit his, aliaq; domus in parte puella
Secubuit. mitto totam quæ monstra per illam
Sum passus, quàm mira horrens insomnia noctem.
Iamq; dies pulsis tenebris inuecta rubebat,
Et face Sol rosea nigras disiecerat umbras,
Corripio è stratis artus, sponsamq; reuiso.
Vix thalami impulerā bipatenteis cardine portas,
Cùm lux ecce oculis ingens offusa repentè:
Collucent summi radijs laquearia tecti,
Collucentq; trabes, visumq; ardere cubile.
Ipsa autem thalami in medio sedet aurea virgo
Attonita similis: nec enim me multa rogantem
Dignatur: nihil illa meo sermone mouetur.
Tantùm fixa oculos cælo, palmasq; tenebat
Aut stellæ similis, aut Puniceæ auroræ.
O' illa à solita quantum mutata figura!
Quantus honos oculis, quantus decor additus ori!
Haud aliter quàm cùm simulacrū excidit acernum
Artificis manus è siluis in sede locandum
Sacrata, quod plebs dehinc supplex omnis adoret,
Si, postquàm effigiem poliens trunco extulit arte,
Extremum superimposito decus induat auro.
Immotam penitus circundat lucida nubes
Solis inardescens radijs, stellaq; videntur
Lucentes capiti circum aurea tempora pasci.

Sub pedibusq; deæ lumen dare candida Luna.
Pertimui, & mira stupefactus imagine rerum
Talia voce dabam, Pater his ò me exue monstris
Omnipotens: non hæc superi sine numine vestro.
Vestra hæc portenta agnosco manifestaq; signa.
Aspirate animo placidi, dubiumq; monete
Quid sequar, aut quæ nam vobis sententia constet.
Tantum effatus eram: tandem pulcherrima virgo
Ad sese redit, abrupto velut excita somno
Suspirans, lacrymisq; sinus humectat obortis.
Accedo, atq; rogo noua per connubia supplex,
Atq; illum æterna per virginitatis amorem,
Vnum quem niueo celit intemerata pudore,
Admittat socium curarum, & magna recludat
Rerum arcana, nihil metuēs, mihiq; omnia credat.
Illa solo vultum atq; oculos deiecta nitenteis,
Rore velut demissa caput rosa matutino,
Cunctatur: demum incipiens sic ora resoluit,
Dicam equidem pater: haud patiar te nostra latere
Gaudia: sed quæ nunc, aut vnde exordia sumam?
Nam quis narranti rerum miracula credat
Tātarum? per ego has lacrymas quas excutit ingens
Lætitia, obtestor, quæ fabor, pectore condas,
Ne prius incipiant in vanum serpere vulgus,
Quàm Deus ipse aliis vulgauerit omnia signis.
Iam monitrix operum stellas aurora fugarat,
Et Sol pallentes lustrabat lampade terras:
Ipsa reuoluebam vatum monimenta priorum,
Dicta animo recolens: sed præ tunc omnibus vnum

Fortè mihi ante oculos (neq; enim sine numine certo
Oblatum reor) immotum fixúmve manebat,
Quod cuncti pariter super omnia prædixere
Affore, concubitu nullo cùm regia virgo
Impatiens, exorsq; viri (mirabile dictu)
Cælicolùm Regem sub luminis ederet auras,
Cuius in aduentu lætentur cuncta per orbem
Protinus, & toto surgat gens aurea mundo.
Illam felicem tacitè mecum ipsa vocabam,
Quam pater omnipotens tanto cumularet honore:
Iamq; Dei matrem venerabar mente futuram,
Infantiq; Deo, si fortè his ille diebus,
His si fortè oris nascatur, dona parabam.
Talia dum mecum euentus ignara voluto,
Ecce mihi noua lux oculis oblata repentè.
Suspicio, liquidas sine nube remetior auras.
(Mira loquar) video medium discedere cælum,
Pennatasq; acies populis felicis Olympi
Exultare polo, Superúmq; applaudere Regi.
Non obstant clausi postes, non pariete tectum
Marmoreo circumseptum: video ignea cæli
Sidera, sidereosq; globos, Superùm aurea tecta.
Tum mihi se puer ante oculos allapsus Olympo
Ora Deo propior radiantibus obtulit alis,
Et placidus tendens candentia lilia dextra
Me sic affari, lætasq; expromere voces,
O' vna ante alias cælo acceptissima matres:
Magnus adest tibi præsenti regnator Olympi
Numine: tu nuribus felix magis omnibus vna.

Hic mihi vix paucis auditis talibus ingens
Miranti gelidos subitò tremor alligat artus.
Tum sic ille animum diuino pignore firmat,
Parce metu virgo: placuisti ex omnibus vna
Cælituum Regi, faciat quam prole parentem:
Et iam concipies puerum grauis: ille erit ingens,
Progeniemq; Patris summi sæcla omnia dicent.
Et quoniam multis olim feret ipse salutem,
Seruabitq; pios, patrio dic nomine IESVM,
Sedibus infernis iam nunc lacrymabile nomen.
Supra homines, supra aspicies se tollere & ipsos
Cælicolas fama insignem ac præstantibus ausis.
Nam Pater omnipotens atauorū insceptra reponet
Pristina regnantem latè, regumq; sedebit
In solio, (neq; enim metas neq; tempora regni
Accipiet) toto æternùm dominabitur orbe.
Dixerat: ipsa autem paulatim abeunte timore
Subijcio, Sed qua verò ratione quod inquis,
Confieri poterit? nam mens mihi deniq; fixa
Atq; immota manet, nunquam violare pudorem
Virgineum, semperq; virûm commercia fugi.
His ego finieram paucis, his ille sequutus,
Te Superûm Pater afflabit cælestibus auris
Desuper, afflatu quo solo plena sine vllo
Concubitu, exacto grauis edes tempore partum.
Atq; ideo quem fœta dabis, Deus ille feretur
Æterno Genitore satus, qui temperat orbem.
Quæ ne vana putes, scis, quæ tibi sanguine iuncta est,
Helisabe, sobolis vt degerit hactenus exors,

Vt sterilis seclis iandudum effœta senectus
Spem cunctam abstulerit partus, prolisq; creandæ,
Plena viro pariet tamen illa, & tempore Lunæ
Perfecto grauida iam sextum circuit orbem.
Cuncta potest etenim, qui me tibi mittit ab alto
AEthere siderei Rex idem atq; auctor Olympi.
Hæc ait, & paribus se in cælum proripit alis.
Quem supera aspiciens tali sum voce sequuta,
Quisquis es ò cæli iuuenum pulcherrime præpes
Obsequor, ac votis, quod rex iubet, omnibus opto.
Intereà nubes maculoso discolor auro
Demissa ad terram croceis me amplectitur alis.
Diffulgent intus radijq;, ignisq; coruscæ
Scintillant veluti squamæ vario ordine circúm.
Squamaq; stellaq; auri fulgore micantes,
Aduerso quales imitatur Sole colores,
Cùm picturato cælum distinxit amictu,
Nubicolor liquidis effusis imbribus arquus.
Hanc simul omnipotens genitor perflauit ab alto,
Continuò ruit ecce voluta liquentibus astris
Aura potens, quaq; illa venit, procul vndiq; circùm
Scintillæ absiliunt radijs vibrantibus aureæ.
Turbine corripior rapido, visq; illa per omnes
Auræ vis omnipotens mihi diditur artus,
AEthereusq; vigor toto se corpore miscet,
Visaq; prædulci mihi corda liquescere amore:
Qualis secreto naturæ fœdere tellus
Concipit, & vario clam fœtu plena grauescit,
Matris vbi in gremium descendit plurimus æther,

Auraq; fœcundos afflauit verna tepores.
His actis clarum sonuere per æthera cœtus
Aligeri cantu vario, plausumq; dedere.
Hinc tonitru ingenti tremuerunt ardua Olympi,
Crebraq; per cælum hic illic rima ignea fulsit.
Talia narrabat virgo: simul ora rigabat
Lætitia illacrymans: tum tendo ad sidera palmas,
Multa orans, animi ambiguus: nec credere quibam
(Mens adeò mihi læua fuit) tam mira ferenti,
Quandoquidem iuuenes plerunq; innectere fraudes
Virginibus soliti incautis, & fallere furto
Ah faciles dictis aurem præbere puellas.
Quin etiam hãc volui (scelus) olim linquere demens.
Verùm eadem insomnis pueri redeuntis imago
Visa mihi, vultusq; habitusq; similimus illi,
Ipsa sibi modò quem memorabat sponsa loquutum.
Nudus erat roseos humeros, tantum aurea læuo
Pendebat demissa chlamys, quam fibula subter
Ilia tergemino mordebat rasilis auro,
Rubraq; compactis pendebant cingula bullis.
Molles à tergo tractim succrescere plumæ,
Ac sensim geminas humeris assurgere in alas:
Tum suras gemmis inclusit, cætera nudus.
Oris multus honos, gratiq; in corpore motus
Haud nostri puerum generis testantur adesse.
Sed cæli sobolem, atq; aulæ stellantis alumnum.
Nec minus ipsa etiam mira spectabilis arte
Vestis erat, baccis superas illisa per oras.
Textile Mæandro duplici infra circuit aurum,

Admi-

Admirabile opus: tres hic impunè per ignes
Læti ibant pueri intexti, pariterq; canebant
Cælicolûm Regi conuersi ad sidera laudes.
Cernere erat medijs a res fornacibus ignes
Parcere corporibus, longeq; absistere flammas.
Mirabar tacitus, cùm sic pulcherrimus ore
Affatur trepidum iuuenis, Sate sanguine regum
Quod tantum irrepsit menti scelus? omnia non te
Signa mouent, haud hæc fieri sine numine certo?
Ne dubita: nam vera canit sanctissima virgo.
Iam nunc congressus nunquam perpessa viriles
Concepit grauis ætherea diuinitùs aura.
Nam Pater omnipotens cælesti afflauit ab arce,
Atq; vterum impleuit dilapsum numen ab astris.
Casta fides nobis colitur, desiste vereri.
Hæc vates olim vestri cecinere futura,
Cuncta sed obscura implicuere ambage tegentes.
Nanq; hæc illa quidem cæli in penetralibus altis
Porta ingens clausa æternùm, nec peruia gressu
Ulli hominum: tãtum omnipotẽs Deus ipse per illam
Itq; reditq; viam, nec claustra immota resignat.
Hanc tibi commendat summi regnator Olympi,
Coniugio adiungens stabili, sed coniugis vsum
Effuge: securum tecum sponsa exigat æuum,
Quamuis tuta Deo iam nunc sit præside virgo.
Sic fatus: subitò in tenues euanuit auras,
Pernici liquida arua fuga per nubila carpens:
Et simul incussit mihi blandum in pectus amorem.
Vtq; rigor ferri rutilo lentescit in igne,

Sic

Sic mihi corrapido sensi mollescere motu.
Consurgo, & veniam conuersus ad ethera posco,
Meq; ipsum incuso amens, & lux reddita menti,
Inq; dies magis atq; magis cæli alta patescunt
Consilia, antiquis quæ vatibus omnia quondam
Obscuris vera inuoluens Deus ostendebat,
Hæc virgo est rubus ille, procul, quẽ in mõte videbat
Ardentem vates igni crepitante cremari
Corniger, attactu cùm nullo innoxia flamma
Lamberet, & frondes illæsa in stirpe virerent.
Hæc eadem niuea quondam impenetrabile lana
Nimbis vellus erat, cùm latè cuncta maderent
Imbribus effusis circùm, tellusq; nataret
Humida, ni veterum vana est prudentia vatum.
Hæc mecum, & toto penitus nox pectore abacta est.
Haud mora, prodigijs tantis facit ipsa fidem res.
Iam diffusa canit Galilæa per oppida fama
Inuentam (portentum ingens) in montibus altis
Nuper anum, quæ suprema iam affecta senecta
Plena viro attulerit sobolis spem, cùm tamen acta
Infecunda illi fuerit sterilisq; iuuenta.
Tum mihi sponsa, Puer cæli demissus ab oris
Hoc (inquit) mihi prædixit nam cuncta recordor.
Hæc anus est, hæc Helisabe mihi sanguine iuncta,
Cui sextum luna grauida iam circuit orbem.
Nec plura: extẽplò placet ire, & stirpe propinquam
Visere anum gradimurq; ambo super alta locorum,
Tectaq; Zachariæ petimus procul ardua vatis.
Vix primum attigeram limen (mirabile dictu)

Occur

Occurrit tremebunda anus, intrantiq́ puellæ
Optatos dedit amplexus. Deus amplexantem
Inuasit, subitusq́ sub ossa repentè cucurrit
Ima calor, talesq́ dedit venerata loquelas:
Longè vna ante alias tu fortunata, parentes
Tuq́, vteriq́, tui virgo sanctissima pondus.
Vnde repentè mihi tanta indulgentia cæli?
Vnde hæc affulsit sera tam clara senectæ
Tempestas? fas ecce Dei vidisse parentem,
Et coràm affari lectam de millibus vnam,
Dignantẽ has sedes, meaq́ vltro in tecta profectã?
Nam mihi (vix primũ attigeras hæc limina) pectus
Emicuit, saliensq́ vtero signum edidit infans.
Felix diua parens Superũm gratissima regi,
Syncera spectata fide, quæ credere veris,
Dum tua nondum animo præsagis gaudia dictis
Haud verita es. promissa manent pueri altis ecce
Certa tibi. iam nunc ades, orbisq́ aspice casus
O cæli regina hominum miserata labores.
Dixerat: at teneri qualis rosa plena pudoris,
Haud animis elata tumentibus aurea virgo
Cælicolũm regi laudes lætata canebat,
Quòd se tam propè sidereo aspexisset Olympo
Indignam bonus atq́ humilem, nil tale merentem,
Exultansq́ suos sibi vaticinatur honores
Promissos atauis, priscisq́ parentibus olim.
Ex illo quanta immensum portenta per orbem
Terruerint hominum mentes præsagaq́ signa,
Limina dum vita omnipotens attingeret infans,

Longa

Longa renarrare est mora. iam tunc Caspia regna
Responsis vatum horrebant, iam Nilus, & omnis
AEgyptus trepidare, omnes orientis & vrbes.
Vestri etiam audierant (si vera est fama) per oras
Ausonias iamiam venturum lucis ad auras
Inuictum Regem, cui passim cederet orbis
Regnandus, qui se patria virtute potentem
Seq́; suumq́; genus sublimi inferret Olympo.
His tandem certus signis ego numinis instar
Plenam vtero supplex sponsam venerabar, & vltro
Parebam. victum grauida, & diuina ferebat
Pocula de cælo volucer puer. illum ego sæpe
Intrantem thalamum manifesto in lumine vidi.
Iamq́; optanti animo diuini tempora partus
Expectabā ardens, sed spem mora iniqua trahebat.
Et sæpe hæc cupido repetam pectore mecum:
Si modò, si mihi calestis se ostendere coràm
Non fugiat puer ante obitus, quando omnia de se
Rettulit ipsa mihi virgo pulcherrima vera.
Purpureos flores metite, & candentia plena
Lilia ferte manu, venienti ad limina lucis
Dona parate Deo, puerumq́; inuisite regem.
O mihi si quoq; tam longæ suprema senectæ
Pars maneat, quantum valeam tua cernere facta,
Sancte puer, cùm sublata formidine mundum
Pacabis, patrioq́; Deus regnabis Olympo:
Tum pax alma colet terras, pietasq́; fidesq́;,
Quaq́; labat nunc relligio, atq; resurgere vbiq;
Iustitiam in melius versus mirabitur orbis.

Tum

Tum ferus in falces curuas conflabitur ensis,
Aureaq́; incipient mundo sua cedere sæcla.
Sic ego sæpe moras mecum lenire solebam,
Et magis vsq; animo mihi spes accensa vigebat.
Forte recognoscens populos numerare iubebat
Augustus Cæsar, rerum cui summa potestas.
Ipse igitur veteris repetebam mœnia Bethles,
Vnde genus duco, quò me queq; ciuibus vrbis
Insererem, nomenq́; meum nomenq́; meorum.
Sponsa sequebatur Nazaræa abs sede profecta.
Vix patriæ intraram muros, & rara domorum
Tecta [illegible] cum nox cælum abstulit vmbris.
Est sedes deserta humilem ingredientibus vrbem
Horrenti vlmoq́;, & carice tecta palustri,
Agricolis olim statio gratissima, si quos
Rure procul patrio nox deprendisset in vrbe,
Nanq; alijs procul à tectis summota recedit.
Huc igitur fessi pariter succedimus ambo
Seu casu seu sic rector sortitus Olympi,
Vt potius reor, & potius fas credere duco.
Natum etenim non solùm extrema per omnia vitā
Ducere & in terris indignos voluere casus:
Verumetiam tecto voluit sub paupere eundem
Nasci, humilíq; domo mise ab lē, & omniū egenū.
Principio in stabulis pandum ad præsepia fisto
Qua [illegible] auxiliumq́; [illegible] leuamē,
Quem iuxta in stabulis sese locat inclyta virgo.
Quippe alia interior domus vlla haud parte vacabat.
Bos erat à læua tepidum flans ore vaporem,

Quem pauper campis luce exercebat arator,
Pauca soli curuo suspendens iugera aratro,
Nec sera nisi nocte domum repetebat ab agro
Conducto, vitam vt posset tolerare labore
Ipse suo, atque famem paruis auertere natis.
Et iam nox medium spatium confecerat horis,
Cùm mihi, qui saxo harebam iam lumina victus,
Sōnus abit: neq; enim mersū tūc me altus habebat.
Ecce oculos fulgore nouo lux occupat ingens:
Diffulgent intus latè magalia, quaq;
Stramina tetra modò horrebāt, nūc aurea cernas.
Exurgo: aspicio iuxta præsepia nudum
Infantem radijs illustrem: ac luce coruscum,
Quem virgo tenerum in duris modò pauper auenis
Ediderat nullo nixu, nullo agra dolore.
Astabant taciti bos hinc, hinc tardus asellus,
Pabuláque obliti pariter capita alta tenebant.
Ipsa etiam radijs fulgebat mater vtroque
Poplite subsidens, oculos demissa nitenteis,
Ah nudum lacrymis paruum spectabat obortis,
Tendebátque manus suffuso lumine iunctas:
Astrorum qualis facies rorantibus vmbris
Post imbrem, siccis Boreas vbi frigidus alis
Ingruit, ac cælum populans caua nubila differt,
Talis virgineo species accesserat ori.
Quid facerem? partem subieci ambobus amictus
Ipse mei, atq; olida substraui terga bidentis
Pro picturatis cunis, pro murice, & auro:
Cætera pauperies, nóxque intempesta vetabant.

Necdum clara dies merso diluxerat orbi,
Iam conferto aderant pastores agmine, & antri
Floribus, ac varijs auxerunt limina sertis
Rustica multifori fundentes sibila canna.
Vt stabula ingressi, ad præsepia lumina vertunt
Summissi, terrámque petunt, & numen adorant.
Mirabar mecum tacitus, fama vnde per agros
Hæc subitò exisset, deq; ipsis quærere cœpi.
Vnus quærentem sic est affarier orsus:
Pastores sumus: in vicinis saltibus omnes
Pascimus: insomnem vt nobis mos ducere noctis
Haud partem exiguã, atque gregẽ seruare coactum,
Nocte ferè media vigilantibus astitit ingens
Lux cunctis supra caput, atonitisq; pauore
Ingenti talis vox est audita per auras,
Ne trepidate viri, vobis noua gaudia porto.
Ille pijs toties promissus vatibus olim
Finibus his hodie natus Deus. eximet ille
E' tenebris hominum genus, atq; in pristina reddit.
Illum vicina fas vobis cernere in vrbe
Effultum stipula, atque humile in præsepe iacentem.
His moniti vicinam oculos torquemus ad vrbem.
Ecce autem volucer pictis exercitus alis
Cælestes sup[er]a pueri toto æthere visi
Nubibus impositi liquidas aquitare per oras,
Et mirum in morem celeri proludere cætu.
Atque vbi ter cælum ternis toto agmine versi
Lustrauere choris, ter lustrauere choreis,
Concentu petiere polum longè ardua Olympi

Resp

Responsant: lætis dissultat plausibus æther.
Talia narrabant, nec sese explere cerusci
Infantis facie poterant, fixiq́ manebant
Hærentes oculis, hærentes pectore toto.
Fulgebat puer ore, oculis ac corpore ab omni
Diuino longè circùm loca lumine complens:
Qualis puniceo se pandens ore, rosarum
Cumprimùm dias flos visit luminis oras,
Aut vbi sole nouo roseis orientis in oris
Enituit verni species patefacta diei.
Nos verò intereà, quanquam indubitabile numen
Nouimus, atque Deum nec opis nec lactis egentem,
Paruum alimus tamen, vt mortali semine cretum,
Hubera siccantem matris, tenerumq́ fouemus,
Inualidumq́ artus: mortalem quippe creatus
Mortali matris traxit de corpore partem.
Atque ideo (vt veterum mos est antiquus auorum)
Imprimimus generis signum, Samiaq́ putamus
Exiguam testa pellem genitalia circùm:
Addimus et nomē, memoresq́ vocamus IESVM,
Vt quondā admonuit puer actus ab æthere prapes.
Idem etiā quòd sit regum de stirpe sacerdos,
Gentibus est Graio dictus de nomine Christus.
Quinetiam, quanuis nullo intemerata remansit
Concubitu mater, tamen intra tecta morata est,
Vsque quater denos dum Solis cerneret ortus.
Tum demum sacram Solymorum aduenimus vrbē
Cum puero, quò se lustraret regia virgo,
Torquatasq́ aræ attulimus de more columbas.

Stabat ſacra ferens altaria ad ipſa ſacerdos
Succinctus lino albenti, capitisq; bicorni
Tegmine, peruigilem adſeruās penetralibus ignem.
Hunc circum ante aram natorum intonſa corona
Fundebant pateris Vituli, Vt tunc fortè cruorem,
Quem pater, Vt ſontis populi commiſſa piaret,
Mactarat Superûm Regi, Veniamq; precatus
Supplicitер ſolitos aris adolebat honores.
Circunfuſi aderant primores gentis, & omnes
Tempora tangebant dextris Vittata iuuenci.
Iamq; leui fuſum delibans ille cruorem
Terq; quaterq; ſacram digito irrorauerat aram,
Araq; impoſitā flammā, & ſeptem ordine lychnos,
Linteaq; ampla, quibus ſacrorum arcana teguntur.
Et iam finis erat ſacris, feſſusq; ſacerdos
Cum gnatis dapibus ſeſe accingebat opimis.
Tunc humili greſſu Virgo procedit ad aram
Infantem laua geſtans, dextráque Volucres.
Quid memorem, quæ ſigna polo Pater edidit alto,
Teſtatus Veram ſobolem? quantum ipſe ſacerdos
Horruerit pueri aſpectu? quàm mira repentè
Ignibus inſolitis lux circunfulſerit aram?
Ter tura accenſos Venerans coniecit in ignes,
Ter ſubiecta tholo ſubitò ingens flamma reluxit.
Ille tamen collo patrio de more Volucres
Immolat intorto, atq; effundens ritè cruorem,
Porricit & plumas, & aperti gutturis exta
Solis ab occaſu nitidos conuerſus ad ortus,
Diffringitq; alas: tum ſacros ſuggerit ignes

Viſcer

Visceribus: grato vapor it super æthera fumo,
Aráque Panchæos flagrans exhalat odores.
Ecce hominum subitò turbantur pectora casu,
Nomen cui Simeon referens erat obsitus annis,
Quo nemo tota Vrbe fuit seruantior æqui.
Huic (Vt erat longè Venturi præscius) olim
Æthereâ Vis omnipotens promiserat aura
Visurum sese antè Deum, ac æternámque salutis
Expectatum orbi, quàm lucis linqueret auras.
Iamq́ erat hunc Vitæ pertæsum, ægérque senectæ
Optabat duros lethò finire labores.
Sed spes illa animo cupido Vsq; infixa manebat.
Ergo Vbi adesse Deum præsensit numine plenus,
Qualis Vbi gressum per agros comitatus herilem
Fortè canis leporem Vi longè sensit odora,
Continuò intenditq́ aures, atque aëra captat
Naribus, & captum rumpens iter auius errat,
Atq; oculis incerta feræ Vestigia lustrans,
Nunc hos nunc illos cursus fert, atque recursus
Incertus: longè latratibus arua resultant:
Talis erat senis in templo exultantis imago.
Tum puerum tremulis correptum amplectitur Vlnis,
Atque arctè premit: hinc lacrymis ita fatur obortis:
Macte infans Virtute, Dei indubitata propago,
Mundi opifer, qui nostra Venis, Veterumq; parẽtum
Sponte admissa tui largo lauere amne cruoris.
Et liquidas aperire Vias ad sidera cæli,
Exoptatus ades, nec me tua maxima fallunt
Summe Pater promissa. mori me denique fas est.

Nunc ô me nunc ad requiem finemq; laborum
Corporis exutum vinclis dimittis, ut olim
Pollicitus, iam viderunt mea lumina quem tu
Auxilium mundo misisti, ut gentibus esset
In tenebris lux, Isacidos noua gloria prolis.
His dictis, matrem versus mox fatur ad ipsam:
O' cui te forma assimilem? cui laudibus æquem?
Quásve tibi referam grates, quæ sola salutem
Felici peperisti vtero mortalibus ægris?
Quanquam etiam exitio multis hũc affore partum,
Et tempus fore predico, illætabile tempus,
Cùm tibi cor gelidum gladius penetrabit acutus
Ah misera, & magno Virgo dotabere luctu,
Mutataq; fluet Iordanis decolor vnda.
Tum serus segnisq; dies nascetur, & ægrè
Lutea vix terris ostendet pallidus ora,
Atque graui tellus optabit mole relinqui
Ipsa sua, & rupto per inania fœdere labi.
Hæc vbi, confestim veluti cedentia somno
Lumina demisit, placidaq; ibi morte quieuit.
Obstupuere alij: sed nos, queis cætera nota,
Terremur magis, inq; vicem disquirimus ambo
Solliciti quósnam matri denuntiet enses,
Aut quibus exitio tantùm puer ipse futurus.
Haud longum fuit in medio dehinc tempus: vtrunq;
Exitus edocuit, dubiosq; ambage resoluit,
Ni nobis maiora etiam nunc vulnera restant,
Atque alia ex alijs semper grauiora parantur.
Illis extremo quippe ex oriente diebus

Tres

Tres adeò magni reges ditione profecti
Huc sese intulerant puero dona ampla ferentes,
Aurúmque, & turis glebas, stactæq; liquorem.
His vis astrorum, ac ratio voluentis Olympi
Monstrarat regem nostris in finibus ortum,
Quoi cæli, terræq; paterent debita sceptra.
Sancti igitur partus studio huc venère: videndi.
Stella facem ducens venientibus vsque coruscam
Dux erat, atque viam signabat lumine largo,
Ceu quondam patribus deserta per auia nostris
In patriam tandem Pharia redeuntibus ora
Præcurrens monstrabat iter nocte ignea lampas
Desuper, & mirum spargebat lucida lumen.
Iámque vrbem ingressi sedes adire tyranni
Herodis, causámq; viæ docuere, rati olli
Hanc sobolem, quòd erat rex his in finibus, ortam.
Obstupuit simul, atque animo perterritus ille est.
Nec mora, permetuens sibi ne succederet hæres
Quæsitus puer in regnis externus auitis,
Indigenas vates iubet intra mœnia cogi
Regia, scitaríq; omnes, tempúsque locúmque
Nascentis pueri, patriámque domúmque requirit.
Illi autem Bethlen veterum monimenta minari
Cuncta docent, dux vnde ortus se tolleret olim
Fama ingens, claris ingens super æthera factis.
Tum magis atque magis curarum fluctuat æstu,
Sollicitámque gerit cassa formidine mentem.
Tandem his affatus reges dimittit Eoos,
Quæ vos causa viri nostris nunc applicat oris,

Hæc eadem longè spe nos suspendit auentes
Cernere promissos pueri tot vatibus ortus.
Haud procul hinc saxo Bethlefundata vetusto
Vrbs colitur nostris: natum illuc quærite regem.
Mox iubeo, inuentum nobis qui nuntiet, inde
Mittite, nostro etiam puer accumuletur honore.
Sic ait, & falso simulat noua gaudia vultu.
Verùm longè aliud malè amico pectore agebat,
Demens, quia cæli Regem, cui sidera parent,
Crederet in terris mortalia regna morari.
Ergo iter instaurant conspecto sidere læti.
Iamq; propinquabant magna stipante caterua,
Cùm subitò supra tectum ingens substitit astrum
Irradians, largoq; mapalia lumine complens:
Quales cùm belli motus, aut funera regum
Portendunt, crinem irato sparsere minacem
Æthere, ni diri rubeant lugubre Cometæ,
Treis adeò angusti subter fastigia tecti
Pauper ego excepi reges in rebus egenis.
Vidi illos auro illustres, ostroq; decoros
Ante pedes pueri sese demittere pronos
Suppliciter genibusq; piæ procumbere matris.
Dum sua quisque facit fortiti ex ordine dona,
Barbarici ante fores expectabant comitatus
Intereà, Tyrioq; instratus murice terga
Stans sonipes teres exercebat dentibus aurum.
His dehinc perfectis abeunt, lætiq; sequuntur,
Quod longo irradians aperitur tramite sidus.
Sed non indè via moniti referuntur eadem

Regia linquentes à læua mœnia longè
Rursus Idumæi sedem ne regis adirent.
Ille autem, Vt sese delusum denique sensit,
Accensus furijs suspectam misit ad Vrbem
Mille Viros ferro instructos, qui mœnia furto
Per noctem ingressi teneros, quicunque reperti,
Infantes matrum iugularunt Vbere raptos,
Quo numero in tanto caderet quoque regius Hæres.
Ipse sed in somnis Visus sum Voce moneri
Præcipitem celerare fugam, loca linquere nota.
Surge age, rūpe moras, puerū tecū arripe, matrēq;,
Et septemgemini cursu pete flumina Nili,
Hinc terrā cole, quæ procul his haud dissidet oris,
Nec refer inde pedem, nisi te priùs ipse Vocaro:
Rex etenim lethum infanti molitur acerbum.
Consurgo, & plenus monitis matri omnia pando.
Vidisses Visu exanguem, exanimémque puellam
Huc illuc trepidare fuga, & Vix fidere nocti.
Iam tum illi pectus gladius traiecit acutus
Ah misera, ingenti labefactáque corda dolore.
Cedimus, & taciti malefidam linquimus Vrbem
Per noctem, ac propero petimus nemora auia gressu.
Et iam palmosæ saltus, atque ardua Idumes
Præteruectus eram, Veteris iam mœnia Elusæ,
Quaq; Asiam Libycis disiungit finibus omnem
Mapsa ferax oleæ: ingredior pluuiæ inscia regna,
Regna Phari, quibus est cœli Vis cognita primùm,
Astraq;, Lunaiq; globus, Solisq; meatus.
Ignotos passim monteis, ignota saluto

Flumina, turrigerasq; legens præteruehor Vrbes.
Iamq; papyriferi ripis Anthedonis ibam.
Auræ omnes terrent pauidos, capitiq; timentes
Tam caro. at puero blandiri murmure siluæ
Lauricomæ, & ramis capita accuruare reflexis,
Aurarumq; leues animæ indulgere susurro.
Ipse etiam nobis cautes, ipsiq; videntur
Verticibus leuiter motis alludere montes,
Signaq; lætitiæ dare stagna loquacia circum.
Audires blandum fessas erroribus vndas
Perstrepere, & molli lapsu per saxa sonare,
Humida saxa super nitido viridantia musco.
Præcipuè ripis volucres, & fluminis alueo
Assuetæ liquidis mulcebant vocibus auras,
Et iactu alarum resonabant corpora plausa.
Sese etiam omnifero gremio venientibus offert
Læta Dei aspectu tellus: flant gramina odorem
Cuncta suũ, & mollẽ prætexit amaracus vmbram.
Nec verò incerta latebrosus origine Nilus
Non manifesta dedit salienti flumine signa
Aduentante Deo lætis se sustulit vndis,
Stagna arcana ciens, fundóque apparuit imo.
Ad biuias nobis fauces, flexusq; viarum
Increpitans clypeo, fulgentiq; ense per auras
Ocyus vsque aderat cælo pulcherrimus ales,
Et monstrabat iter sibi per diuortia nota,
Ne recta regione via deprenderet hostis.
Ceruleis huic terga notis suffusa rubebant,
Multùm illi aßimilis qui me connubia quondam

Sol

Soluentem increpuit, tenebrasq; à mente fugauit.
Suprà nos alij pendentes aëre pennis
Ibant, & noctis resupini infantis ab ore
Humorem arcebant lentum plumaq; tegebant.
Iamq; ego perplexum per iter propè fida tenebam
Arua legens sistris bacchata sonantibus, & iam
Tutus erat longè nostris à finibus infans,
Attamen AEgypti penetro interiora, nec Vlla
Fida satis tellus mihi Visa, aut regis iniqui
Sat sceptris diuisa. animo timeo omnia tuta.
Nec placet Hermopolis, nec centum perula portis
Visa satis Thebe tanto procul esse periclo.
Nos igitur regum turritis clara sepulcris
Accepit Memphis: hac demum sede quieui
Paupere sub tecto Veteris securus amici.
Iam Verò Pelusiacas Vulgata per oras
Fama Palæstinum subitò ferit Vndique regem
Florentem teneris orbasse nepotibus Vrbem,
Quos frustrà insontes passim ferro impius hausit
Dulcia linquentes Vagitu lumina Vita.
Palluit, applicuitq; sinu perterrita mater
Infantem, atq; animum sceleris perstrinxit imago.
Quos ibi tum gentis fletus, qualiVe per Vrbem
Funestam credis matres errasse Vlulatu?
Sanguine diluta est tellus, caua tecta natarunt.
Non si fortè olim incautis pastoribus orta
Ingruerit subitò tempestas omnibus aruis,
Omnibus & siluis, tot fusi grandine dira
Spectentur per humū afflictis cum matribus agri,

Corpora quot paßim puerorum abiecta iacebant
Per fora, perq; vias vrbis: sic denique multis
Exitio fuit, vt vates prædixerat, infans.
Nunc etiam lugent orbæ sua pignora matres.
Non tamen ille diu scelere est lætatus ab illo:
Nam membra immundo correptus tabida morbo
Illaudatam animam paruo pòst tempore fudit.
Ipse iterum in somnis diuina voce coactus
Linquere monstriferi septenflua flumina Nili,
In patriam redeo, atque memor vestigia retro
Obseruata legens, pignus cum matre reduco.
Forsitan, & puero fuerit quæ cura requiris,
Quæ mens, an virtus illi maturior æuo,
Ecquid non puerile annis puerilibus ausus.
Si tibi nūc, quæcunque olim admiranda notaui,
Primæuo dum flore virens adolesceret ætas,
Enumerare vacet, me vox prius ipsa relinquat
Defessum, atque diem clauso nox condat Olympo.
Nam quoties dictis tener haud mortalibus ambos
Terruit? aut quoties sanctos expauimus ignes,
Flammarumq; globos, & terrificos fulgores,
Sæpe quibus visus puer est ardere nitentem
Cæsariem, cæli dum splendet luce corusca?
Nec referam quoties Genitorem audiuimus illum
Affari solum, arcanasq; expromere voces.
Alma parens tenues arguto pectine telas
Percurrens sæpe humana sub imagine cœtus
Cælituum tectum intrantes exterrita vidit
Blandiri puero, & pictis colludere plumis,

Au

Aut violis tegere, & nimbo vestire rosarum.
Nos tamen intereà custodes ille vereri
Summissus, caræ & mandata facessere matris,
Nostraq́, & implebat veri genitoris amorem,
Dum membris habilis vigor, & vis firma veniret.
Et iam bissenos crescens exegerat annos,
Necdum se populis signo detexerat vllo.
Tum primùm cœpit Iudæa per oppida vulgo
Illius apparere, palámque est prodita virtus.
Fortè dies aderat genti solennis, & vrbi
Huic magna sacer ante alias, quò regia mecum
Venerat & virgo, atque sequens sese aureus illis
Implicuit dextræ puer: & iam rite litatis
Ipse domum sacris magna cum matre redibam.
Iámq́ labore viæ fessis lux prima peracta,
Et piceam clauso nox cælo inuoluerat vmbram.
Defuit hic puer, & genitricem, méq́ fefellit.
Tum consanguineos frustra, & scitatus amicos
Terq́ quaterq́ viam repetens clamore repleui.
Flebat se incusans vnam pulcherrima mater
Flauentem fusa crinem per eburnea colla.
Ora decent lacrymæ, disiecti colla capilli,
Qualis virginea dum mollis amaracus vrna
Et pluuiam, & ventos pariter perpessa procaces
Demisit turbata comas, iterumq́ resurgens
Extulit os cælo, ac priscum meditatur honorem.
Dumq́ viam relego, inuitū comes ægra sequuta est.
Treis adeò incerti soles errauimus vrbe
Nequicquam, quarta est vix demum luce repertus.
Nanq́

Nanque mihi, & miseræ cùm spes sublata parenti
Cuncta foret penitus, in mentem venit utrique
Templa iterũ petere, atq; preces effundere ad aram.
Vix ingressus eram limen, cùm protinus ambo
Ecce sacerdotum in medio conspeximus illum
(Prima rudimenta, & virtutis signa futuræ)
Alta recensentem vatum monimenta, patrúmque
Primores ultro scitantem obscura, docentémque.
Illum omnes admirari haud vulgata canentem
Supra aciẽ, captúmq; hominis, mentémq; vigẽtem,
Humana non vi edoctum, non arte magistra,
Maturúmque animi nimiùm puerilibus annis.
Nec minus insigni cunctis spectantibus ore,
Gratus erat: neque enim poterant se explere tuendo
Flagrantésque Dei vultus, blandosq; serena
Luce oculos magis, aut propexum verticis aurum.
Et florem grati qui vix incœperat æui.
Nam quocunque caput circùm torsisset honestum,
Luce recens orta, vel sidere pulchrior aureo,
Læta serenato ridebant omnia mundo,
Et toto dulcem iactabat corpore amorem:
Inculti qualis nitet inter gramina campi,
Purpureus se cùm primùm folijs narcissus
Exeruit, ruptoq; caput detexit amictu:
Aut qualis nitidi species micat alma smaragdi,
Cùm tenui argento tenuíve includitur auro.
Prima mali fuit hinc nobis scintilla, puerq;
Ex illo formidata primoribus urbis
Virtute inuisus fuit, & corda aspera mouit,

Atque

Atq; hoc deinde ingens succensa est fomite flamma,
Inq; dies gliscens furor, atque insania creuit:
Omnia quæ porrò ipse videns, metuensq́; futuri
Orabam impauidum, ne vita prodigus hosti
Obijceret, ne se perdendum proderet vltrò.
Verùm luce priùs lateant in montibus arces,
Aut nocte in summis celetur turribus ignis,
Obruta quàm longum iaceat sine nomine virtus.
Non tamen ille odijs magis vssit pectora acerbis,
Quàm cùm ter denis iam vir voluentibus annis
Fontis aquam latices Bacchi conuertit in atros.
Fortè Canam mecum Galilea aduenerat vrbem,
Mater & ipsa aderat, veteri dum accitus amico
Obsequer, intactam genero qui iungere natam
Conuentu procerum magno de more parabat.
Iamq́; omnes circùm positis discūbere mensis,
Atque alacres epulari, & vina reposcere læti.
Necdum finis erat dapibus cùm murmur vbique
Exoritur, totasq́; auditur triste per ædes,
Lætitiæ causam exhaustis liquentia vina
Defecisse cadis, turbariq́; omnia visa.
Tum res alma parens tenues miserata puellæ
Innuit, & gnatum summissa voce precata est,
Ferret opem. Vidi hic iuuenem primùm ore moueri
Turbatum: caræ precibus tamen inde parentis
Annuit, & fesso rerum succurrit amico.
Sex, vt erant ibi tot numero, carchesia lymphis
Impleri iubet actutum, mensisq́; reponi.
Quæ simul aspexit propiùs Deus, omnibus ecce

Mut

Mutatus subitò nigrescere cernitur humor,
Vináq; pro pura mirantes hausimus vnda.
Audisti dux & genus & cunabula nati,
Primitiásque Dei, ne cætera deinde requiras,
Hanc omnem erexit factis florentibus oram.
Quæ si audire tamen tibi nunc fert corde voluptas,
Is longè memoret melior, (simul ore sedentem
Signat Ioannem) vidit nanque omnia præsens,
Errabunda ducis semper vestigia seruans,
Dum mi' i cura domi seruandæ virginis hæret.
Dixit: & hic facto defessus fine quieuit.
Immo ait: istius causas ab origine partus
Exequere, aut quæ relligio, si vera per oram
Percepi, Iudæa Deum non amplius vnum
Æternum colit, haud mortali semine cretum,
Indigetésque suis diuos altaribus arcet.
Inde tibi noti recolens ex ordine Diui
Cætera mira refer. nanq; hunc in corpore vires
Deficiunt, téque auxilio iubet ipse subire.
Pontius hæc, cuncti intenti simul ora tenebant.

M. HIERONYMI VIDAE CHRISTIADOS LIBER IIII.

Hic iuuenis, facie quo tum non gratior alter,
Puberibusq; annis erat ingrediente iuuenta,
Multà prius veniam præfatus, multa recusans
Verba diu premit, inde animo mortalia linquens

Paulatim, oblitusq; hominem penetralia diuûm
Mente subit cælum peragrans, fruiturq; beato
Cælituum aspectu, omnipotentiq; ætheris aura,
Admissus superam depasci lumine lucem,
Inq; Deo tota defixus mente moratur:
Qualis vbi alta petens terris aufertur ab imis
Alituum regina, vagas spatiata per auras
Dat plausum gyro, atq; in nubila conditur alis.
AEtherea iamq; illa plaga leuis instat, & aerem
Intendens aciem criniti lumina Solis
Suspicit, obtutuq; oculos fixa hæret acuto.
Illum adeò tacitum intereà mirantur, in vnum
Versi omnes velut exanimum, somnoq; grauatum,
Et crebri excutiunt, demum sibi redditus ipse
Cum gemitu ex imo sic fari pectore cœpit,
Principio Pater omnipotens rerum sator & fons,
Ingens, immensus, solus regnabat vbiq;:
Nondum sidereos mundi procuderat orbes:
Nondum mundus erat, necdum ibant tempora in orbem,
Nullaq; cæruleo radiabant lumina cælo.
Quicquid erat, Deus illud erat, quodcunq; vbicunq;
Complexus circùm, penitus sese omnis in ipso.
Filius huic tantùm, quem non effuderat vlla
Vel dea, vel sólito mortalis fœmina partu.
Ipse sed æterna Genitor conceperat illum
AEternum æternus (dictu mirabile) mente.
Haud olli terreni artus moribundaue membra,
Sed sine corpore erat, Patris alta vt mente supremi

x Conce

Conceptum, arcanoq; latēs in pectore VERBVM,
Quod nondum in volucres vox edita protulit auras,
Omnipotens verbum, finisq; & originis expers,
Quo mare, quo tellus, quo constat maximus æther.
Vtq; pater Deus, æquè etiam Deus vnica proles.
At geminos tu proinde Deos fuge credere porrò,
Numē idem simul ambobus, Deus vnus vterq; est.
Quinetiam, quo inter se ambo iunguntur, amorem
(Nanq; ab vtroq; venit conspirans mutuus ardor)
Omnipotens æquè numenq; Deumq; vocamus
Afflantem maria, ac terras, cæliq; profunda,
Afflatu quo cuncta vigent, quo cuncta mouentur,
Treisq; vnum esse Deum, ter numē dicimus vnum.
Quóve magis mirere, Deus quem cernimus ipsi
Factū hominē, atq; hominū mortali corpore cretum,
Non minùs ac priùs æthærea nunc regnat in aula
Cum Genitore, pari simul omnia numine torquens.
Nempe locis nullis, spatijs non clauditur vllis,
Omnibus inq; locis idem omni tempore præsens,
Suffugiens nostras acies, sensuq; remotus
Cuncta replet Deus, ac molem se fundit in omnem.
Lux humiles veluti perfundens lumine terras
Solis ab orbe venit, suppostaq; circuit arua:
Non tamen æthereo diuisa ab sole recedit
Illa vsquam, quamuis longinquas ambiat oras
Nec sine Sole suo est lux, nec sine luce sua Sol.
Quid verò impulerit tantos adijsse labores,
Atq; hæc ferre Deum, dum morti obnoxius errat,
Dicā equidem, & repetens altas ab origine causas

Expe

Expediam: Cælum, & cæli quos suspicis orbes
Vix opifex rerum extuderat, terrasq; iacenteis,
Cùm simul aligeros populos sanctosq; volucres
Ter ternas acies, celerem, & sine corpore gentem,
Qui cæli incolerent ipsos septemplicis orbes,
Condidit æterno Genitor succensus amore,
Vt sua qua fruitur solus natusq; per æuum,
Communis foret & multis concessa voluptas.
Continuò fuerat quos æquum dicere laudes
Auctoriq; Deoq; suo, ac persoluere grates,
Regnandi vesanus amor (quis ferret inultus?)
Haud partem exiguam inuasit, furijsq; subegit.
Vt cuperent summo sese præferre Parenti
Immemores, animis victi, cæciq; furore.
Non tulit omnipotens Sator, & meliora sequutos
Armauit contrà. nulla hinc mora, talia adortos
Indecores cælo sedes detrusit in imas,
Noctis vbi horrifera nigror, æternaq; tenebræ.
Primus nat⁹ homo hinc, terris quē maximus auctor,
Et liquidis latè dominum præfecerat vndis,
Quò mox pro superis excussis astra teneret,
Desertasq; domos ipse, & genus omne suorum,
Omnigenûmq; vni subiecit sæcla animantum,
Squamigerûm pecudes, & pennis picta volantum
Corpora, mōtiuagumq; simul genus omne ferarum,
Tantum floriferis dominum cùm imponeret aruis,
Arboris vnius fœtu illum parcere iußit.
At vetito captus mali infelicis amore
Coniugis hortatu, quam fraude illexerat anguis,

Immemor heu superi violauit fœdera Regis.
Vix auido arreptum pomum fœdauerat ore,
Cùm Pater omnipotens iam fulua è nube tonare
Desuper auditus, sæuasq; indicere pœnas
Iratus, quas ille olim, quas omnis ab illo
Progenies lueret lucis ventura sub auras.
Continuò ingenti cælo sunt addita claustra.
Impia tum primùm proles exorta repentè,
Et subitò tellus scelere est imbuta nefando.
Emersit fraus, emersit malesuada libido.
Hinc durus generi humano labor additus. hinc fons
Curarum, & tristis patefacta est ianua lethi,
Morbiq;, & dolor, atq; fames, & turpis egestas,
Cùm genus humanum curis sine degere posset,
Plurimaq; in terris viuendo vincere sæcla.
Ex illo sine more homines, sine lege per agros
Degebant: tantùm placabant sanguine fuso
Cælicolùm Regem, bonus vt gregibusq; sibiq;
Afforet, atq; satis vim cæli auerteret aruis,
Indociles, rerum ignari, ac rationis inanes.
Isq; fere status annorum bis millibus orbi
Constiterat, iam iamq; magis Pater optimus iras
Oblitus veteres paulùm mitescere cœpit.
Nondum homini tamen æthereũ patefecit Olympũ,
Sed genus humanum fingens, acuensq; monendo
Et leges dedit, & ritus moremq; sacrorum,
Instituitq; genus nostrum discriminis ergô,
Lege iubens testa circum præcidere acuta
Exiguam, vnde viri sumus, omni in corpore, partẽ.

Tum

Tum vatum impleuit venientis pectora veri,
Qui populis lætum canerent demum affore tempus,
Ianua aperta pijs cæli cum sponte pateret.
Casti autem intereà manes animæq; piorum
Sub terram vmbrosa expectabant valle sedentes.
Iam vatum memores numerabāt tempus, & ambas
Tendebant paribus votis ad sidera palmas,
Cælestum Regem orantes, desisteret ira,
Parceret vnius genus omne extinguere noxa.
Parce Pater parce omnipotens, vox omnibus vna,
Nos promisso olim, longè disiungimur vnde
Luminis expertes blandi, memor assere cælo.
Haud nos eduxti nequicquam lucis ad auras.
Siqua tamen veteris superant vestigia culpæ,
Dilue rore tuo facilis, fontesq; reclude
Diuinos. ò quis Superûm cælestia tandem
Flumina, cælestes nobis bonus irriget imbres!
Vos ò flammiferi labentes ætheris orbes
Irrorate: vagæ nobis succurrite nubes:
Optatam pluuiam, felicem effundite rorem.
Tuq; adeò, quem iam expectant tot sæcula votis
Promissum, inferni cui nutant mœnia mundi,
Summi vera Patris soboles, cæli aureus imber,
Rumpe moras age, sidereos rumpe ocyus orbes,
Ætheris huc fractis vi multa allabere portis.
Talibus orabant omnes, eademq; canebant,
Quos Pater omnipotens superûm sarcire ruinas
Iam meditans, cæli penitus miseratus ab arce est.
Cùm verò æthereas nutu recludere portas

Posset, & alitibus potius de ciuibus vnum
Mittere, qui regnis manes diuelleret atris,
In Superûm referens sedes, stellantia templa,
Ipse sui vt memores magis, ac maioribus arctos
Vinciret meritis homines, qui cuncta piaret,
Factũ hominẽ è summo Natũ ipsum misit Olympo.
Ne tamen ignaris mortalibus appareret,
Ignotusq́ue nouusq́ue suis ne've ilicet illum
Finibus arcerent pulsum, quòd se ipse Dei met
Progeniem leges contra memoraret auitas,
Præmisit vatem egregium his in finibus ortum
Nomine Ioannem, Helisabe quem numine plenum
Zacchariæ extrema parit infæcunda senecta,
Gentibus ipse Deum vt Natum prænuntius ore
Proderet, atque suas spes fesso ostenderet orbi.
Ille hominum primis vitans vestigia ab annis,
Horridus in solis agitauit montibus æuum,
Montibus, & siluis, & littoribus desertis.
Spelunca tectum horrentes, victum aspera nullo
Arbuta terra dabat cultu, aut sudantia truncis
Mella cauis, liquidi præbebant pocula fontes.
Vestis erat pellis hirsutis horrida villis.
Tantum lætificas gaudebat spargere voces
Afflatus nemora, & montes, ac littora ponti.
Tanta sed haud latuit virtus tamen ilicet ingens
Fama viri circunfusas penetrauit ad vrbes.
Iamq́ue illum cælo demissum credere gentes,
Qui (tot veridicæ vt quondam cecinere Sibyllæ)
Humanum genus horrificis educeret vmbris.

Et iam concursu populi illum accedere magno
Scitatum, quis nam, Vnde domo, quid ferret, an ipse
Afforet è cælo, miseris qui gentibus olim
Auxilio Venturus, eum bis terq́ rogabant.
Ille sed Vmbrosis repetebat talia ab antris:
Gaudete ò tenebris iandudum ac nubibus atris
Obductæ gentes: lux ecce optata propinquat.
Ne Verò, ne me ignari Vos credite lucem
Promissã, (immeritos neq́ enim furamur honores)
Tantùm ego, ceu Solem nascentem lucifer ante
Exoritur, nitidoq́ diem denuntiat astro,
Prædico actutùm Vobis iubar affore Vestrum.
Iam iam aderit Deus: ecce Deus mortalibus oris
Ceu mortalis adest: Venienti occurrite læti:
Fronde Vias festa decorate, tapetibus agros,
Et numen digno Venerati agnoscite honore:
Discite iustitiam intereà, atq́ assuescite recto,
Et duce me scelus infectum lauite amne liquenti.
Ipse autem æthereа diuinitus eluet aura
Omne malum, ac Veteris penitus contagia culpæ,
Sæclaq́ mutato succedent aurea mundo.
Talibus auditis, cunctis ex Vrbibus ibant
Finitimi, quà Iordanes fluit agmine dulci,
Orantes pacem, atq́ Vltrò commissa fatentes,
Quos Vates puro nudos lustrabat in amne,
Ritè cauis capiti inuergens sacra flumina palmis.
Ecce autem Deus ipse etiam, ceu cætera turba,
Lustrandi sese studio clam tendit ad amnem,
Nil Vt inexpertum moribundo in corpore linquat,

Mortali quod fas homini, & subijsse necesse est,
Ne pigeat seros imitari facta nepotes.
Abstinuit primùm Vates, tactusq; refugit,
Agnoscensq; Deum palmas vtrasq; tetendit
Supplex, accuruusq; vadis mirantibus ipsis.
Paruit inde tamen iussus, diuinaq; membra
Horrescensq; tremensq; liquenti perluit amne.
Protinus aurifluo Iordanis gurgite fulsit,
Et Superûm vasto intonuit domus alta fragore.
Insuper & cæli claro delapsa columba est
Vertice per purum candenti argentea pluma
Terga sed auratis circùm & rutilantibus alis.
Iamq; viam latè signans super astitit ambos,
Cælestiq; aura pendens afflauit vtrunq;.
Vox simul & magni rubra Genitoris ab æthra
Audita est, Nati dulcem testantis amorem.
Intereà aligeri iuuenes, gens incola cæli,
Missi aderant liquido pendentes aëre circùm,
Carbaseosq; sinus, mantiliaq; alba ferebant,
Iussa ministeria, vt Nati membra humida herilis,
Rorantemq; sacro siccarent flumine crinem.
His actis Deus euasit, fluuiumq; reliquit,
Quem vates longo ripam ordine circunfusis
Ostendit, taliq; abeuntem est voce sequutus,
En, ego quem terris toties iamiam affore quondam
Pollicitus. Deus, ecce Deus, qui crimina nostrà,
Turicremas agnus veluti mactatus ad aras,
Morte luet, superoq; volens cadat hostia Patri.
Hunc optate ducem, hunc vobis optate magistrum.

Ex

Ex illo vates nemora & loca sola relinquens
Vrbes per medias ibat, populisq; canebat
Aduenisse Deum, promissum numen adesse.
Credita res paucis, donec se ostendere coram
Supra hominem cœpit Deus ipse ingentibus orsis.
Nam primùm numero ex omni delegit amicos
Bis senos, queis cum curas durumq; laborem
Partiri, & casus posset deducere in omnes.
Antè quidem solus terdenos egerat annos.
Sed ne fortè putes multis è millibus illi
Nos ideo placuisse, dolis quòd & arte magistra
Spectatos longè ante alios deprenderit omnes,
Aut opibus, claraq; domus à stirpe potentes,
Omnibus obscurum genus, & sine luce penates,
Atq; humilis fortuna, nec astu prædita vita.
Quinq; adeò sumus exigua Bessaide creti:
Nobis ars erat insidias piscosa secundum
Flumina squamigerùm generi hamo tēdere adūco,
Atq; innare salum, fœcundáq; piscibus arua.
Tunc etiam cùm nos ad se primùm ille vocauit,
Humida littorea sarcibam retia arena.
Ipse Iacobus adhuc salientes littore pisces
Seruabat frater: nec tum procul inde secabant
Andreas, paruaq; Petrus vada salsa carina,
Iisdem acti fratres studijs, eadem æquora circum.
Tum mihi coniunctus patriaq; domoq; Philippus
Accitus, pisces & retia torta reliquit.
Addunt se socios Thomas, Thadæus, eademq;
Arte Simon, Cana quem genuit Galileia, amicum

Fluminibus patrijs, mutisq; natantibus hostem.
Nanq; Iacobus ei cognato sanguine fretus
Alphæo natus patre se subiunxerat ante.
Vt genus indecóres penè omnes, sic quoq; nostra
Nomina dura vides, insueta atq; aspera dictu.
Haud facies sola est impexis horrida barbis.
Tres alij neq; enim longè meliore sequuti
Fortuna addiderant sese, Matthæus, & æuo
Iam grauis, effætisq; Petri iam proximus annis
Bartholomæus, & ipse mali fabricator Iudas.
Vix memorem quæcunq; oculis, quæcunq; sub illo
Auribus his hausi repetens miracula rerum
Tempore tam paruo (vix terna hiberna peracta,
Ex quo illi socij dignatus nomine iungor)
Nec me tam vastum nunc currere oporteat æquor.
Pauca sed è multis, & ea haud mihi mollia fatu,
Ingrediar tamen, & breuiter tua iussa capessens
Expediam. mitto modò quæ monimenta reliquit
Finitimas (tibi nota reor) non parua per vrbes:
Nanq; omnem egregijs factis insignijt oram.
Quis nescit nuper reuocatum ad munera vitæ
Palmiferæ regem Bethanes, lumine quarto
Quem vidit Sol extinctum, impositumq; sepulcro?
Vt sileã innumeros quibus ipse in limine lethi
Affuit, & dura de mortis fauce reuulsit.
Nam prius enumerẽ quot ponto aquilonibus vndæ
Spumescant vasto, quot inundent littora arenis,
Quàm quot opem morbos varios in corpore passis
Supplicibus tulit, & validos lætosq; remisit.

Multi capti oculis, clausis multi auribus orti,
Ne possent ullas audire aut edere voces.
Claudi alij imparibus vix agrè passibus ibant.
His rigor ex longo immotos sopiuerat artus:
Illis semeso serpentia corpore hiabant
Hulcera, & illuuies membris immunda fluebat.
Nec deerant tumefacta quibus præcordia, & aluus
Insyncera sitim miseris adduxerat acrem,
Nulla artes poterant, quā nulla extinguere aqua vis.
Tum quibus assiduis concussa tremoribus usq;
Nutabant, tremuloq; labebant corpore membra.
Ignea quos febris, aut corrupti corporis humor,
Et quos præterea vis cæci incognita morbi
Versabat lecto totos distracta per artus,
Quósve animis captos agitās malè habebat Erinnys,
Omnibus aspectu solo tactúve ferebat
Diuus opem. subitò linquebant corpora morbi,
Et stratis ipsi surgebant protinus ægri.
Atq; ideo quacunq; viam obseruatus agebat,
Semper eum opperiens turba ingens strata iacebat
Per fora, perq; vias, sanctiq; ad limina templi.
Nondū aliquem tamē infernis reuocauerat umbris
Morte obita, cùm Sidonia remearet ab ora,
Et Naim ingressus socijs comitantibus altam est.
Ecce autem ingentem longo procedere pompam
Ordine flammarum aspicimus, mœstamq; per urbē
Audimus luctum, causam tum deniq; luctus
Cernimus, egregij iuuenis miserabile corpus
Impositum molli pheretro, quem mersit acerba

Morte dies, dulci cùm vix pubesceret aeuo,
Atq; omnem vultu florenti dempsit honorem:
Qualis, quem pede pressit agro bos signa relinquens,
Paulatim lassa languet ceruice hyacinthus,
Aut rosa, quam molli decerpens pollice virgo
Vepribus in densis lapsam sub Sole reliquit.
Vrbe furens tota genitrix miseranda, capillos
Scissa, genasq; ambas manibus foedata cruentis
Ibat: eam circum pariter per densa viarum
Pulsabant saeuis matres plangoribus astra.
Ipsi orbam ciues miserantur, et vnica proles
Ille relictus erat vidui solatia lecti.
Vt Deus exanimis iuuenili in corpore vidit
Pallorem, & molli pictas lanugine malas,
Parcere lamentis iubet, & considere pompam,
Admotusq; manu mulcens immobile corpus.
Rursum animam gelidis membris innexuit. ecce
Erigitur puer, & (cunctis mirabile visum)
Prosiluit raptim in medios, vacuumq; pheretrum
Liquit, & amplexans solatus voce parentem est.
Nec verò multis etiam pòst mensibus idem
Egregiam amissa donauit luce puellam,
Cui calor & toto de pectore fugerat omnis
Halitus aëreas penitus dilapsus in auras.
Virginis ipse pater factum testatur larus
Largus opum, pollens lingua & popularibus auris.
Quid repetam, purum vino cùm è fonte liquorem
In vinum conuertit, opes miseratus amici?
Fortè olim aërei spectans de vertice montis,
Cùm

Cùm Sol emenso depreßior iret Olympo,
Ingentem vidit numerum affluxisse sequentum
Matres atq; viros, quos per deserta locorum
Duxerat oblitosq́; sui, oblitosq́; suorum.
Substitit hic miseratus: eos iam tertia nanq;
Muneris expertes Cereris lux acta videbat.
Hîc neq; erant fruges, vicina nec oppida, possent
Vnde dapes petere argento, victumq́; parare.
Arboreos necdum fœtus decoxerat æstas.
Vix tandem inuentus puer est ex agmine tanto,
Quinq;, via auxilium, qui secum liba ferebat,
Atq; duos, dederat quos huc pia mater eunti
Inclusos myrto & bene olenti gramine pisces.
Sed quid enim hæc adeò tam multis millibus autē?
Et iam diffisi socij mussare querentes,
Quos bonus affatu Christus solatus amico
In cœtum vocat, ac paucis ita deinde profatur,
Nemo hodie numero è tanto non lætus abibit.
Hinc supplex tali Genitorem voce precatur,
Summe Parens, ope cuius alit terra omnia, quiq;
Et Sole & liquidis fœcundas imbribus agros,
Si quondam Isacidum generi per inhospita eunti
Diuinas epulas cælo es largitus ab alto,
Semine si nullo constant quæcunq; creasti,
Et nihil omnino fuerant cælum, æquora, tellus,
Adsis, obscœnamq́; famem tot millibus arce.
Hæc tantùm: dehinc gramineo discumbere campo
Imperat effusos cœtus, dapibusq́; parari.
Inde in frusta secat læto cerealia vultu

Liba

Liba minutatim, & populos partitur in omneis.
(Millia quinq; hominū campis saturanda sedebāt)
Ecce (incredibile auditu, mirabile visu)
Omnibus in manibus visa succrescere partes
Exigua, dapibusq; epulati largius omnes.
Et frugum pariter laticumq; expleta cupido est.
Quin & relliquias mensis superantia frusta
Vix caua congestas bis sex cepere canistra.
Accipe nunc aliud quod paucis antè diebus
Vidimus: Arbor erat folijs densissima in agro
Deserto, vnde olim pendentia poma viator
Carpebat sitiens: Heros qui hac fortè tenebat
Puluerulentus iter, quæsiuit in arbore fœtus
Incassum, infœcunda, comas nā & brachia tantùm
Luxurians latè circùm tendebat opaca.
Non tulit, ac verbis sterilem execratus acerbis.
Continuò (manifesta audis) exaruit arbos,
Et folia aëreas volitarunt lapsa per auras.
Nec minus est olli imperij maris æquora in alta,
Vni omnes vndæ assurgunt, fluctusq; quiescunt
Vnius edicto. Vidi, vidi ipse furentes
Illius hibernos ad vocem ponere Coros,
Vimq; omnem, motas quæ flabris asperat vndas.
Nondum luna suum ter cursum plena peregit,
Cùm subitò in lento deprensis marmore nobis
Nocte ferè media, dum retia ducimus, orta est
Turbida tempestas, & pontus inhorruit ater
Fluctibus elatis, & concursantibus vndis,
Inflictamq; ratem iam iam salis hauserat æstus.

Nos trepidare metu lethi discrimine paruo,
Cùm procul ecce ducem, quem nuper liquimus alto
Littore spectantem fluctus scopulo illidentes,
Ferre iter aspicimus medias impunè per vndas
Suspensum tumidoq; pedes haud tingere ponto.
Horruimus visu subito, nec credere quibam
Me veram faciem, haud simulatum cernere corpus
Tam celeres egisse vias sine remige in vndis,
Ni sese verbis dum nos hortatur amicis,
Vltrò ostendisset: Quónam fiducia vobis
Iam nunc pulsa mei cessit? timor omnis abesto:
Indubitare meis tandem dediscite dictis.
Sic ait atq; ratem: quæ iam superantibus vndis
Cesserat, insiliens solo tumida æquora nutu
Placauit, positóq; minacia murmura pontus.
Sic terra in tutum positis adnauimus vndis
Incolumes, celeriq; volauimus æquora cursu.
Nec mora, vix siccum attigerat tellure potitus:
Ecce aliud dictu magis ac mirabile visu.
Nanq; magistratus aderant in littore missi
AEra reposcentes, quæ pendere lege quotannis
Regibus antiqua pro sese quisq; iubemur.
Accipit hos placidus, quos dum sermone moratur,
Petrum ad se vocat, & fidam summissus ad aurem
Vade, ait, & iacto quem primum traxeris hamo
Aequoribus, piscem cultro scrutabere acuto
Intus erit, regi quod iussi pendimus ambo.
Iussa facit senior: trahit hamo ad littora prædam,
Argentumq; viris dat piscis in ore repertum.

Horresco, quoties stimulis immitibus actus
Quidam animo subit, idem illo quem tempore vidi,
Dum legerem expositos hoc ipso in littore pisces,
Obsessum furijs, atque ore immane furentem
Hunc olim (ut perhibent) vetito genuere parentes
Concubitu iuncti, atque incencestis hymenæis.
Quippe torum ascendere, Dei cùm sacra vetarent,
Cùm scenis gens indulget nostra omnis opacis.
Sed non gavisi scelere illi tempore longo:
Nam subitò amplexus interque & gaudia adulter
Sacrilegam tenues animam exhalauit in auras
Infelix sceleríque eadem nox prima nefando,
Et pariter suprema fuit discrimine paruo.
Illam autem æthereis flammis diuinitus ignis
Corripuit, cùm iam maturi pondera partus
Vrgerent: eademque duos letho hora dedisset,
Infans ni foret execta genitricis ab aluo
Exemptus, paruum patris eduxere sorores.
Ipse etiam mox immeritus scelerata parentum
Facta luit, iucunda oculorum luce negata,
Obstructæque aures penitus mansere, nec illi
Aut vllas haurire datum est aut reddere voces.
Quinetiam simulatque adoleuit, protinus ægrum
Arripuit furor, inferna vis effera gentis.
Centum illum furiæ, centum illum (flebile) pestes
Vinctum exercebant, Erebi legio acta latebris,
Horrendasque hominis singultus ore cientes
Edebant voces, ac terrificos mugitus,
Illum omnes exclamantem, atque insueta frementem

Horre

Horrebant, trepidiq́ fuga se in tecta ferebant,
Siquando nobis, ruptisq́ immane catenis
Incautis liber custodibus euasisset.
Iámque ille oblitus fratres, iámque ille sorores
Amplius haud gressum patris intra tecta ferebat,
Verùm more feræ siluis degebat & antris,
Sicubi saxa caua, aut æuo consumpta sepulcra,
Ater, egens, corpusq́ abiecto nudus amictu.
Talem igitur nodo manibus post terga reuinctis
Christi ad conspectum, si fors misereśceret ipse,
Vi multa consanguinei cariq́ trahebant.
Illi autem obniti contrà, dum rumpere nodos
Tendit, & horrendos clamores tollere ad astra:
Qualis vbi longis pugnator taurus ad aras
Funibus arripitur, sæuo fremit ore per vrbem,
Et spumas agit, & cornu ferit aëra adunco.
Instant hinc famuli atque illinc, & verbera crebri
Ingeminant, quaßántque sudes per terga, per armos.
Diffugiunt vulgus trepidum, in tutúmque recepti
Porticibus gaudent longè spectare periclum.
Talis erat iuuenis species immane furentis,
Quem tandem ante Deum fesi statuère, rogantes
Ferret opem, saltem furijs tam tristibus illum
Solueret, excuteretque animo crudelia monstra.
Hic Heros palmas in cælum sustulit ambas,
Concipiénsque preces Genitorem in vota vocauit.
Ecce autem magnū, subitū, & mirabile monstrum,
Audiri exululare lupi, latrare canes ceu,
Tam diras iactat voces lymphatus ab ore.

Non tam immane sonet sese frangentibus vndis
Rupibus ex altis ingens decursus aquarum,
Rumpantur claustra alta lacus si fortè Velini,
Totáque præcipitent valles stagna ardua in imas,
Omnis ea vt regio fiat mare, & oppida circùm
Mersa natent, metuátq; sacris Roma obruta tēplis.
Nunc cæli crepitus imitantur, cùm superûm Rex
Fulminat, & tonitru quatit ætheris aurea templa.
Nunc ferri sonitum, aut ruptarum mole catenarum
Ingenti horrificum stridorem, aut murmura ponti.
Circùm omnis tellus, circùm cælum omne remugit.
Instat vi multa Deus, increpitátque morantes.
Iámque illi trepidare intus, pacémque precari,
Quid nunc vera Dei atque indubitata Propago
Concesso in pœnas nos ò de corpore trudis?
Egressis saltem pecora hæc inuadere detur:
(Setigeri tum fortè sues ea littora propter
Pascebant) nos ne horrifero sic merge barathro,
Néve iube terræ inferioris operta subire.
Annuit. extemplò videas procul ecce nigrantem
Mollibus haud stimulis furiarum errare subactum
In diuersa gregem nunc huc, nunc protinus illuc.
Nec mora nec requies: intus vis effera sæuit,
Donec præcipites sese alta in stagna dedere,
Et cunctis pariter vita est erepta sub vnda.
At iuuenis fessos subitò collabitur artus
Exemptus tandem nodosis brachia vinclis.
Mordicus ora solo impressus cunctatur, adhúcque
Singultans, pectúsque lacessit anhelitus ingens,
Expir

Expiránsque animam pulmonibus æger agebat.
Quem iuxta Genitore Deo satus astitit, oráque
Attingens dextra, atque oculos aurésque reclusit,
Iámque videt, loquitúrque, & corda oblita residūt.
It vulgi clamor super aurea sidera ouantis,
Supremíq; patris sobolémque Deúmque fatentur.
Sed quid non ipse eualeat? quin nos quoq; missos
Ægris iussit opem ferre, auxilióque leuare
Præsenti: mortis multos de faucibus atris
Non opibus hominum, nulla reuocauimus arte.
Verùm implorato ter tantùm voce magistri
Nomine surgebant stratis, ibántque refecti.
Omni autem ex numero sese vix obtulit vnus,
Quem stimulis actum sæuis, cacóque furore
Incassum victi tentauimus, acrior illum
Vsqueadeo magis atque magis vis intus agebat.
Cui cùm ferret opem Diuus mox optimus ipse
Iratus, quòd parua sui fiducia nobis,
Corporibus tales facile, inquit, pellere pestes.
Parcendum dapibus tamen, è cælóque petendum.
Nec solis verò hæc vobis concessa facultas:
Sed nomen quicunque meum vulgauerit, omnia
Fas audere, mei modò ne fiducia desit.
Ille etiam iussos immani corpore montes
Transferet, & verso sistet vaga flumina cursu.
Ite animis igitur certi, confidite, neve
Instabili titubate fide: iacite aurea veri
Semina vbique, orbem vestra perfundite luce
Obductum tenebris, atque alta nocte sepultum.

Vos hominum lux, vos squalentis lumina mundi.
Sic fatus nobis alios subiunxit, vt essent
Consortes tantorum operum, socijq; laborum,
Et septem elegit decies, tamen ipse dolebat
Exiguum numerum, neque tot satis esse ferebat
Tanto operi: ac veluti qui centum vertit aratris
Tellurem, & campos rastris exercet auitos,
Cùm matura seges iam flauis canet aristis,
Si desint qui messem operis (quæ plurima) condant,
Fluctuet, atque viros alijs conducat ab oris.
Quid memorem, vt mentes hominũ curasq; latẽteis,
Quod fieri certo nequeat sine numine, cernat?
Quippe animis dubios, taciti dum vana timemus,
Castigans dictis nos sæpe erexit acerbis
Mirantes: quoties ipsis etiam hostibus olim
Prædixit, quos mente dolos, quæ furta pararent
Incassum, dum cæci odijs agitantur iniquis?
Fœmina nec latuit bis senos passa per annos
Sanguinis immundi manans de corpore flumen.
Illa quidem ardentis morbi confecta dolore
Ponè sequebatur, siquà illum tangere posset,
Hanc vnam rata nempe viam restare salutis.
Ergo dum pubes fluit vndiq;, & agmina inundant,
Illa subit, leniterq; extremum apprendit amictum.
Ad tactum veter effugit de corpore morbus.
Iamq; abitum latuisse putans clàm mente parabat.
Præsensit Deus, & pauidam seseq; tegentem
Affatus placidè monitis impleuit amicis.
Vidi oculos ante ipse meos mortalia nuper

Aut

Aut membra exutum, aut perfusum luce supernè
Non infra Solis speciem dare corpore lumen.
His multisq́; alijs, ego quæ creberrima vidi,
Per terras patuit signis Deus. haud tamē vnquam
Sese hominem oblitus moribundo corpore cretum
Multa tulit quoque, mortales quæ ferre necesse est.
Atq; id sponte quidem, nobis imitanda relinquens.
Sæpe hilares mensas ideo & conuiuia adiuit,
Nec cœtus bonus est hominum aspernatus in vrbe.
Sæpe etiam insidias inimicæ gentis & iras
Suffugiens vt homo, malè tuti limina templi
Exijt, obiecitq́; cauam pro corpore nubem,
Nec se in conspectum latebris dedit abditus atris,
Dū fremerent hostes nequicquam, & saxa pararēt.
Atq; equidem memini (vix actus voluitur annus)
Nuper Ioannis comperta cæde recenti,
Quem rex vxorem præreptam reddere fratri
Admonitus tenebris ferro obtruncarat in atris.
Vrbibus his abijt cautus, populisq́; relictis
Digressus: siluæ elapsum accepere profundæ.
Nec rex ipse Erebi generis fœdißimus hostis
Humani, nostras qui recto auertere mentes
Nititur, abstinuit Dominóve, Deóve pepercit.
Fortè etenim comitū strepitus turbamq́; sequentum
Dum fugeret quondam, se clam subduxerat Heros
Cœtibus, & solus lucis degebat in altis.
Iamq́; quaterdenos frugum sine munere Soles
Condiderat, totidemq́; famem per inhospita noctes
Pertulerat, cùm iam tempus ratus ecce nocendi

Affuit extemplò multis cum millibus hostis
Noctipotens, quos tartareis ducebat ab antris,
Flammea semiferi capitis gestamina quassans.
Iámque sui frustrà spe præmia percipit astus.
Ergo illi meditans nequicquam illudere, dictis
Talibus aggreditur, Superi tu certa Parentis
Progenies, Verúsque Deus, tibique omnia parent:
Quid durare fame confecto corpore pergis?
Nec subitò in totidem conuertere adorea liba
Hæc circùm quæ saxa vides ingentia, tentas?
Non Diuum latuere doli, atque hæc reddidit ore,
Sunt mihi mortali tostæ pro munere frugis
Sermones Patris auditi, diuináque verba:
Quæ quoties animo repeto memor, effugit omnis
Pulsa fames subitò, mensæq; oblita cupido.
Dixerat. his tamen auditis haud destitit hostis
Congressu victus primo, pugnamq; retentat,
Atq; alijs super atq; alijs assultibus instat,
Térque nouos semper cœpti irritus integrat astus.
Nequicquam nunc regnorum, nunc laudis inani
Immotum [illegible]
Vt cè [illegible]
[illegible]

Cùm verò vicisse ratus iam gaudia dira
Conciperet frustrà ille inhians, se protinus Heros
Ipse Deum claro confessus numine coràm
Irrita furta, dolósque exibat semper apertos:
Qualis, vbi excußis per plana euasit habenis,
Liber equus ludit famulos hinc inde sequentes,
Sæpe hic dißimulans, atque illic improbus hæret,
Pérque viam oblatas interdum pascitur herbas:
Ast vbi iam videt instantes, elabitur, altéque
Emicat, & spatia transmittit maxima campi.
Quam speciē expertus nequicquā vbi deniq; sensit
Hostis atrox, abijt victúsq;, Deúmque reliquit,
Cui volucres centum pluma pernice ministri
Astabant missu Genitoris, opémque ferebant.
Si verò causas odiorum ac semina quæris
Tantorum, cur gens omnis opponitur vni,
Hæc norint ipsi. certè non talia geßit,
Quæ capto affingunt odijs crudelibus acti.
Non homines inter magis est affabilis alter,
Non pietate prior, venia complectitur omnes.
Hostis, ciuis ei nullo discrimine habentur.
[illegible]lti impunè ideo digna atque indigna ferenti
[illegible] omnes nutu cùm perdere posset.
[illegible]n cùm Sidoniam sub nocte per oram
[illegible]os parua exclusit ab vrbe
[illegible]st dignata Heroa precantem,
[illegible]mum orare parentem
[illegible]atum ferret multum,
[illegible]m cælesti protinus igni

Corriperet, subitis & inhospita mœnia flammis.
Non tulit, ac verbis nos indignatus amaris
Increpuit, potiúsque vrbem miseratus iniquam est.
Sæpe etiã auctores scelerum haud ignarus adibat,
Infamésque domos, sceleratáque tecta subibat,
Quò moniti exuerent fastus morésque sinistros,
Et secum inciperent paulatim assuescere recto.
Sic Matthæus, agri diues, sic noster & ipse est
Zacchæus, centúmque alij ad meliora vocati.
Nec tamen, id faceret dum creber, defuit olim
Qui falli ratus incautum, pro crimine magno
Obijceret quòd non fugeret contagia dira.
Ipse sed, vt medicam veluti languentibus ægris
Ferret opem, totam quærebat sponte per vrbem,
Sicubi mortales mentem caligine pressi,
Quos nocte eriperet bonus, ad lucémque vocaret
In tenebris cæco miseratus pectore volui.
Id Superis, Superûm id magno cordi esse Parenti,
Séque ideo claro missum memorabat Olympo.
Insuper & cælum compleret quanta docebat
Lætitia, ætherei quanto gens incola regni
Acciperet plausu, siquis mortalibus oris
Inuentor scelerum, atque pij contemptor, & æqui
Iustitiam colere inciperet, rectúmque tueri.
Sicut ouem incautus pastor qui è millibus vnam
Amisit sera oblitam decedere nocti
Cum gregibus, vbi per rupes pérque aspera tristis
Quæsiuit dumeta diu loca cuncta volutis
Conuisens oculis, demum si fortè reposta

Pasc

Pascentem valle inuenit, subitò arripit illam,
Sublatámque humero stabulis latißimus infert.
Intranti dulces occurrunt oscula nati
Præripere, & reducē plausu domus excipit omnis.
Icciroo neque colloquijs muliebribus Heros
Abstinuit, nupérque legens Samaritidos ora
Rura sub antiquis Sicharææ mœnibus vrbis,
Viderat ad fontem venientem vt fortè puellam,
Implorauit aquam supplex, putealiaque hausit
Munera, qui pelago, qui fluminibúsque sonoris
Imperat, & vastum largis rigat imbribus orbem.
Cuius ad imperium populis sitientibus olim
Deliquit rupes, atque vndis plurima fluxit,
Secreti nos intereà mirarier omnes:
Ipse sed admonitam, atque vltrò commissa fatentem
In lucem è tenebris altáque è nocte vocabat.
Sæpe illi pueros, auo & florente puellas
Flore comam pressos, & molli fronde reuinctos
Summisere piæ, metuunt dum cuncta parentes,
Quò teneris animis pulchra virtutis amorem
Insereret, stimulisq; rudes impleret honestis.
Impubem turbam affatus placido ore monebat,
Lustrabátque manu, ne carmina dira nocerent,
Neve vlla infernis premeret vis edita ab oris.
Quinetiam elatos animo super omnia acerbis
Vrgebat dictis, rebúsque exempla reliquit.
Mecum olim socij, absentem dum quærimus illum,
Tendebant, feßiq; via consedimus omnes
Spelunca ante fores, densis quam plurima opacat

Frondibus, & flexu ramorum protegit Vlmus.
Multùm hic inter nos quærentes vana moramur,
Quis nostrûm foret è numero præstantior omni,
Dilectúsve ipsi magis, acceptúsve magistro.
(Mira loquar) nos vt primùm ipse in limine vidit,
Hæsit acerbà tuens, iterúmque iterúmque rogauit,
Quis sermo foret, aut quænam certamina nobis.
Nos contrà taciti nihil hiscere, dum piget omnes
Verborum memores, fuerant quæ plurima vana.
Tum subitò ostendens puerum, cui mollibus annis
Laudis adhuc erat & tumidi mens nescia flatus.
Nulli fas, inquit, Superûm aspirare beatis
Conciliis, si non fastus dediscat inanes,
Et penitus famæ exuerit contemptor amorem,
Ceu puer hic nullam suspirat pectore laudem.
Non aliter cælum pateat. prius æquore salso
Esse queant nubes, aut pisces viuere in aruis,
Arboris aut stirpes frondescere in ætheris oris.
Horret adhuc animus, mihi cùm fratríq; poposcit
Illum præcipuos frustrà pia mater honores,
Scilicet æthereæ superi Genitoris vt aulæ
Cælicolûm in medio celsa cùm sede sederet
Subnixus, propior nostrûm resideret vterque
Dextrâ alter iuxta amplexus, læuæ alter inhærent.
Extemplò grauis ille, obtutúque asper acerbo,
Non matrem (quid enim mater pietate merebat?)
Sed nos qui vano ignaram summisimus astu,
Corripuit meritos verbis haud mollibus vrgens:
Vsque Deum premere elatos, longéq; superbos

Auer

Auerti, quos fama agitat laudúmque cupido.
Ipse ideo haud impar Genitori cùm sit, & illa
Quæ pater, æquè eadem possit, tamen ora canentum
Sæpe sibi laudes Genitorem vertit in ipsum,
Nil se audere hominem supra confessus, ab alto
Ni Pater omnipotens vires aspiret Olympo.
Iccirco grauibus morbis quencunque leuasset,
Plerunque edixit ne factum proderet vsquam.
Quóve suas tegeret vires, cùm tabida posset
Hulcera corporibus solo depellere nutu,
AEgros sæpe tamen medicas legabat ad vndas,
Vt vitium exuerent omne auxiliaris aquæ vi.
Quid referam, quot eũ populi, quot mœnibus vrbes
Optauere sibi, & voluere imponere regem
Mittentes trabeam, sceptrumq́, sacrámque tiaram?
Ipsi etiam comites hortatu instare frequentes,
Armatus Syriæ regnandam inuaderet oram,
Mox fore continuò vt sua sub iuga mitteret armis
Quodcunque Oceanus terrarum anfractibus ambit,
Immensúmq́; nouis frænaret legibus orbem.
Cùm verò hortantes vrgerent, protinus ipse
Occuluit sese, montésque aufugit in altos.
Immanes tamen inuidia & crudelibus isti
Insurgunt odijs, pœnasq́; vno ore reposcunt,
Vniúsque petunt caput omnes scis quibus illum
Huc furijs traxere, quibus clamoribus omnem
Implerunt trepidi captam velut hostibus vrbem.
Ipse Patris mandata obiens tulit omnia certus
Digna, indigna pati: nam se quærentibus vltrò

Obtul

Horreſco, quoties ſtimulis immitibus actus
Quidam animo ſubit, idem illo quem tempore vidi,
Dum legerem expoſitos hoc ipſo in littore piſces,
Obſeſſum furijs, atque ore immane furentem
Hunc olim (vt perhibent) vetito genuere parentes
Concubitu iuncti, atque inceneſſis hymenæis.
Quippe torum aſcendere, Dei cùm ſacra vetarent,
Cùm ſcenis gens indulget noſtra omnis opacis.
Sed non gauiſi ſcelere illi tempore longo:
Nam ſubitò amplexus interque & gaudia adulter
Sacrilegam tenues animam exhalauit in auras
Infelix ſcelerique eadem nox prima nefando,
Et pariter ſuprema fuit diſcrimine paruo.
Illam autem æthereis flammis diuinitus ignis
Corripuit, cùm iam maturi pondera partus
Vrgerent: eademque duos letho hora dediſſet,
Infans ni foret exectæ genitricis ab aluo
Exemptus, paruum patris eduxere ſorores.
Ipſe etiam mox immeritus ſcelerata parentum
Facta luit, iucunda oculorum luce negata,
Obſtructæque aures penitus manſere, nec illi
Aut vllas haurire datum eſt aut reddere voces.
Quinetiam ſimulatque adoleuit, protinus ægrum
Arripuit furor, infernæ vis efferæ gentis.
Centum illum furiæ, centum illum (flebile) peſtes
Vinctum exercebant, Erebi legio acta latebris,
Horrendasque hominis ſingultus ore cientes
Edebant voces, ac terrificos mugitus,
Illum omnes exclamantem, atque inſueta frementem

Horre

Horrebant, trepidiq́ fuga se in tecta ferebant,
Siquando nobis, ruptisq́ immane catenis
Incautis liber custodibus euasisset.
Iámque ille oblitus fratres, iámque ille sorores
Amplius haud gressum patris intra tecta ferebat,
Verum more feræ syluis degebat & antris,
Sicubi saxa caua, aut æuo consumpta sepulcra,
Ater, egens, corpusq́ abiecto nudus amictu.
Talem igitur nodo manibus post terga reuinctis
Christi ad conspectum, si fors miseresceret ipse,
Vi multa consanguinei cariq́ trahebant.
Illi autem obniti contrà, dum rumpere nodos
Tendit, & horrendos clamores tollere ad astra:
Qualis vbi longis pugnator taurus ad aras
Funibus arripitur, sæuo fremit ore per vrbem,
Et spumas agit, & cornu ferit aëra adunco.
Instant hinc famuli atque illinc, & verbera crebri
Ingeminant, quaßántque sudes per terga, per armos.
Diffugiunt vulgus trepidum, in tutúmque recepti
Porticibus gaudent longè spectare periclum.
Talis erat iuuenis species immane furentis,
Quem tandem ante Deum feßi statuére, rogantes
Ferret opem, saltem furijs tam tristibus illum
Solueret, excuterétque animo crudelia monstra.
Hic Heros palmas in cælum sustulit ambas,
Concipiénsque preces Genitorem in vota vocauit.
Ecce autem magnū, subitū, & mirabile monstrum,
Audiri exululare lupi, latrare canes ceu,
Tam diras iactat voces lymphatus ab ore.

Non tam immane sonet sese frangentibus vndis
Rupibus ex altis ingens decursus aquarum,
Rumpantur claustra alta lacus si fortè Velini,
Totáque præcipitent valles stagna ardua in imas,
Omnis ea vt regio fiat mare, & oppida circùm
Mersa natent, metuátque sacris Roma obruta tēplis.
Nunc cæli crepitus imitantur, cùm superûm Rex
Fulminat, & tonitru quatit ætheris aurea templa.
Nunc ferri sonitum, aut ruptarum mole catenarum
Ingenti horrificum stridorem, aut murmura ponti.
Circùm omnis tellus, circùm cælum omne remugit.
Instat vi multa Deus, increpitátque morantes.
Iámque illi trepidare intus, pacémque precari,
Quid nunc vera Dei atque indubitata Propago
Concesso in pœnas nos ò de corpore trudis?
Egressis saltem pecora hæc inuadere detur:
(Setigeri tum fortè sues ea littora propter
Pascebant) nos ne horrifero sic merge barathro,
Néve iube terræ inferioris operta subire.
Annuit. extemplò videas procul ecce nigrantem
Mollibus haud stimulis furiarum errare subactum
In diuersa gregem nunc huc, nunc protinus illuc.
Nec mora nec requies: intus vis effera sæuit,
Donec præcipites sese alta in stagna dedere,
Et cunctis pariter vita est erepta sub vnda.
At iuuenis fessos subitò collabitur artus
Exemptus tandem nodosis brachia vinclis.
Mordicus ora solo impressus cunctatur, adhúcque
Singultans, pectúsque lacessit anhelitus ingens,

Expir

Expiránsque animam pulmonibus æger agebat.
Quem iuxta Genitore Deo satus astitit, oráque
Attingens dextra, atque oculos aurésque reclusit,
Iámque videt, loquitúrque, & corda oblita residūt.
It vulgi clamor super aurea sidera ouantis,
Supremiq; patris sobolémque Deúmque fatentur.
Sed quid non ipse eualeat? quin nos quoq; missos
Aegris iussit opem ferre, auxilióque leuare
Præsenti: mortis multos de faucibus atris
Non opibus hominum, nulla reuocauimus arte.
Verùm implorato ter tantùm voce magistri
Nomine surgebant stratis, ibántque refecti.
Omni autem ex numero sese vix obtulit vnus,
Quem stimulis actum sæuis, cacóque furore
Incassum victi tentauimus, acrior illum
Vsqueadeo magis atque magis vis intus agebat.
Cui cùm ferret opem Diuus mox optimus ipse
Iratus, quòd parua sui fiducia nobis,
Corporibus tales facile, inquit, pellere pestes.
Parcendum dapibus tamen, è cælóque petendum.
Nec solis verò hæc vobis concessa facultas:
Sed nomen quicunque meum vulgauerit, omnia
Fas audere, mei modò ne fiducia desit.
Ille etiam iussos immani corpore montes
Transferet, & verso sistet vaga flumina cursu.
Ite animis igitur certi, confidite, neve
Instabili titubate fide: iacite aurea veri
Semina vbique, orbem vestra perfundite luce
Obductum tenebris, atque alta nocte sepultum.

Vos hominum lux, vos squalentis lumina mundi.
Sic fatus nobis alios subiunxit, vt essent
Consortes tantorum operum, sociiq; laborum,
Et septem elegit decies, tamen ipse dolebat
Exiguum numerum, neque tot satis esse ferebat
Tanto operi: ac veluti qui centum vertit aratris
Tellurem, & campos rastris exercet auitos,
Cùm matura seges iam flauis canet aristis,
Si desint qui messem operis (quæ plurima) condant,
Fluctuet, atque viros aliis conducat ab oris.
Quid memorem, vt mentes hominū curasq; latēteis,
Quod fieri certo nequeat sine numine, cernat?
Quippe animis dubios, tacitis dum vana timemus,
Castigans dictis nos sæpe erexit acerbis
Mirantes: quoties ipsis etiam hostibus olim
Prædixit quos mente dolos, quæ furta pararent
Incassum, dum cæci odiis agitantur iniquis?
Fœmina nec latuit bis senos passa per annos
Sanguinis immundi manans de corpore flumen.
Illa quidem ardentis morbi confecta dolore
Ponè sequebatur, siquà illum tangere posset,
Hanc vnam ratam nempe viam restare salutis.
Ergo dum pubes stat vndiq;, & agmina inundant,
Illa subit, leuiterq; extremum apprendit amictum.
Ad tactum veter effugit de corpore morbus.
Iamq; abitum latuisse putans clàm mente parabat.
Præsensit Deus, & pauidam seseq; tegentem
Affatus placidè monitis impleuit amicis.
Vidi oculos ante ipse meos mortalia nuper

Aut

Aut membra exutum, aut perfusum luce supernè
Non infra Solis speciem dare corpore lumen.
His multisq; alijs, ego quæ creberrima vidi,
Per terras patuit signis Deus. haud tamē vnquam
Sese hominem oblitus moribundo corpore cretum
Multa tulit quoque, mortales quæ ferre necesse est.
Atq; id sponte quidem, nobis imitanda relinquens.
Sæpe hilares mensas ideo & conuiuia adiuit,
Nec cœtus bonus est hominum aspernatus in vrbe.
Sæpe etiam insidias inimicæ gentis & iras
Suffugiens vt homo, malè tuti limina templi
Exijt, obiecitq; cauam pro corpore nubem,
Nec se in conspectum latebris dedit abditus atris,
Dū fremerent hostes nequicquam, & saxa pararēt.
Atq; equidem memini (vix actus voluitur annus)
Nuper Ioannis comperta cæde recenti,
Quem rex vxorem præreptam reddere fratri
Admonitus tenebris ferro obtruncarat in atris.
Vrbibus his abijt cautus, populisq; relictis
Digressus: siluæ elapsum accepere profundæ.
Nec rex ipse Erebi generis fœdissimus hostis
Humani, nostras qui recto auertere mentes
Nititur, abstinuit Dominóve, Deóve pepercit.
Fortè etenim comitū strepitus turbamq; sequentum
Dum fugeret quondam, se clam subduxerat Heros
Cœtibus, & solus lucis degebat in altis.
Iamq; quater denos frugum sine munere Soles
Condiderat, totidemq; famem per inhospita noctes
Pertulerat, cùm iam tempus ratus ecce nocendi

Affuit extemplò multis cum millibus hostis
Noctipotens, quos tartareis ducebat ab antris,
Flammea semiferi capitis gestamina quassans.
Iámque sui frustrà spe præmia percipit astus.
Ergo illi meditans nequicquam illudere, dictis
Talibus aggreditur, Superi tu certa Parentis
Progenies, verúsque Deus, tibique omnia parent:
Quid durare fame confecto corpore pergis?
Nec subitò in totidem conuertere adorea liba
Hæc circùm quæ saxa vides ingentia, tentas?
Non Diuum latuere doli, atque hæc reddidit ore,
Sunt mihi mortali tostæ pro munere frugis
Sermones Patris auditi, diuináque verba:
Quæ quoties animo repeto memor, effugit omnis
Pulsa fames subitò, mensæq; oblita cupido.
Dixerat. his tamen auditis haud destitit hostis.
Congressu victus primo, pugnamq; retentat,
Atq; alijs super atq; alijs assultibus instat,
Térque nouos semper cœpti irritus integrat astus.
Nequicquam nunc regnorum, nunc laudis inani
Immotum tentans animum preuertere amore:
Vt cùm sollicitum tollunt mare fluctibus Euri,
Crebrà ferit, sæuitq; minaci verbere in alta
Littora, sed saxis allisa reuertitur vnda.
Nec Deus, hæc subitò quanuis præsentiat, arcet
Conantem, patitúrque dolos sibi nectere vanos.
Nunc se marmorei supra fastigia templi,
Nunc rupem supra, scabrumq; crepidine saxum
Subuectari vltrò sinit, & spem accendit inanem.

Cùm verò vicisse ratus iam gaudia dira
Conciperet frustrà ille inhians, se protinus Heros
Ipse Deum claro confessus numine coràm
Irrita furta, dolósque exibat semper apertos:
Qualis, vbi excußis per plana euasit habenis,
Liber equus ludit famulos hinc inde sequentes,
Sæpe hic dißimulans, atque illic improbus hæret,
Pérque viam oblatas interdum pascitur herbas:
Ast vbi iam videt instantes, elabitur, altéque
Emicat, & spatia transmittit maxima campi.
Quam speciē expertus nequicquā vbi deniq; sensit
Hostis atrox, abijt victusq;, Deúmque reliquit,
Cui volucres centum pluma pernice ministri
Astabant missu Genitoris, opémque ferebant.
Si verò causas odiorum ac semina quæris
Tantorum, cur gens omnis opponitur vni,
Hæc norint ipsi. certè non talia geßit,
Quæ capto affingunt odijs crudelibus acti.
Non homines inter magis est affabilis alter,
Non pietate prior, venia complectitur omnes.
Hostis, ciuis ei nullo discrimine habentur.
Multi impunè ideo digna atque indigna ferenti
Obijcere, omnes nutu cùm perdere posset.
Sera olim cùm Sidoniam sub nocte per oram
Ferret iter fessus, nos parua exclusit ab vrbe
Gens fera, nec tecto est dignata Heroa precantem.
Nos igitur tristes supremum orare parentem
Aspiceret cælo, nec Gnatum ferret inultum,
Sed populum immitem cælesti protinus igni

Corriperet, subitis & inhospita mœnia flammis.
Non tulit, ac verbis nos indignatus amaris
Increpuit, potiúsque vrbem miseratus iniquam est.
Sæpe etiã auctores scelerum haud ignarus adibat,
Infamésque domos, sceleratáque tecta subibat,
Quò moniti exuerent fastus morésque sinistros,
Et secum inciperent paulatim assuescere recto.
Sic Matthæus, agri diues, sic noster & ipse est
Zacchæus, centúmque alij ad meliora vocati.
Nec tamen, id faceret dum creber, defuit olim
Qui falli ratus incautum, pro crimine magno
Obijceret quòd non fugeret contagia dira.
Ipse se id, vt medicam veluti languentibus ægris
Ferret opem, totam quærebat sponte per vrbem,
Sicubi mortales mentem caligine pressi,
Quos nocte eriperet bonus, ad lucémque vocaret
In tenebris cæco miseratus pectore volui.
Id superis, superûm id magno cordi esse Parenti,
Séque ideo claro missum memorabat Olympo.
Insuper & cælum compleret quanta docebat
Lætitia, æthereí quanto gens incola regni
Acciperet plausu, siquis mortalibus oris
Inuentor scelerum, atque pij contemptor, & æqui
Iustitiam colere inciperet, rectúmque tueri.
Sicut ouem incautus pastor qui è millibus vnam
Amisit sera oblitam decedere nocti
Cum gregibus, vbi per rupes pérque aspera tristis
Quæsiuit dumeta diu loca cuncta volutis
Conuisens oculis, demum si fortè reposta

Pascentem valle inuenit, subitò arripit illam,
Sublatámque humero stabulis latißimus infert.
Intranti dulces occurrunt oscula nati
Praeripere, & reducē plausu domus excipit omnis.
Iccirco neque colloquijs muliebribus Heros
Abstinuit, nupérque legens Samaritidos ora
Rura sub antiquis Sicharaea moenibus vrbis,
Viderat ad fontem venientem vt fortè puellam,
Implorauit aquam supplex, putealiáque hausit
Munera, qui pelago, qui fluminibúsque sonoris
Imperat, & vastum largis rigat imbribus orbem:
Cuius ad imperium populis sitientibus olim
Deliquit rupes, atque vndis plurima fluxit,
Secreti nos intereà mirarier omnes:
Ipse sed admonitam, atque vltrò commissa fatentem
In lucem è tenebris altáque è nocte vocabat.
Saepe illi pueros, auo & florente puellas
Flore comam pressos, & molli fronde reuinctos
Summisere piae, metuunt dum cuncta parentes,
Quò teneris animis pulchrae virtutis amorem
Insereret, stimulisq; rudes impleret honestis.
Impubem turbam affatus placido ore monebat,
Lustrabátque manu, ne carmina dira nocerent,
Neve vlla infernis premeret vis edita ab oris.
Quinetiam elatos animo super omnia acerbis
Vrgebat dictis, rebúsque exempla reliquit.
Mecum olim socij, absentem dum quaerimus illum,
Tendebant, feßiq; via consedimus omnes
Spelunca ante fores, densis quam plurima opacat

Frondibus, & flexu ramorum protegit Vlmus.
Multùm hic inter nos quærentes vana moramur,
Quis nostrûm foret è numero præstantior omni,
Dilectúsve ipsi magis, acceptúsve magistro.
(Mira loquar) nos vt primùm ipse in limine vidit,
Hæsit acerbà tuens, iterúmque iterúmque rogauit,
Quis sermo foret, aut quænam certamina nobis.
Nos contrà taciti nihil hiscere, dum piget omnes
Verborum memores, fuerant quæ plurima vana.
Tum subitò ostendens puerum, cui mollibus annis
Laudis adhuc erat & tumidi mens nescia flatus.
Nulli fas, inquit, Superûm aspirare beatis
Conciliỹs, si non fastus dediscat inanes,
Et penitus famæ exuerit contemptor amorem,
Ceu puer hic nullam suspirat pectore laudem.
Non aliter cælum pateat. prius æquore salso
Esse queant nubes, aut pisces viuere in aruis,
Arboris aut stirpes frondescere in ætheris oris.
Horret adhuc animus, mihi cùm fratríq; poposcit
Illum præcipuos frustrà pia mater honores,
Scilicet æthereæ superi Genitoris vt aula
Cælicolûm in medio celsa cùm sede sederet
Subnixus, propior nostrûm resideret vterque
Dextrā alter iuxta amplexus, læuæ alter inhærent.
Extemplò grauis ille, obtutúque asper acerbo,
Non matrem (quid enim mater pietate merebat?)
Sed nos qui vano ignaram summisimus astu,
Corripuit meritos verbis haud mollibus vrgens:
Vsque Deum premere elatos, longéq; superbos

Auerti, quos fama agitat laudúmque cupido.
Ipse ideo haud impar Genitori cùm sit, & illa
Quæ pater, æquè eadem posßit, tamen ora canentum
Sæpe sibi laudes Genitorem vertit in ipsum,
Nil se audere hominem supra confessus, ab alto
Ni Pater omnipotens vires aspiret Olympo.
Iccirco grauibus morbis quencunque leuasset,
Plerunque edixit ne factum proderet vsquam.
Quóve suas tegeret vires, cùm tabida posset
Hulcera corporibus solo depellere nutu,
AEgros sæpe tamen medicas legabat ad vndas,
Vt vitium exuerent omne auxiliaris aquæ vi.
Quid referam, quot eũ populi, quot manibus vrbes
Optauere sibi, & voluere imponere regem
Mittentes trabeam, sceptrumq́ue, sacrámque tiaram?
Ipsi etiam comites hortatu instare frequentes,
Armatus Syriæ regnandam inuaderet oram,
Mox fore continuò vt sua sub iuga mitteret armis
Quodcunque Oceanus terrarum anfractibus ambit,
Immensúmq́ue nouis frænaret legibus orbem.
Cùm verò hortantes vrgerent, protinus ipse
Occuluit sese, montésque aufugit in altos.
Immanes tamen inuidia & crudelibus isti
Insurgunt odijs, pœnasq́ue vno ore reposcunt,
Vniúsque petunt caput omnes scis quibus illum
Huc furijs traxere, quibus clamoribus omnem
Implerunt trepidi captam velut hostibus vrbem.
Ipse Patris mandata obiens tulit omnia certus
Digna, indigna pati: nam se quærentibus vltrò

Obtulit, & noctis cùm munere posset opaca
Defendi, bis se manifestum prodidit ipse.
Vidi illos tamen ad capti procumbere vocem
Attonitos, terramq́ue graui consternere casu.
Nec verò sacris aut templo demit honorem,
Nec gentis leges veterúmve edicta refigit,
Quamuis visceribus monet & lustralibus extis
Parcendum posthac, nec iam vltrà cæde litandum.
Verùm alios longè ritus moremq́ue sacrorum
Indicat obscura verborum ambage latere,
Legiferiq́ue aperit voces, animúmque magistri:
Quódque magis mirere, sciunt, & scire fatentur
Aëreas vatem venturum lucis ad auras,
Vnus qui nobis cæli inuia claustra recludat,
E tenebrisq́ue pios vehat alta ad sidera manes:
Id patribus promissum, omnes id voluere vates,
Hunc animis certi expectant. miseri, quibus atris
Non datur in tenebris præsentem agnoscere lucem,
Et mediijs largi sitiunt in fluminis vndis.
Nã quæ non moueant, nisi prorsum auersa voluntas,
Tanta viri virtus, tot facta ingentia, talis
Oris honos? ipse vt vidiq́ue hausiq́ue loquentem,
Et dulcem toto iactantem corpore amorem,
Fortunas, patriam, genitricem, cuncta reliqui.
Id socij fecere: neque hunc me deinde secutum
Pænituit. verùm quantum ingens sæpe fauilla
Surgit ab exigua, sempérque fit acrior ignis,
Huius amor tantum visus mihi crescere in horas,
Et mage cor dulci semper flammescere cura.

Quiq; adiere semel, validis compagibus hærent.
Nec nos aut donis, aut verbis fallere crede
Pollicitis blandis illectos. omnia nobis
Aspera promittit, cunctos diuersa manere
Scilicet exilia extorres, paßimq; vagantes.
Promißis nec vana fides: adeò vsque malorum
Pullulat ex alia atque alia densißima silua.
Vnius ferro tantùm caput excipit: vnum
(Quisquis is est) placida clausurum lumina morte.
Ast alios cædes omneis instare cruentas.
Nostra iubet nos intereà contemnere, opésque
Partiri, atque inopi miserorum impendere turbæ,
Quos circumueniunt morbiq;, algorq; famésque,
Pauperiemq; pati, rebusq; assuescere egenis.
Multi nos ideo viderunt sæpe per agros
Aut siluæ in nuda proiectos ducere somnos,
Aut grauidas fessos rerum decerpere aristas,
Indomitisq; famem solari frugibus, vndámque
Alta haurire cauis pronos ac flumina palmis,
Aut si quos vsquam tellus dabat arida fonteis.
Non mihi perpetuam si centum pectore aëno
Sufficiant vocem linguæ percurrere poßem,
Quantas quóque modo ærumnas, quantosq; labores
Hoc durente animis durantes hausimus æquis.
Nam licet interdum penuria adaxit edendi
Exhaustos, rerumq; inopes quas flagitat vsus,
Regum opibus tamē vsq; animos æquauimus altos,
Et mens in paruis aderat ditißima cuique.
Nec minus ingētem huc comitū aduentare nouorum

Cern

Cernere semper erat numerum, matrésq; virósq;,
Omnibus idē animus, quibus & mēs certa sequēdi:
Haud secus ac bellum sicui rex maximus vrbi
Indixit, iámque arma ciet, iamq; agmina cogit,
Cladem ora exitiúmque ferens, populisq; ruinas.
Non tantùm iurata manus, lectaq; cohortes
Incedunt: sed praterea quos dirus habendi
Duxit amor, varia cupidos ditescere prada,
Agglomerant multi, atq; iniussi castra sequuntur.
Non sat erant lataq; via, campiq; patentes
Tot populis, iret quacunque, sequentibus vltró.
Sape Heros sese ingenti subducere turba,
Et montes petere, & desertos quarere saltus.
Atq; equidem memini, cū propter stagna profectus
Ferret iter, passimq; manus pratexeret ingens
Littora, & vrgeret supra densissima morem,
Proripuit sese. ac cymbam, qua fortè parata,
Insilijt. subitóque iubens pracidere funem
Teli intra iactum liquidum processit in aquor.
Constitit hinc, terrámq; aspectans, plenáque circum
Littora, diuinis affari vocibus orsus,
Iustitiaq; aperire viam, & vestigia recti,
Hic illic stabant arrectis auribus omnes
Interclusi vndis, inhiabántque agmine longo
Attoniti, miráque animos dulcedine capti.
Ipse loquebatur, circùm sedata silebant
AEquora, vbique modò spirantibus incita flabris,
Frondiferaq; domus auium sine murmure circùm
Stabant immota procuruo in littore silua.

Sed

Sed non intereà longæua parcere matres
Vocibus: illum omnes mirari insueta loquentem.
Felicémque Vteri matrem, felicia matris
Hubera clamabant, quæ talem enixa tulisset,
Et teneris immulsisset plena hubera labris.
Nanque docebat humi fœdè, in tenebrisq; volutas
Ad cælum mortale genus sustollere mentes,
Et lucem aspicere, & Vanis desuescere curis.
Tum pacem hortari, Placidam super omnia mites
Pacem optate Viri, tumidósque remittite flatus,
Demissiq; animis, nil Vanæ laudis egentes,
Mortales contemnite opes, contemnite honores,
Et dur is Vitam assueti, paruóque beati
Pauperiem tolerate: breuis quæcunq; Voluptas
Ista adeò, atque diu nihil est mortalibus ægris.
Vobis haud propriæ hic sedes, concessáque longùm
Regna, manent meliora, graues Vbi soluerit artus
Mors animæ, Vos stelligera Pater optimus aula
Protinus excipiet lætos melioribus oris,
Pax Vbi tranquilla, & cunctarũ opulentia rerum,
Et secura quies, nunquam peritura Voluptas.
Et dubitet tanta quisquam mercede laborem
Ferre breuem, terrisq; sequi me sponte relictis?
Ad Veras emergere opes, emergere honores
Tendite, quos nulli casus, nulla auferat ætas.
Este pij: inter Vos mentem exercete benignam,
Inq; Vicem placati animis miserescite Vestri.
Tum longè prohibete iras, odijsq; ferendo
Parcite, rumorésque Vagos contemnite Vulgi.

Nulla

Nulli fas ideo accepto pro vulnere vulnus
Reddere: præstiterit verò pulsantibus vltrò
Sese offerre, genisq́ ictum exspectare secundum.
Vana alij certent armis pro laude, nocénsque
Ferrũ acuant, pulchráque petãt per vulnera mortem.
At tu mortales nullo discrimine amare
Disce omnes, pacémque inglorius hostibus opta,
Nec tibi ventosæ sint tanti murmura famæ.
Omnibus in primis sit mens interrita lethi,
Nulláque vos animis duros vis auceet æquo.
Terrenos artus homines, moribundáque membra
Interdum extinxisse queant & perdere ferro:
Tuta anima ipsa manet dura haud obnoxia morti.
Et vos omnipotens cœlo Pater aspicit alto,
Auertitq́ malis, cuius sine numine vestrum
Haud hominum quisquam valeat diuellere crinem.
Summissos vos hunc vnum fas vsque vereri,
Huic ô rite preces huic digna piacula ferte,
Cui mare, cui tellus, campiq́ patentibus aër
Obsequitur, nitidiq́ tremit plaga lucida cœli.
Huic procumbite humi, prostrati huic pandite vota.
Vos siquidem æternis etiam post funera pœnis
Ipse potest sontes sub tetro vrgere barathro.
Nec timor admissos cuiquam sit adire leones,
Sacláque pictarum sæuissima pantherarum.
Ite mei obiectu protecti nominis: ite
Aduersum intrepidi mansuescent protinus vrsi,
Vestráque parcentes allambent vulnera lingua.
Quin humiles victus animis secludite curas.

Obser

Obseruate genus pecudum, genus altiuolantum.
Nulla illis artes, nulla illis cura futuri.
Non tamen aut tegimen, victus aut copia desit.
Omnia diues alit rerum sator, omnia curat.
Ille etiam iniusso tellurem gramine vestit,
Floribus appingens sata versicoloribus arua,
Arboribusq́ comas, atq; vmbras montibus addit.
Fraudes, insidiæq́ absint, ac fœda libido,
Néve modum supra mensis gaudete paratis,
Desidiasq́ animis, atq; otia pellite vestris.
Nec vetitos thalamos inconcessumq́ cubile
Affectate, sitisq́ alieni desinat auri.
Quisq; suis opibus contenti viuite, & vltrò
Spes interdictas, & inania ponite vota.
Néve autem scelerum facies nūc persequar omneis,
Quid dicam, quibus est cordi fraus, atq; libido
Dira iuuat, ficto simulant tamen ore latentes
Virtutem, subeuntq́ dolis, & crimina obumbrant?
Ne iubeo, ne talem animi assuescite pestem.
Nil adeò latet, ipsa dies quin detegat vltró.
Prætereà cohibete oculos: ne querite vestris
Vulnera spōte animis: fandi hinc cōpescite amorem:
Sæpe olim incautos non lingua coërcita mersit.
Discite iamq́ ideo posthac haud falsa proferri,
Iamq́ nouos purgati animis inducite mores.
Siqua tamen veteris culpæ vestigia restant,
Diluite, & sacris contagia vincite lymphis.
Ipse ego fons veluti liquidam purissimus vndam
Sufficiam: properate ad aquas: haurite liquentem

Matres atque viri sitientes protinus amnem.
Ferte pedem huc omnes: nec opus potantibus auro
Argentóve: mei fontis patet omnibus unda.
Sic lethi vitate vias, ita sidera aditur,
Sidereasque domos, mutari nescia regna.
Hæc mihi prædixit Genitor, quæ voce monerem
Veridica: sunt fonte mihi verba omnia ab illo.
Talia dicta dabat, cæli super omnia Regem
Placandum non visceribus non sanguine cæso,
Sed votis precibusque iubens exposcere pacem.
Et modus orandi quis nam foret ipse canebat:
Omnipotens Genitor, sedes cui lucidus æther,
Sic nomen laudesque tuæ celebrentur ubique,
Et promissa orbi incipiant procedere lustra,
Cùm tua non minus in terris gens iussa facessat
Mortalis, quàm cælicolæ tibi in æthere parent.
Nos diuina hodie cælo dape reffice ab alto.
Parce dehinc bonus, vt nostris ignoscimus ipsi
Hostibus, ac nullis aduersis obÿce inermes
Tentando, prohibe à nobis sed cuncta pericla.
Addidit &, ventura canens, fore cùm vagus olim
Sol claram speciem concreto lumine tectus
Exuat, & subitò stellanti nocte perempta
Sufficiat nullam Luna orbis argentea lucem,
Sanguineis faciem maculis perfusa nigrantem,
Præcipitentque polo passim turbata labanti
Sidera, quæ lapsu certo spatióve feruntur.
Visque ea quæ cæli irrequietos conciet orbes,
Desinat, incerto rapiantur vt omnia motu,

Atque

Atq; propè auulso absiliat de cardine mundus,
Dum terras veluti rapidum per inania fulmen
Ipse iterum petat, & multis cum millibus idem
Adueniens hominum vitas & crimina quærat.
Vt res promisso simulac succenderit igni
Flammarum totum tempestas sparsa per orbem,
Continuò tellure noua, calcéq; recenti
Defunctas animas vita in sua corpora rursus
Euocet ad blandum lumen, populósq; sepulcris
Eliciat, secumq; pios educat ad astra,
Quos Pater à prima præuidit origine rerum
Mente suos fore, & æthereo transcripsit Olympo.
Ibunt aligeri iuuenes, cælumq; profundum
Horrifico sonitu implebunt, atq; ære recuruo
Quattuor à ventis excibunt vndiq; gentes.
Iudicis ad solium properabitur æthere toto.
Ipse altè effultus, montisq; in vertice summo
Arbiter effulgens circunferet ora tremenda,
Secernetq; pios, dextraq; in parte locabit:
Læua autem coget sontes, quæ plurima turba.
Qualis post hiemem exactam, cùm gramine molli
Pascua læta vocant stabulis armenta reclusis,
Ipse greges pastor nitidos missurus in agros
Sortitur: placidas primò legit ille bidentes
Dinumerans, olidasq; iubet procul esse capellas.
Cernere erit liquidas longè fulgere per auras
Corpora clara hominum, quibus atra obnoxia morti
Abluet omnipotens Pater, æternumq; manebunt
Amplius haud rerum subiecti casibus vllis.

Nemo illam ante diem speret cum corpore sedes
AEtheris, exceptis paucis, quos ipse sepulcro
Exurgens secum superis Deus inuehet oris.
Solæ animæ intereà tali statione fruentur.
Contrà autem sontes tenebris ac nocte prementur
AEterna, & meritas pendent per sæcula pœnas.
Omnia quæ sera nuper mihi nocte canebat,
Cùm caput ipsius in gremio mærore grauatum
Vna eadem accumbens sponda, admotusq; loquenti
Sæpe reclinarem, mæsti solamen amoris.
Quid repetam, quæ sæpe vagi Iordanis ad vndas
Ediderit? quæ Iudææ sub montibus altis
Nunc cæcis vera inuoluens ambagibus vltrò,
Nunc manifesta palàm claro sermone loquutus,
Dum populi circunsistunt, stipantq; frequentes?
Nunc se principium rerum finemq; canebat,
Nunc veri fontem, atq; hominum lucemq; viamq;.
Nos fortunatam prognatam hoc tempore prolem:
Nos felix tellus, nos sæcula læta tulere.
Nobis diuinam vocem, diuina loquentis
Verba haurire Dei propius sæpe obtigit vnis.
Scilicet hinc lustris veniet labentibus ætas,
Cùm seri optabunt eadem vidisse nepotes.
Talia Ioannes cunctis mirantibus ore
Perstabat memorans, cùm protinus ecce tumultu
Ingenti Solymûm irrumpit manus impia, & vrbis
Rectorem appellant, pœnasq; vno ore reposcunt.
Diffugiunt ambo, & magnam stat adire parentem,
Ignaramq; diu tantarum fallere rerum.

M. HIERONYMI VIDAE CHRISTIADOS

LIBER V.

INsonti verò Romanus parcere capto
Toto corde petens, huc mentem diuidit atq; huc.
Fama viri, virtusq; animo, egregiiq; recursat
Oris honos, nec iam obscurum genus esse Deorum.
Omnia respondent auditis. deniq; ad ipsos
Conuersus Solymos fremitu tectum omne replentes,
Ite, ait, & posito mox huc certamine adeste.
Sit qui pro cunctis numero delectus ab omni
Fando aliquis doceat, quo tandem is crimine morte
Multandus, quod tantũ obstet scelus, ordine pãdat,
Insonti. simul hæc simul illi abiere frementes,
Christo animis certi nunquam desistere viuo.
Parte alia, regem qui fœdè prodidit hosti,
Mutatus scelus agnoscit periurus Iudas
Ah miser, infectum quàm vellet posse reuerti!
Nulla quies animo: sæuire in pectore diræ
Vltrices, cæcasq; ob noxam sumere pœnas.
Nec capit insanos curarum pectore fluctus,
Hinc secũ æra manu sceleris causam attulit amens,
Quæ Solymi magno dederant in munere pacta,
Atq; sacerdotum sacrata ad limina venit
Vociferans: Vestrũ hoc argentũ, hæc munera vestra,
Accipite: en scelerum pretium exitiale repono.

Heu heu quid demens volui mihi? quo scelus ingẽs
Inductus pretio admisi? vera Dei ille
Progenies, verusq; Deus, nunc deniq; cerno,
Discussæq; abeũt tenebræ, & mihi reddita mẽs est.
Sic fatus, simul argentum coniecit in ipsos:
Olli autem flentem risere, ac sera videntem.
Infelix abit: hinc amens, cæcusq; furore
Multa putat, curæ ingeminant, sæuitq; sub imo
Corde dolor, cæliq; piget conuexa tueri,
Tum secum huc illum flammatia lumina torquens.
Hem quid agã infelix? quæ nam quæ sæcula porrò
Sera adeò tantum scelus vnquam oblita silebunt?
Accedámne iterum supplex, crimenq; fatebor,
Atq; ausim veniam sceleri sperare nefando?
Quo verò aspiciam vultu, quóve alloquar ore,
Quem semel indignum decepimus, inq; merentem?
Hinc igitur longè fugiam, quantum ire licebit,
Ignotisq; aliis agitabo in finibus æuum?
Hinc me præcipites me me hinc auferte procellæ,
Quò fugit vsq; dies à nobis luce peracta.
At quis erit tutus tandem locus: omnia præsens
Aspicit, ac terras Deus vndiq; fulmine terret.
Et me conscia mens atq; addita cura sequetur,
Siue iter arripiam pedibus, seu puppe per vndas.
Quos? quibus? at moror, & ludũt insomnia mentẽ.
Vos precor ô mihi vos magnæ nunc hiscite terræ.
Quid dubito? nunc te tangunt scelera impia Iuda
Infelix: tunc debueras, tunc ista decebant,
Cùm reuocare pedem, cùm fas occurrere pesti.

Nunc morere, atq; nefas tu tantum ulciscere dextra
Sponte tua, lucemq; volens hominesq; relinque.
Talia iactabat certus iam abrumpere vitam
Inuisam, & sæuum letho finire dolorem,
Curarum hanc vnam metam ratus atq; laborum.
Fluctuat, atq; sibi semper tellure videtur
Absumi, aut rapido de cælo afflarier igni.
Vsqueadeò ante oculos capti obuersatur imago.
Pallor in ore, acies circunlita sanguine, & artus
Algentes tremit, instantis vestigia lethi,
Et nox multa caua faciem circunuolat vmbra.
Omnia nigrescunt tenebris caliginis atræ.
Demens, qui potiùs veniam sperare fatendo
Non ausus: neq; enim precibus non flectitur vllis
Rex superûm, & iustæ bonus obliuiscitur iræ.
Ergo ille inceptis perstans, & sedibus hærens
Iisdem abijt, siluaq; tremens successit opaca,
Regia qua propter frondebat plurima tecta.
Atq; ibi dum trepidat, qua tandem morte quiescat
Incertus, latebrásne animæ scrutetur acuto
Fortiter, & pectus procumbens induat ense,
An se præcipiti iaciat de culmine saltu.
Ipsæ quæ attonitum mortisq; cupidine captum
Ducebant semper furiæ, infensæq; præibant,
Informem prona nectentes arbore nodum
Ostendere viam: collo nanq; inde pependit,
Vt meritus, laqueoq; infami extrema sequutus
Spiramenta animæ eliso gutture rupit,
Et totos subitò pendens extabuit artus.

Nondum picta nouo cæli plaga mane rubebat,
Iamq; sacerdotes concursu cuncta replentes
Vestibulum iuxtà astabant, longusq; fremebant
Porticibus: nempe antiquo de more licebat
Nulli luce sacra pollutum insistere limen.
Tandem Romulides iuuenum stipante caterua
Fascibus egreditur patrijs ostroq; superbus,
Et solio ante fores sedit sublimis eburno.
Consedere patres pariter iuxtà ordine & ipsi,
Atq; diu siluere. orsus dux deniq; fatur,
Dicite quo tandem demitti crimine morti
Poscitis egregium iuuenem: quæsiuimus ipsi
Et genus & vitam: nil dignum morte repertum:
Sed potiùs factis fama illum ingentibus effert.
Vt propiùs vinctum vidi, audiuiq; loquentem,
Vt stupui! vt visus mihi nil mortale sonare,
Cuncta Deo similis vultum, vocemq;, oculosq;?
Aut certè Deus ille, Dei aut certissima proles.
Cedite: ne regem vestrum ignorate volentes.
His dictis, cunctis penitus dolor ossibus arsit
Ingens: infremuere omnes, gemitumq; dedêre.
Tum senior surgit fandi doctissimus Annas
In medio, & dictis exorsus talibus infit,
Si tibi non alijs per se manifesta pateret
Res signis, Romane, vel hinc dignoscere promptum
Cuiq; foret, teq; in primis dux multa moueri
Conuenit, huc cùm tot collectos vndiq; ciues
Conuenisse vides vnius crimina contra.
Hic auctor fandi multos sermone fefellit,

Et facie (ne cede dolis) mentitur honesta
Virtutem: scelerum tegit alto in pectore amorem.
Nónne vides, hac relligio quò se noua vertat,
Orgia quò, coetusq; & nocturni comitatus?
Seditione potens Iudaeas suscitat vrbes,
Ausus se passim terrarum dicere regem,
Progeniemq; Patris summi, cui sidera parent:
Atq; ideo veluti Deus vltrò crimina fassis
Dat veniam, poenaq; metum post funera soluit:
Quod scelus haud aliter poterit quàm morte piare:
Sic veteres sanxere. sed & vetera ipse retractans
Iura, nouas figit simulato numine leges,
Instituitq; nouos ritus, noua sacra per vrbes,
Quae seruent seri ventura in secla nepotes.
Quin ipsas haud obscura (prò) voce minatur
Deiecturum aras, seq; igni templa daturum,
Templa olim impensis tantorum structa laborum.
Et iam iam volet ipsum etiam restinguere Solem,
Sideraq; obsesso verbis deducere caelo.
Haud scelu ille tamen fallaci pectore quiuit
Dissimulare diu. neq; enim scelerata subire
Tecta horret, nec se vetitis conuentibus aufert
Admonitus, socijq; epulis capiuntur opimis.
Quinetiam, interdum siqua tota impius vrbe
Iuuentus fama ante alios ob crimina notus,
Continuò, paribus gaudens, adit impiger illum,
Nec requies donec sibi conciliarit amicum.
Tantus amor scelerum, tantum illi fallere cordi.
Tum festis cùm fas nihil exercere diebus.

Ipse tamen pellit morbos, ægrisq; medetur.
Quid memorem, vt socij vetitis impunè per ædes
Vescantur dapibus, Ceceremq; & pocula tractent
Haud prius ablutis manibus sine more, sine vllis
Legibus immundi, contactuq; omnia fœdent?
Scilicet omnipotens placitos tot sæcula ritus
Retractet Pater, & mentem sententia vertat.
Quæ noua tempestas? eáne inconstantia cælo?
Dede neci, ne turicremas quibus imminet aras
Destruat, & posthac non ausit talia quisquam.
Dede neci: pœnas sceleri impius hauriat æquas.
A sacris prohibe infandos altaribus ignes.
Dixerat: atq; omnes eadem simul ore fremebant.
Romulus at dictis nequicquam flectitur vllis,
Nec noua primũ audit nũc crimina: cũcta nefando
Scit fabricata odio, dum Christi gloria, & ingens
Sacrilegos stimulis virtus exercet amaris.
Atq; ait, Hæc coràm fama est vos sæpius illi
Obiecisse, quibus semper sermone paratus
Restitit, & vera victor ratione refellit.
Nec se progeniem Superi negat ipse Parentis,
Quem vos promissum cælo diuinitus olim
Venturum tandem auxilio mortalibus ægris
Non latet, vt veteres Genitoris molliat iras,
Concilians generi vestro, culpamq; parentum
Ipse sua virtute luat. sic ferre priorum
Accepi monimenta, patres id prodere vestros,
Et rebus probat ipse: adeò circum oppida lustrans
Arrexit totam monstris ingentibus oram,

Quæ non vllæ artes hominum, non vlla potest vis.
Quinetiam in lucē quosdam reuocauit ab vmbris,
Queis penitus iam mors totos immissa per artus
Soluerat hærentes animæ de corpore nexus.
Quare agite ò odijs miseri desuescite iniquis.
Ne frustrà pugnate, Deum sed discite vestrum.
Dixerat: at magis atq; magis violentia gliscit
Omnibus: ingenti clamore insistere, & vna
Infræni sæuire, humerisq; abscindere amictum.
Nec secus increuere animis ardentibus iræ,
Quā cū Atesim ve Padū ve vndis læta arua parātē
Diluere agricolæ subiti compescere tendunt
Aggeris obiectu, præceps magis æstuat amnis
Insultans, victorq; altas ruit agmine moles.
Fortè autem rex, & soboles hoc tempore regum
Herodes studio sacrorum aduenerat vrbem.
Munere Romulidûm pars huic amissa paterni
Reddita erat regni, Galilæaq; oppida habebat.
Quem postquam accepit rector Romanus adesse,
Solueret ingrato quò sese munere tandem,
Transmisit Galilæum illi vinctum Galilæo,
Atq; ipsum iußit, vitamq; & crimina, siqua,
Quærere, pro meritisq; viro decernere pœnas.
Tum verò audito Christi rex nomine lætus,
Duci intro iubet, ingenti correptus amore
Compellare virum, ac propiùs vera ora tueri.
Quem dehinc aggreditur vario sermone: sed ille
Nil contrà, atq; oculos nusquam auertebat Olympo.
Ergo illum nil supra hominem miratus, & vltrò

Irridens, iterum iubet ad prætoria duci,
Et rursum haud læto Romano redditur insons.
Hic me deficiunt animi, mens labitur ægra.
Horresco meminisse, Dei quæ vera propago
Pertulerit mala factus homo Deus, auctor Olympi,
Quem mare, quem tellus, vacuiq; patentia tractus
Atria, nec capit immensi plaga lucida cæli.
Aura tuo omnipotens vires mihi resfice lapsu,
Aura polo demissa, tuo hic me numine firma.
Hæc animi victus quoties euoluere tento,
Omnia me circum nigrescunt: pallida cerno
Astra, caputq; atra roseum ferrugine Solem
Occulere, & mæstum in lacrymas se soluere cælum.
Tantáne te pietas miserantem incommoda nostra,
Tantus adegit amor, cæli ò lux clara sereni,
Vera Dei vt soboles, verus Deus æthere missus,
Tam grauia hæc velles, perpessuq; aspera ferre,
Diuinumq; caput terrena mole grauatus
Subijceres tot sponte malis? hæc præmia ferres,
Nostra tua bonus vt deleres crimina morte?
Nos dulces vetita decerpsimus arbore fœtus.
Tu trunco infando pendens crudele luisti
Supplicium, ò nimium nostros miserate labores.
Tu quanuis Deus, atq; Dei indubitata propago,
Heu nunc hæc hominum, nunc cogeris illa subire
Arbitria in vinclis, & iudicis ora vereri,
Qui toti aduenies olim datus arbiter orbi.
Pontius vt vinctum sua rursum ad limina reddi
Conspicit, arbitrio nec se subducere tristi
Posse

Posse videt, sauis curarum tunditur vndis,
Iamq; his iamq; illis iterumq; iterumq; retentat
Crudeles animos, & parcere nescia corda
Irritus, ac studio frustrà diuersatur inani.
Quàm magis ille animis tendit sermone mederi
Nunc supplex, placidusq;, minis nunc asper acerbis,
Tam magis accensis crudescunt cordibus ira.
Tandē ait, Hæc redeunt (vestrorū antiqua parentū
Vana superstitio) certis cùm sacra diebus,
Vnum ego de multis inclusis carcere sueui
Reddere, & ex arctis impunè emittere vinclis.
Hunc igitur vobis ipsum solui ne iubetis
Insontē? (nam quem potiùs dimittere possim?)
Et iam pœnarum satis ac feritatis abundè est.
Aut soluo, aut porrò vos hinc abducite, & atræ,
Vt libet, immeritum sine me demittite morti.
Non tulit, & medium sermonem abrupit acerbans
Crimina falsa cohors, & pœnas ingrauat ore.
Fortè illis Barabas populo patribusq; diebus
Inuisus, quo non scelere vsquam immanior alter,
Iandudum in vinclis pœnam expectabat acerbam,
Nulla fugæ spes prorsus, ei via nulla salutis.
Huic igitur præses vellént ne, an parcere Christo
Scitatur, sperans ita tandem euadere posse.
Illi autem victiq; odijs, cæciq; furore
Exolui Barabam poscunt, veniamq; precantur
Vni omnes, Christumq; absumi funere tendunt,
Atq; obstant summa studijs rectoris opum vi.
Ille autem loris cædi, virgisq; salignis

Diuin

Diuinum mandat (visu lacrymabile) corpus.
Fors, ait, innocui potero hac extinxe cruoris
Arte sitim: sic immitis miserebitur hostis,
Et lacerum totos cernentes cominus artus,
Ipsi vltrò satiati animos à morte reducent.
Iam largo vndabat fœdatum sanguine corpus,
Perfusiq; artus tabo, liuentia colla
Collaq; brachiaq;, & detecta verbere costa,
Atq; eiectabat crassum roseo ore cruorem,
Talem in conspectu populi statuère, cruentos
Nudũ humeros, pectusq;, ambasq; à poplite plantas:
Nam medium texto velabat carbasus albo.
Palluit aspectu cælum: conterrita fugit
Cornibus obtusis sub terram argentea Luna,
Nimbosoq; diu latitans euanuit ore,
Et pariter visa astra polo cecidisse sereno.
Non tamen hostiles expleuit sanguine pœnas,
Sed magis atq; magis crudescunt corda precando,
Quæ non vllæ artes, quæ vis non mitigat vlla.
Immerito lethum intendunt, extremaq; poscunt
Supplicia infensi: resonant clamoribus alta
Atria: certatim se cuncti hortantur in iras.
Eumenides, missiq; inferna è nocte ministri
Tartarei, tenues animæ, sine corpore vitæ
Circumeunt, stimulosq; acuunt ardentibus acres,
Et lucem eripiunt miseris, agitantq; furentes.
Romanum intereà monet ipsa exterrita visis
Per somnum coniux, iuuenis ne sanguine sese
Polluat, obstineat capto: portenta minari

Magna

Magna deûm in somnis. is erat, is candidus ille
Agnus, ait, (nunquam ludunt me somnia vana)
Quem circunfusiq; canes, sudibusq; petebant
Pastorum globus omnis: eum mox omnia ademptū
Pascuaq;, & notis flebant cum saltibus agri.
At Pater altitonans manifesta percitus ira
Desuper auctores cadis sauibat in ipsos.
Turbatum extemplò visum ruere vndiq; cælum,
Et campos latè, ac siluas quatere horrida grando.
Tum subitò audita ex alto, voxq; acta per auras,
Parce Deo Romane, hominum compesce furorem.
Credo equidē hunc (non te fallit) genus esse deorum:
Parce manus scelerare, pio vir parce cruori.
Ipsi hac cælicolæ placidi portenta refutent,
Iudæosq; petant solos, generiq; minentur.
Talibus auditis, Solymos animo acrior vrget
Romulides, certus vesano obstare furori.
Iamq; minis agit, & dictis haud amplius arcet
Mollibus insanos, & non toleranda frementes.
Iamq; videbatur demptis dimittere vinclis
Velle virum, & tantis se tandem soluere curis.
Sensit atrox Erebo vmbrarum regnator in imo
Æternam seruans memori sub pectore curam:
Ingemuit, vinciq; animo indignatus amaro est.
Protinus horriferum latebrosa ab sede Timorem
Euocat atrum, ingens & ineluctabile monstrum.
Tristior haud vlla est vmbrosis pestis in oris
Scilicet, atq; hominū egregijs magis æmula cœptis.
Frigus ei comes, & deiecto Ignauia vultu.

Extem-

Extemplò hanc superas torpentē ascendere ad auras
Imperat, intonsi qua molli vertice surgunt
Phœnicum montes, Solymorumq́ alta subire
Mœnia, ut Ausonij flectat ducis aspera corda
Deijciens, subigatq́ metu desistere cœpto.
Iussa facit: sibi nigranteis accommodat alas
Nocturnarum auium, inq́ atros se colligit artus.
Iamq́ emensa via tractus obscœna volucris
Purpurei crebra ante oculos se præsidis ecce
Fertq́ refertq́ volans circùm importuna, sonansq́
Nunc pectus, nunc ora nigris euerberat alis,
Immisitq́ gelu, & præcordia frigore vinxit.
Diriguit visu subitò, atq́ exalbuit ille,
Surrectæq́ comæ steterunt, gelidusq́ per ossa
Horror ijt, genua ægra labant: vox faucibus hæsit.
Quem simulac ciues sensere insueta timentem,
Pallentemq́ genas, & toto corpore versum,
His subitò arrepto clamantes tempore dictis
Aggressi, Iste ausus vulgo se fingere regem,
Aspirat sceptris, regisq́ affectat honores.
Quem si fortè neci mauis subducere, nec te
Crimina tanta mouent, Iudæas protinus vrbes
Seditione potens Romanis legibus, omnemq́
Artibus auertet Syriam ditione Quiritum.
Res igitur tibi si curæ Romana, decusq́
Cæsaris, hanc superis pestem citus aufer ab oris,
Hauriat ut meritas haud vno crimine pœnas.
Ne gentem repant contagia dira per omnem.
Talia perstabant vno omnes ore frementes.

Dux

Dux verò expertus genus intractabile, regis
Palluit ad nomen (præcordia ad intima sæuit
Subdita pestis enim) nec iam superantibus obstat
Amplius, & sese victus cedénsque remittit,
Haud vltra potis insano pugnare furori:
Ceu cùm rostratæ sese opposuere triremi
Protinus aduersi medijs in fluctibus Euri,
Luctatur primùm celsa de puppe magister,
Hortatúrque viros validis insurgere tonsis:
Demum vbi se niti contra intolerabile cælum
Incassum videt, ac ventos superare furenteis,
Vertit iter, quocunque vocat fortuna per æquor
Multiuium, atque auris parens subremigat æger.
Haud tamen abstinuit verbis, vocíve pepercit.
Verùm, vincor, ait, nec habet vestra ira regressum:
In me nulla mora est: moriatur crimine falso
Damnatus: vos triste manet, speróque propinquum
Supplicium: vos sacrilego seriq; nepotes
O' miseri meritas pendetis sanguine pœnas.
Sic effatus, aquam plena iubet ocyus vrna
Afferri, abstergénsque manus hæc addidit ore:
Vt nunc his manibus maculæ absunt, sic mihi nullũ
Hæc in cæde nefas, méque omni crimine soluo.
Dixit, & exurgens solio intra tecta recessit.
Illi autem, Deus hæc nobis gnatisq; reseruet,
Instaurétque graues pœnas, quascunque meremur.
Hæc dum porticibus populo spectante geruntur
Vestibulum ante ipsum, famuli ducis ædibus intus
Armati illudunt capto, irridéntque silentem,

Quodq́; illum populi regem optauere per Vrbem,
Purpureis ornant tunicis ostróq; rubenti,
Atque altè effultum sublimi sede locarunt.
Pro capitis crinali auro regúmque corona
Sentibus obnubunt flauentia tempora acutis:
Pro sceptro datur insigni fluuialis arundo.
Tum populo læti portis bipatentibus omni
Ostendunt plausu magno, regemq́; salutant.
Haud aliter ludo pueri cùm ex omnibus Vnum
Delegere ducem, socijs qui sponte subactis
Imperitet, læto cuncti stant agmine circùm
Condensi, assurguntq́; omnes, regisq́; superbi
Iussa obeunt ludicra, ingens it ad æthera clamor.
Tali intus famuli indulgent manus effera ludo.
Dehinc iuueni Vestis obtentu lumina inumbrant,
Diuinumq́; caput palmis & arundine pulsant.
Hic digitis Vellit concretam sanguine barbam,
Ille oculos in sidereos spuit improbus ore
Immundo, & pulchrum deformat puluere corpus.
Nec mora, nec requies, Versantq́; agitantq́; ferētem
Omnia, nec Verbis Vllis indigna querentem,
Nec dare permittunt iam lumina fessa sopori.
O dolor, heu species inhonesta, indignaq́; Visu!
Non siluis auibus frondes, non montibus antra
Quadrupedum generi desunt, Vbi condere sese
In noctem, atque suos poßint educere fœtus:
At rerum Auctori, cæli cui regia seruit,
Omnibus in terris desit locus, omnibus oris,
Quo caput acclinet, fessusq́; in morte quiescat.

Tum vero Solymi victores cuncta parare
Supplicia, atque omnes pœnarum exquirere formas,
Perferat vt sæuos crudeli morte dolores.
Iamq; illum erecto properant distendere ligno
Affixum, & lenta paulatim perdere morte.
Nec mora, diffindunt malos: sonat acta securis,
Altaq; quadrifidis fabricatur roboribus Crux,
Tormenti genus. hac olim scelera impia reges
Vrgebant pœna, sontésque hac morte necabant,
Difficiles miserorum obitus, longiq; dolores.
Tum neque honos erat, infami neque gloria trunco.
At nunc numen habet: sanctũ & venerabile lignũ
Suppliciter cuncti colimus, sacrisq; minores
Argento atque auro contectum imponimus aris,
Et lætum ex illo memores celebramus honorem.
Illa etiam cælo fulgebit lampadis instar
Aethereæ, & totum lustrabit lumine mundum,
Cùm dabit exitio vna dies animalia cuncta,
Interitumq; feret rebus mortalibus ignis.
Vix terris lux alma aderat, cùm iam vndique tota
Vrbe ruit studio visendi accita iuuentus,
Implenturq; viæ, concursúq; omnia feruent.
Et iam purpureos habitus insignia ludicra
Exutum, vinctúmq; manus clamore trahebant
Dirum ad supplicium magna sectante caterua.
Per medios longis raptatus funibus ibat
Semianimisq;, artúsque tremens, plagisq; cruentus
Nocturnis, humeroq; trabem duplicem ipse gerebat
Præcisis grauidam nodis, ac robore iniquo,

Qua super infando mortales linqueret auras
Supplicio, & duros finiret morte labores.
Armati circunsistunt, clypeatáque iuxtà
Agmina densantur, collucent spicula longè,
Spiculaq; & rubris capitum caua tegmina cristis,
AEreaq; alterno conspirant cornua cantu.
Pars pedes insequitur: pars sese lucidus altis
Fert in equis: resonant colles clamore propinqui.
Multi autem quorum melior sententia, flebant:
Præcipuè matrésq; piæ, mitésque puellæ,
Cernentes nudis pedibus per scrupea saxa
Tendere, & offendi crebrò ad salebrosa viarum,
Dum monte aduerso protrudit robur iniquum,
Ad quas suspirans Heros sic ore loquutus,
Ne verò, ne me matres indigna ferentem
Flete piæ, vobis potius deflete propinquum
Exitium, & vestris hinc debita præmia natis.
Sic fatus linquit non æquis passibus vrbem.
Intereà Superûm Rex tanto in cardine rerum
Verticis ætherei sublimem euasit ad arcem.
Mortalis Nati lethum vt crudele videret
Ipse sui spectator. eum gens incola cæli.
Aligeri stipant cunei, & comitantur euntem.
Est templum gemmis interlucentibus auro
E' solido factum sublimi in vertice Olympi,
Tectum immane, ingens, superi penetrale Parentis,
Sidera despiciens subterlabentia mundi.
In medio cliuus duro ex adamante tumescit
Paulatim exacuens instar fastigia pinus:

Mult

Multiplices circùm sedes subtérque supráque
Dispositæ, gradibúsque nouem super æthera surgunt.
Conueniunt huc cælicolæ, Regémque canendo
Ingressi Thiasis lustrant: se sedibus inde
Omnes composuere suis, tumulúmque corusci
Ter latè circùm terna cinxere corona
Secreti ordinibus certis. neque enim omnibus æqua
Conditio, virésq; pares, eademq́; potestas.
Verùm, alijs alij vt præstant, ita rite locantur,
Munere quisq; suo contenti, ac sorte beati.
In medio Pater omnipotens solio aureus alto
Sceptra tenet, lateq́; acie circùm omnia lustrat
Totus collucens, totus circùm igne corusco
Scintillans, radijsq́; procul vibrantibus ardens.
Mox autem infaustis Iudææ lumina tantùm
Defixit terris, tristemq́; ante omnia collem
Spectabat gens mæsta simul spectabat Olympi,
Collem infelicem, sacram egredientibus vrbem
Qui prior occurrit humanis ossibus albus.
Auctores scelerum pœnas ibi morte luebant
Informi circùm pendebant corpora passim
Arboribus truncis incocto lurida tabo.
Huc simul atque emensus iter miserabilis Heros
Peruênit, sensitq́; sibi crudele parari
Suppliciū, atq; trabem vidit iam stare nefandam,
Deiectos oculos porrò huc iactabat & illuc,
Omnia collustrans, comitum si forte suorum,
Siquem fortè acies inimicas cerneret inter.
Fidum in conspectu nullum: videt agmina tantùm

Saeua virûm, campisq; armis fulgentibus ardent.
Cari deseruere omnes diuersa petentes,
Non aliter quàm cùm caelo seu tactus ab alto
Pastor, siue ferae insidijs in valle peremptus,
Continuò sparguntur oues diuersa per arua
Incustoditae, resonant balatibus agri.
Iámq; trabē infandā scandēs, pendénsq; per auras
Horruit, atque Deum veluti se oblitus, acerbi
Pertimuit dirum lethi genus, aestuat intus,
Atque animum in curas labefactum diuidit acres,
Tristia multa agitans animo; totásque per artus
Pallentes misto fluit ater sanguine sudor,
Et patriam crebrò reminiscitur aetheris aulam.
Tum caelum aspectans haec imo pectore fatur,
Heu quianam extremis Genitor me summe periclis
Deseris? aut Gnati quò iam tibi cura recessit?
Audijt has summus voces Pater, audijt omnis
Caelestum chorus: ipse (alta secum omnia mente
Versabat Genitor, nutu haud oblitus agi rem
Nempe suo) stetit immotus, seséque repressit.
At circunfusos coetus, gentem aetheris alti
Aligeram, iniussos potis est vis sistere nulla.
Omnibus exarsit subitò dolor: omnibus ingens
AEstuat ira: volunt Nato succurrere herili,
Et prohibere nefas, duróque resistere ferro,
Bella cient: arma ingeminant, arma acriùs omnes.
Hic puer haud volucri extremus de gente recuruo
Aere vocare acies, quo non magis vtilis alter,
Ascensu superat celeri ardua culmina praepes,

Tum

Tum super axe sedens, roseiq; in vertice cæli
Signa canit belli: latus dissultat Olympus
Vndique, & insolito tremuerunt sidera motu.
Audijt & sonitum, siquem procul orbe remoto
Distinet incedens humili Luna humida gressu.
Audiuere, quibus generis custodia nostri
In terris olim sorti data, vastaq; tellus
Protinus ingenti tremuit concussa fragore.
Tum quos Rex Superûm varias legarat in oras,
Aëreos relegunt tractus, mandatáq; linquunt
Imperfecta, fugáq; poli super ardua tendunt.
Ac velut in pastus celsa quæ sede columbæ
Exierant varios, cùm tempestate repentè
Vrgenti cæco misceri murmure cælum
Incipit, & nigræ cinxerunt æthera nubes,
Continuò linquunt arua vndique, & ardua pennis
Tecta petunt, celeresq; cauis se turribus abdunt.
Iam passim ingentis properatur vertice Olympi.
Et toto ancipitis ferri cælo ingruit horror,
Aeratiq; sonant currus, gemitusq; rotarum
Audiri, sonitusq; armorum desuper ingens.
Tam vastos motus axis miratur vterque,
Miranturq; ignes, cæliq; volubilis orbes,
Cùm tenues animæ, cùm sint sine corpore vitæ,
Sensibus à nostris quibus est natura remota.
Sæpe autem, seu mortales mittantur ad oras,
Siue opus in fratres olim capere arma rebelles,
Corporis affictisibi quisque accomodat alas,
Aëreosq; artus, simulacrúmq; aptat habendo,

Spiritus vt queat humanos admittere visus.
Ergo illi rapido circundant turbine densa
Corpora sub nostros etiam venientia sensus.
Circundantq́; humeris desueta micantibus arma
Aetheris arisono subitò de poste refixa
Calicolûm exuuias, belli monimenta nefandi,
Quod socios olim contra gessere furentes.
Hic bonus armatur iaculis, hastamq́; trabalem
Crispat agens, rapit ille faces, rapit ille sagittas,
Suspenditq́; humeris lunatum ardentibus arcum:
Atque alius palmas insertat castibus ambas:
Pars tereti funda dextram implicat: omnibus ensis
Aureus in morem vagina pendet eburna:
Infrenant alij cæli per cærula currus:
Cætera pars pictis librare celerrima pennis
Corpora: non eadem vis omnibus ipsa volandi:
Mobilitate vigent varia: pars remigat alis
Binis alternante humero, pars ordine ad auras
Tollunt se triplici pennatis vndiq; plantis,
Haud vnam in faciem: sed nec color omnibus idem.
Nanque hos punicea cernas effulgere pluma
Flammipedes, igni assimiles rutilantia terga:
Herbarũ hos speciem, viridesq́; referre smaragdos:
Terga illis croceo lucent circunlita luto:
Centum alijs alij pinxere coloribus alas.
Qualis vbi, exactos post æstus arbore ab omni
Exornat pomis se versicoloribus annus,
Et caput Autumnus circunfert pulcher honestum.
Et iam pennipotens liquidis exercitus ibat

Tractibus, ac volucri cingebant agmine cælum,
Millia quot nunquam nascentum ab origine rerum
Visa hominum in terris coïsse: ter agmina terna,
Térque duces terni: toto dux vertice supra est
Nuper Iapygij Gargani è vertice vectus
Armipotens, veteris quem quondam gloria pugnæ
Sublimem, longéq; alios super extulit omneis,
In medio ibat ouans, galea cristisq; superbis
Aureus, & longè gemmis lucentibus ardens:
Nunc etiam spolia edomiti, fuluamq; draconis
Pellem ostentabat spiris ingentibus, ipsumq;
Innixus tergo pedibusq; hastáque premebat.
Arma procul radiant: umbo vomit aureus ignes:
Stellantiq; procul micat ensis iaspide fulgens.
Ventum erat ad cæli portas. Hic omnibus ira
Incaluere magis, belli ut monimenta prioris
Sunt oculis oblata. Vident nam turribus altis
Pendentes currus, suspensáq; postibus ara,
Spiculaq; & clypeos, victis de fratribus arma
Olim immane nefas cælo crudeliter orsis,
Dum frustrà aspirant sceptris felicis Olympi
Immemores. victiq; animis, & vana tumentes,
Quos ipsi contra steterant meliora sequuti,
Æthereq; expulerant certamine debellatos.
Quam pugnā in foribus quondam celarat aënis
Artificum manus, atque operoso impresserat auro.
Cernere erat liquidas cæli pendere per auras
Hinc acies, atq; hinc acies certamen adortas,
Nunc huc, nunc illuc ultrò citroq; volare,

AEtheraq; in medio venientibus obscurari
Missilibus, iam iam certari cominus armis,
Miscerique acies, & iam queis spicula deerant,
Crinibus implicuere manus hostilibus uncas,
Suspensósque comis circùm per inane rotabant.
Iámque hos paulatim concedere, desuper illos
Vrgere aspicias, donec toto æthere versi,
Palantésque fugæ simul hostes terga dedere,
Præcipiti assimiles nimbo, atque procacibus austris.
Nam Pater omnipotens armatus fulmine dextram
Deturbabat agens, flammisq; sequacibus arce
Siderea: excussos Erebi domus atra recepit.
Pugnæ igitur superi admoniti, veterisq; trophæi
AEtheris ardebant fractis erumpere portis.
Iámque adeò euassent omnes, terrisq; potiti
Sontem incendissent oram, iámque urbibus igni
Correptis Iudæa nocens commissa luisses,
Ni Pater altitonans stellanti nixus Olympo
(Motus enim tanto subitò flagrante tumultu)
Cœpta redargueret, verbisq; inhiberet acerbis,
Bellum importunum cũctis haud mollia mandans.
Nam circunspiciens sibi centum astare ministras
Virgineas volucrum humana sub imagine formas
Hinc atque hinc videt, & nutũ obseruare paratas.
Quarum quæ placido mitis Clementia vultu est,
Eligitur numero ex omni, cui talia mandet,
Vade, ait, & volucri per cælum labere curru:
Fratribus hæc fer dicta tuis, non ætheris illis,
Non illis vasti commissas orbis habenas,

Vt

Vt ferro iniussas meditantes edere pugnas
Omne ausint miscere meo sine numine cælum,
Terrámque, & tantos animis accendere motus.
Considant,positisq́ adsint huc ocyus armis.
Dixerat:illa viam raptim secat alite curru,
Et Patris ingentes passim denuntiat iras,
Ni redeant,positisq́ quiescant protinus armis.
Addunt se comites Pietas Paxq́ aurea:it vnà
Spesq́,fidesq́,piúq́ parens placidissima Amoris.
Omnibus in manibus rami canentis oliuæ.
Quaq́ egere viam,videas procul ilicet arma
Proijcere,& studijs cunctos mitescere versis.
Iamq́ in conspectu positis exercitus armis
Regis adest,dicto parentes,sede locarunt
Ordine sese quisque sua,paritérque quierunt.
Hic tum nimbipotens Genitor circumtulit ora
Ter torquens illustro caput,ter cardine moto
Terribilem increpuit sonitum:dein farier infit.
Quæ superi vetitum contra hæc insania ferri?
Quo ruitis?quiáne auxilio subsistere nostro
Non queat ille,meæ aut sint fractæ denique vires?
Ne sæuite animis,atque hanc deponite curam,
Quādoquidē haud fert hæc nostro sine numine nat⁹:
Scitis enim vt moriens crimen commune refellat.
Sic generi humano clausum stāt pandere Olympum.
Illum ideo duros volui exerc re labores,
Atque agere in terris extrema per omnia vitam,
Finibus exactum cunctis,inopem, omnium egētem.
Iamq́ ad supremum ventum,manet exitus illum

Hic hodie grauis insontem irreuocabile lethum.
Et morti caput ipse sua sponte obuius offert.
Nunc autem subito visu horruit, & timor illi
Confusam eripuit lethi ipso in limine mentem.
Quippe, Deum velut exutus, mortalis, inermis
Restitit, & telis mansit violabile corpus.
Nil aliter vis diuinos valuisset in artus
Vlla hominũ, & cunctis foret impenetrabilis armis.
Non adeò vires, non parua potentia nostra,
Vt nequeam, si versa retrò sententia, natum
Eripere in medio versantem turbine lethi.
Contra illum insurgant omnes ab origine rerum
Quicquid vbique hominũ natũ extinctũq; per auũ.
Nõ ita me experta est Babylõ, vbi ad astra gigantes
Tentauere vias educta turre sub auras:
Et poterant magnos manibus diuellere montes.
Nunc etiam fumant præfractæ fulmine turres,
Vt nimborum acies, tempestatúmque quiescant,
Quæ vastũ rapiant conuulsum à cardine mundum.
Ipse manu terras quaterem, cælum omne cierem
Diluuio cuncta inuoluens, me me ignibus atris
Nunc nunc accinctum, teloq; tricuspide dextram
Armatum mortale genus sæuire videret,
Hũc difflare globũ, hac paßim metere agmina ferro.
At sinite, aduenient (neque enim mora longior) vrbi
Tẽpus ei, frustrà hunc cùm magno optauerit emptũ
Haud tetigiße, genus cui ducitur æthere ab alto.
Sic ait, & moto tremefecit vertice mundum,
Terrifico quatiens tonitru cælestia templa.

Cont

Continuò Superûm furor acer & ira quieuit.
Prosequitur tantùm votis chorus omnis amicis,
Atque Deum è summo taciti miserantur Olympo.
Sicut vbi inclusi septis vacuo æquore campi
Pro laude ac decore accensi certamina miscent
Inter se æquatis iuuenes duo cominus armis,
Hinc spectat procul, atque hinc circunfusa iuuentus.
Tum si fortè alter minus ac minus vtilis, ore
Palluit, aut terra cecidit deceptus iniqua,
Consurgant fidi æquales, studijsq; sequantur,
Quàm vellent, nisi pacta vetent succurrere amico.
Stant ægri, & casum longè execrantur acerbum:
Haud secus indefensus, inermis restitit Heros,
Illum nudū Humeros, nudū omne à vertice corpus,
Directum longo malo applicuere furentes.
Nuda dehinc tendunt transuerso brachia ligno,
Diuersaq; ambas affigunt cuspide palmas
Hinc atque hinc: mucrone pedes terebrantur eodem
Confixi: largum manat de stipite flumen.
Instant vi multa: ferro ardua robora adacto
Dant gemitum: reboat diro stridore supinus
Mons circùm ingeminans, ictúsque resultat imago.
Tum supra caput & nomen, patriámque, necisq;
Inscripsere notis varijs in stipite causam.
Dextra autem læuáque duos gemina arbore fixos
Addiderant socios, quos ob commissa merentes
Legi supplicium ad iustum pœnámq; vocabant.
Verùm ipsum amborum in medio longè altius arbos
Extulerat, veluti scelerum exhortator & auctor

Aut

Aut furtis foret ante alios immanior omnes.
Infelix Solyma, infelix Iudaea propago
Vltro infesta pijs, non ipsis Vatibus aequa,
Haec digna hospitia, has sedesq; torósque parasti
Caelicolum regi? hos socios, hunc addis honorem,
Qui mortale genus propter delapsus Olympo
Sponte sub humana lustrauit imagine terras?
Hic genus ipse tuum Pharijs eduxit ab oris,
Et pedibus salsas dans ire impunè per Vndas
Marmoreum tibi strauit iter, pontúmque diremit.
Idem etiam te caelesti dape pauit euntem
Per deserta tuos miseratus Vasta labores.
Huius ope hausisti dulcem de caute liquorem,
Cùm procul & fontes & liquida flumina abessent.
Hic te posthabitis alijs longè omnibus Vnam
Gentibus elegit, meritis quam ad sidera ferret,
Muneribusq; suis sublimi aequaret Olympo.
Promeritũ his cumulas donis? haec digna rependis?
Non Vatum Voces, non te miracula rerum
Vlla mouent, aut non praesentia numina sentis?
Cui Vnquam scelerum auctori tam dira parasti
Supplicia? aut Vsquam quis tam crudeliter hosti
Acceptus tales luit alter corpore poenas?
Iamq; trabi applicitus tergo altè haerebat: in illum
Versi omnes obseruabant, quae funere in ipso
Signa daret, quae spes, aut quae fiducia Victo.
Ille autem tacitus iandudum cuncta ferebat,
Immotusq;: decor roseo nondum omnis ab ore
Cessit: adhuc oculis diuinum est cernere honorem.

Tam

Tantùm respersusq; genas, pallentiaq; ora
Humecta cruor, & misto cum puluere sudor
Plurimus, infectiq; rubent in sanguine dentes.
Qualis, qui modò carulea perfusus in vnda
Lucifer astrifero radios spargebat Olympo.
Si mundi species violetur clara sereni,
Et subita incipiat cælum pallescere nube,
Nondum omne occuluit iubar, obtusaq; nitescit
Pulcher adhuc facie, & nimbo tralucet in atro.
Intereà matris quam magnam nuper ad vrbem
Traxerat incertus rumor, certissimus aures
Nuntius impleuit Natum extra mœnia duci,
Ad mortemq; rapi captum, insidÿsq; subactum.
Palluit infelix, medÿsq; in vocibus artus
Diriguit: licet hæc Patris sciat omnia certo
Consilio fieri, atque ipsius numine Nati,
Altius ingenti tamen exuperante dolore
Cuncta oblita ruit: resonant plangoribus ædes
Fœmineis: frustra lacrymãtem, & acerba gemẽtem
Solantur fidæ comites: iamque illa per vrbem
Atq; huc atq; illuc errat, tristemq; requirit
Indefessa locum, nunc hic nunc hæsitat illic
Vestigans oculis, atque auribus omnia captans,
Sicubi concursum, voces aut hauriat vllas.
Ac veluti pastu rediens vbi vespere cerua
Montibus ex altis ad nota cubilia fœtus
Iamdudum teneri memor, omnem sanguine circum
Sparsam cernit humũ, catulos nec cõspicit vsquam
Continuò lustrans oculis nemus omne peragrat

Cum

Cum gemitu, tum si quà lupi, si quà illa leonis
Raptoris signa in triuijs conspexerit, illac
Insequitur tota obseruans vestigia silua,
Perque viam passim linquit pede signa bisulco.
Haud aliter, simulatque iugo prospexit in alto
Collis oliuiferi, latè qui maximus vrbi
Incubat, ingentem concursum, & lucida circum
Spiculáque, clypeósque, & fulgentes equitatus,
Per medios ruit, & cursum extra mœnia torquet.
Illam porticibus spectant, altisq; fenestris
Effusæ matres, longè & miserantur euntem.
Iámque hos, iámque ruens cursu præuertitur illos,
Vngula crebra licet volucrum proculcet equorum.
Addunt se flenti comites, paritérque sequuntur
Fidus Ioannes cum matre, atque innuba Martha,
Et soror, & Salome, & coniux ægra Cleopæ,
Cunctæ atro pariter velatæ tempora amictu.
Ecce autem videt infando iam proxima monti
Erectámque trabem, & scalas, defixáque signa.
Quanuis nescit adhuc quæ sint ea robora porrò,
Horruit illa tamen metuens, & pectus honestum
Térq; quatérque manu tundens pectúsque caputq;,
Hei mihi nescio quid moles, atque illa minatur
Machina triste (inquit) gentis scio acerba furentis
Circunfusa odia, & genus vndique Iudæorum
Iandudum nobis infensum exposcere pœnas.
Hoc erat, hoc tota insomnis quod nocte videbar
Cernere signum, olim Isacidæ quo summa notarunt
Limina, quisque suum fuso agni ritè per ædes

Sang

Sanguine post longa exilia, indignesq́ labores
Niliacis moniti furtim decedere terris.
Hæc memorans simul ibat. eam sine more ruentem,
Rumpentemq́ aditus per tela, per agmina densa
Reijciunt clypeorum obiectu, & longius arcent.
Iam magis, atq; magis non vani signa timoris
Clarescunt, propiusq́ in vertice conspicitur Crux,
Ingens, infabricata, & iniquis aspera nodis.
Vt verò informi mulctatum funere natum,
Affixumq́ trabi media iam in morte teneri
Aspexit coràm infelix, vt vidit aëna
Cuspide traiectas palmas palmasq́ pedesq́
Vulnificisq́ genas, fœdataq́ tempora sertis,
Squalentem vt barbam, turpatū vt sanguine crinē,
Deiectosq́ oculos dura iam in morte natantes,
Inq́ humerum lapsos vultus, morientiaq́ ora,
Alpino stetit vt cautes in vertice surgens,
Quam neq; concutiunt venti, neq; sæua trisulco
Fulmine vis cœli, aßiduus neq; diluit imber,
Hispida, cana gelu, longoq́ immobilis æuo.
Ipsi illam montes, ipsa illam flumina longè
Videre ingentem fessæ miserata dolorem,
Eq; sacro aëreæ lacrymarunt vertice cedri.
Filius at postquam pinu conspexit ab alta
Dilectam genitricem, animi miseratus in illa,
Vt potuit, subitò morientia lumina fixit
Semianimis, dulcemq́ oculis respondit amorem.
Mox sic exanguem visu, victamq́ dolore
Affari extremum, curasq́ auertere dictis:
B Hacte

Hactenus ô mulier stetimus: non te tamen agram
Tantus edat tacitè dolor: haud sine mente parentis
Hac ferimus, solo qui temperat omnia nutu.
Hic tibi pro nato (admotum nam fortè parenti
Vidit Ioannem lacrymantem, & multa gementem)
Semper erit. iuuenem mox idem affatur amicum:
Hac tibi erit genitrix, oro, tutare relictam
Tu saltem, & matris serua communis amorem.
His dictis lacrymas perculsis mentibus hostes
Non ipsi tenuere: fera ingemuere cohortes.
Hic demum matri rediit vox faucibus agra,
Ingentemq; dedit gemitum. tum robora largo
Tristis, inexpletum lacrymans lauit humida fletu,
Et tales amplexa trabem dabat ore querelas:
Nam quem te misera matri pulcherrime rerum
Nate refers? tain' voluisti occumbere letho?
Nec tibi noster amor subiit, ne funera adires
Talia, ne culpam alterius hac morte piares,
Et lethale dares misera sub pectore vulnus?
Heu quem te, nate, aspicio? tudne illa serena
Luce magis facies aspectu grata? tuine
Illi oculi? qua tam scelerata insania tantum
Ausa nefas? heu quàm nato mutatus ab illo,
Cui nuper manus impubis, omnisq; iuuentus
Occurrit festam venienti lata per vrbem,
Perq; viam vt regi velamina picturata,
Arboreasq; solo frondeis, & olentia serta
Sub pedibus strauere, Deum omnes voce fatentes?
His exornatum gemmis, hoc murice cerno?

At

At non certè olim præpes demissus Olympo
Nuntius hæc pauidæ dederat promissa puellæ.
Sic vna ante alias felix ego? sic ego cæli
Incedo regina? mea est hæc gloria magna?
Hic meus altus honos? quò reges munera opima
Obtulerunt mihi post partus? quò carmina læta
Cælestes cecinere chori, si me ista manebat
Sors tamen, & vitam cladē hanc visura trahebam?
Felices illæ, natos quibus impius hausit
Insontes regis furor ipso in limine vitæ,
Dum tibi vana timens funus molitur acerbum.
Vt cuperem te diluuio cecidisse sub illo?
Hos hos horribili monitu trepidantia corda
Terrificans senior luctus sperare iubebat,
Et cecinit fore, cùm pectus mihi figeret ensis.
Nunc altè mucro, nunc altè vulnus adactum.
Saltem huc ferte oculos vos ô quicunq; tenetis
Hac iter, & comitem dulci me reddite nato,
Quando nulla mihi superant solatia vitæ,
Atq; meo maior nusquam dolor. addite me me
Huc etiam, si qua est pietas, & figite trunco.
Aut vos ô montesq; feri, quaq; ardua cerno
Me supra frondere cacumina, parcite quæso
Vos saltem. vos ô nostro exaturata dolore
Respicite, & miseræ tandem succurrite matri.
Nunc nunc præcipiti casu conuulsa repentè
In me vnam ruite, & tantos finite labores.
Hos virgo, atq; alios dabat ore miserrima fl et
Nec comites possunt flentem illam abducere fidæ,

Attamen armati morienti illudere pergunt.
Estq; hosti duro in bello multo optimus hostis.
Crudeli quassant risu caput: vndiq; circùm
Insultant, tolluntq; has læti ad sidera voces:
En, qui se cœlo missum, superiq; parentis
Progeniem iactat, temploq;, vrbiq; minatus,
Seq; Deum fictor fundi mentirier audet.
I, sequere, illiusq; pius nunc numen adora.
Qui multos lethi eripuit de faucibus olim,
Non potis ipse sibi tali in discrimine adesse.
Falsus abest illi longè, nec talia curat
Nunc Genitor. sanè infami nunc liber ab orno
Desiliat, si numen habet, vincla omnia rumpat.
His quoq; nos signis missum credemus Olympo.
Talia iactabant, mediaq; in morte dolore
Semianimem hoc etiam cumulabant. cuncta ferebat
Ille animi inuictus: sæuis clementius æquo
Hostibus orabat veniam, patremq; rogabat,
Parceret ignaris rerum, cæcisq; furore.
At verò inter se aduersis decernere dictis
Auditi, pœnas qui iuxtà ob furta luebant
Supplicio æquali iuuenes gemina arbore fixi.
Alter enim furijs, longisq; doloribus actus
Ipse etiam verbis morientem Heroa superbis
Stringebat miser, ac tales dabat ore loquelas,
I nunc, & templi multa constructa virûm vi
Demolire adyta, & post treis rursum erige luces.
Nunc, tibi si genus è summo traheretur Olympo,
Eq; Deo genitore fores, vt te ipse ferebas,

His

His te, nos pariterq; malis prohibere liceret.
Verùm, omnes quando iactasti vana per vrbes,
Nobiscum moriere, Dei mentita propago.
Non tulit hæc alter, dextra qui in parte propinquum
Iam morti pendebat, & hæc extrema profatus,
Infelix, quæ tanta animo dementia sedit?
Nos ambo meritò luimus peccata: sed insons
Proditur hîc odijs. quin nos commissa fatentes
AEquius hîc fuerat veniam, pacemq; precari.
Sic ait: hinc Diuum conuersus lumina in ipsum
Talibus orabat, Superi tu certa parentis
Progenies (nam celsa manent te sidera) ab alto
Respice me, & dexter morienti protinus adsis.
Annuit, & verbis Deus est dignatus amicis.
Tu partem laudis capies, tu gaudia mecum,
Quæ me cunq; hodie, vna eadem te regna beatum
Accipient, ait: astra alacri iam concipe mente.
Vix ea, nam vita labentis fine sub ipso,
Dum luctante anima fessos mors exuat artus,
AEstuat: it toto semper de corpore sudor
Largior, & siccas torret sitis arida fauces.
Tum vix attollens oculos iam morte grauatos
Exiguum sitiens laticem suprema poposcit
Munera. Vix tandem corrupti pocula Bacchi
Inficiunt felle, & tristi perfusa veneno,
Ingratosq; haustu succos, inamabile virus
Arenti admorunt morientis arundine linguæ:
Quæ, simul extremo libans tenus attigit ore,
Respuit, atq; diu labris insedit amaror.

Interea magno lis est exorta tumultu,
Dum tunicam, nato genitrix quam neuerat olim,
Partiri inter se famuli certamine tendunt,
Exuuiasq; petunt. sed erat haud sutilis ipsa
Vestis, & in parteis ideo non apta secari.
Sorte trahunt igitur concordes. sic fore quondam
Prædixere sacri corda haud improuida vates.
Iamq; ferè medium cursu traiecerat orbem,
Cùm subitò ecce polo tenebris caput occulit ortis
Sol pallens, medioq; die (trepidabile visu)
Omnibus incubuit nox orta nigerrima terris,
Et clausus latuit densis in nubibus æther,
Prospectum eripiens oculis mortalibus omnem.
Hic credam, nisi cælo absint gemitusq; dolorq;
Æternum genitorem alto ingemuisse dolore,
Sidereosq; oculos terra auertisse nefanda.
Signa quidem dedit, & luctum testatus ab alto est.
Emicuere ignes: dissiluit conscius æther,
Concussusq; tonat vasto domus ardua Olympi,
Et cæca immensum percurrunt murmura cælum.
Dissiluisse putes diuulsi mœnia mundi.
Sub pedibus mugit tellus: sola vasta mouentur:
Tecta labant: nutant succussæ vertice turres.
Obstupuere humiles subita formidine gentes,
Et positæ extremis terrarum partibus vrbes.
Causa latet, cunctis magnum, ac mirabile visum.
Et populi æternas mundo timuere tenebras
Attoniti, dum stare vident calligine cælum.
Ipsam autem propior Solymorum perculit vrbem,

Ac trepidas strauit mentes pauor. Vndiq; clamor
Tollitur in cælum. sceleris mens conscia cuiq; est.
Templa adeunt subitò castæ longo ordine matres:
Incedunt mixti pueri intactæq; puellæ,
Perq; aras pacem exquirunt, quas ture vaporant
Suppliciter, sacrisq; adolent altaria donis.
Ecce aliud cælo signum præsentius alto
Dat Pater altitonans, & templum sæuit in ipsum:
Velum latum, ingens, quod vulgi lumina sacris
Arcet inaccessis, in parteis finditur ambas.
Et templi ruptæ crepuere immanè columnæ.
Iamq; Deus rumpens cum voce nouissima verba
Ingenti, horrendumq; sonans, en cuncta peracta,
Hanc insontem animam tecum Pater accipe, dixit,
Supremamq; auram ponens caput expirauit.

M. HIERONYMI VIDAE CHRISTIADOS

LIBER VI.

IAmq; nigrescenti properabat vesper Olympo:
Corpora adhuc stabant inhumata, infletaq; cano
Vertice, stipitibusq; etiam nunc fixa manebant.
Talia Iosephus veniens Arimathide ab ora.
Non tulit egregiusq; animi, præstansq; iuuenta,
Et bellis assuetus, agri ditissimus idem,
Atq; auri. is Christi miratus maxima facta
Addiderat comitem modò se, quocunq; vocaret.

Ergo dum ſiluis alij formidine turpi,
Speluncisq́ue vagi paßim conduntur in altis,
Protinus ipſe animi intrepidus, fretusq́ue iuuenta
Aggreditur gentis rectorem, ac talia fatur,
Optime Romulidûm te cari in cæde magiſtri,
Quem gens noſtra odijs letho mulctauit iniquis,
Fama pias ſeruaſſe manus, cæcumq́ue furorem
Aduerſus totis nequicquam viribus iſſe.
Scis falſa exceptum ſub proditione, quòd illis
Obſtaret coràm ſcelera vrgens impia verbis.
Quod potes, exanimum terræ ſuccedere corpus
Da ſaltem, ſocijs caſus ſolamen acerbi.
Ipſe nouo condam, mihi quod de more paraui,
Funera mecum animo dum verſo incerta, ſepulcro.
Pontius hæc contra: Vt potius concedere viuum
Nunc corpus cuperem, vos veri conſcia teſtor
Numina, tentaui verſans mecum omnia, ſi quà
Inſontem morti excipere, ac dimittere poſſem.
Et nobis pietas colitur, ſanctiq́ue penates.
Sed nihil inuita tandem profecimus vrbe:
Crudelis vicit gentis furor. ite, ſepulchro,
Muneribusq́ue pij exanimum decorate ſupremis.
Dixerat: ille gradus monteis contendit in altos.
Cui ſeſe comitem iungit Nicodemus, & ipſe
Multum animo cari concuſſus funere amici.
Iamq́ue propinquabant paribus veſtigia curis
Figentes, vnde infauſtus de colle videri
Iam poterat locus: ecce autem fulgentia circùm
Arma vident, cinctumq́ue armato milite cliuum.

Nam,

Nam, ne luce sacra pendentia corpora truncis
Solennem funestarent læta Vrbis honorem,
Primorum missu armatæ venere ministri,
Semineces qui stipitibus de more refixos
Hoc ipso iniecta tumularent vertice arena.
Stabant, supplicium meritum qui hinc inde luebant
Semianimes, & adhuc spirantes funere in ipso
Optabant duros letho finire labores,
Et montem implebant lacrymosis vocibus omnem.
Protinus hinc, atq; hinc longis hastilibus instant
Armati, franguntq; viris tabentia crura
Et miseris mortem properant, trabibusq; refigunt.
Deinde caua infodiunt proiecta cadauera terra.
At simul exanimem, qui nostra ob crimina pœnas
Pendebat, videre, manum abstinuère, nec vltrà
Sunt passi sæuire in cassum lumine corpus
Mirati properos obitus, collapsaq; membra
Tam citò, & ora modis iam tum pallentia miris.
Quidam etiam vidisse ferunt pendère per auras
Caliuagos iuuenes feralia robora circum
Plaudentes alis, niueaq; in veste coruscos
Diuinum multo stillantem è vulnere rorem
Suscipere, & superas pateris perferre sub auras.
Hic ausus solus, læto cui lancea ferro,
Longinus sanctos violare ignobilis artus,
Irruit, & longa transuerberat abiete costas.
Intepuit ferrum, sanctum ebibit hasta cruorem.
Vulnere quo perhibent bicoloris fluminis instar
Et purum laticem, & rorem exiliisse rubentem.

Diluta est humus. erubuerunt gramina circùm.
Huc sese in medios Arimathes Vrbis alumnus
Infert, conscenditq; trabem, atq; exangue magistri
Detrahit, & densis procul aufert corpus ab armis
Veste tegens, modò quam tales mercatus in vsus.
Huc volucres pueri, cæliq; effusa iuuentus
Ferte pedem: æterni largum date veris honorem:
Pallentem violam calathis diffundite plenis.
Narcissiq; comas, ac mœrentes hyacinthos,
Et florum nimbo diuinum inuoluite corpus.
Ecce autem latè rebo ant plangore propinqui
Fœmineo montes: responsant flebile saltus.
Omnia flere putes sola lamentabile lethum.
Ipsa sedet viuo genitrix mœstissima saxo
Ægro corde, comis passis, totoq; cruentum
Heu natum complexa sinu, miserabile corpus.
Atq; oculos fouet ore, patensq; in pectore vulnus.
Nec iam vllos gemitus, nec iam vllos amplius edit
Singultus: magno sed enim exanimata dolore
Frigida, muta silet, gelidoq; simillima saxo,
Circunstant aliæ tunsæ omnes pectora palmis.
Pars calidis corpusq; lauant, & vulnera lymphis.
Textilibus membra inuoluunt pars squalida donis.
Hæc siccat fuso rorantia genua capillo
Vulneribus super accumbens, hærensq; cruentis,
Oscula dat manibus, pedibusq; rigentibus illa.
Indulgent omnes lacrymis, tristiq; vlulatu
Cuncta replent. Vix inde viri diuellere possunt
Ipsi etiam guttis humentes gradibus ora.

Tum

Tum corpus miseras solati exangue sepulcro
Condunt marmoreo, atq; affati extrema recedunt,
Et magnam comites genitricem in tecta reportant:
At Solymos penitus nondum omnis cura reliquit,
Sollicitos sed adhuc timor acer corda premebat:
Sæpe etenim audierant socijs mœrentibus hostem
Sese olim superas rediturum lucis ad auras
Promisisse, palamq; sacros id prodere Vates.
Id Veriti armatos subitò misère Viros qui
Noctes atq; dies seruarent flebile bustum,
Ne fortè auferret furto quis nocte sepultum,
Et totam impleret falsis rumoribus Vrbem,
Defunctum Vita rediisse ad luminis oras,
Vitalesq; auras haurire, atq; æthere Vesci.
Aura Veni afflanti patris omnipotentis ab ore:
Aura potens cæli numen, Superûmq; Voluptas,
Quicquid adhuc superat mihi dira è cæde dolorum
Mente fuga, lætosq; animi nunc reffice sensus,
Et placidos per membra riga mihi numine motus.
Sit fas lætitiæ sentire in pectore lapsus,
Lætitiæ, qua gens fruitur felicis Olympi,
Larga Vbi lætifluo passim torrente redundant
Gaudia, nec fines nouit diffusa Voluptas.
Vertitur hîc rerum facies, hîc gaudia nostra
Incipiunt: longè in melius Versa omnia cerno.
Iam Deus, Vt sacros Vates, & sancta piorum
Concilia educens tenebris inferret Olympo,
Corporeis liber Vinclis concesserat imos
Spiritus ad manes, animarum regna silentum,

Per cæcos aditus, & præcipites anfractus
Solis inaccessos radijs, loca nocte perenni
Obsita, terrificam cæcæ formidinis aulam.
Hic stabulant, viuisq; tenent imperuia regna
Noctiuagi fratres, superi quos ira Parentis
Cælo immane nefas animis excussit adortos,
Tartareisq; genus miserabile mersit in antris,
Quando illos tenuit regnandi tanta cupido.
Nunc miseros pœnis manes miseri magis ipsi
Exercent, vinctosq; tenent nigrantibus oris.
Interiora habitant barathrum irremeabile clausæ
Crudeles animæ, ad Superos dum vita manebat.
Nunc merita expendunt vasta fornace sepultæ
Supplicia, vndantemq; ferunt caligine fumum,
Ignis ibi æternus, semper noua flamma renascens.
Innocuæ circùm sedes, secretaq; longè
Atria circuitu longo: hic incendia nulla,
Nulli obsunt penitus flammis vltricibus ignes:
Vmbrarum sed iners requies, penitusq; silentis
Mundi temperies: secreta his sedibus æuum
Insontes degunt animæ, quibus haud sua damno
Admissa: at primi scelus exitiale parentis
Detinet hic clausas, nostra nil lucis egentes,
Pœnarum prorsum expertes, nisi luce carerent
Iucunda, qua gens gaudet stellantis Olympi.
Hic patres sanctum genus antiquissima proles,
Qui vitam vinclo nullo, non legibus vllis
Compositam incultos primi degêre per agros
Inter oues patrio tantùm se more tenentes,

Iustitiæ memores vltrò, rectumq́ colentes.
Hic vatesq́ pij, qui quondam numine pleni
Ventura intrepidè magnas cecinere per vrbes,
Quiq́ dedere orbi leges diuina reperta,
Quosq́ datis olim iuuit parêre volentes,
Matronæ atq́ viri, vitaq́ in limine rapti:
Omnibus vnus amor, cæliq́ arrecta cupido.
Et iam promißi memores tum fortè per vmbras
Sæcla recensebant tacitis voluentia lustris,
Ducebantq́ animis finem aduentare malorum.
Atq́ hæc inter se læti sermone ferebant:
En tandem voluenda dies, en imminet illa,
Cùm lucem liceat supera & conuexa tueri.
Hanc claro Pater omnipotens manifestus Olympo
Ostendit nobis diuino numine plenis.
Nos alijs subito mortalibus ore canentes
Optandam votis venienti liquimus æuo.
Iam iam aderit lux nostra, Dei indubitata propago.
Ille erat, ille feri sub imagine sæpe leonis
Ostensus nobis oculos caligine preßis,
Vnus pro multis qui sese proderet vltro
Morti, defensosq́ daret nos hoste subacto.
Vicit io tandem leo magni à sanguine Iudæ.
Dauidæ genus: ò paßim gaudete beati
Mortales, gaudete animæ iam corpore functæ.
Iam vos astra vocāt: nunc, quæ tot clauditur annos,
Ianua siderei nobis aperitur Olympi.
Iamq́ erit, vt, nostris promissum vocibus olim,
Lætitia exultant montes, collesq́ resultent

Pamp

Pampineis vincti formosa cacumina sertis,
Quales creber agris aries, ouiumq; minores
Subsiliunt fœtus, molliq; in gramine ludunt,
Balatus matrum dum per iuga longa sequuntur.
Ipsi iam fontes, ipsa & vaga flumina passim
Melle fluant, niueo passim vaga flumina lacte,
Lacte mero, & dulci distillent nectare rupes.
Talia perstabant memorantes. cuncta fremebant
Intus lætitia ingenti, plausuq; secundo.
Sicut vbi ciues longa obsidione tenentur
Vrbem intra, & vallum, portarumq; obice tuti,
Dum circùm sonat, atq; in muros arietat hostis.
Tum si fortè acies procul auxiliaribus armis
Aduentare vident socias è turribus altis,
Consurgant, animosq; alacres spe ad sidera tollant.
Ecce autem foribus succedens maximus vltor
Haud cunctatus adest diuina luce coruscus,
Porta ingens aduersa manet centum ærea vastis
Vestibus, æterni postes. hanc nulla neq; igni
Vincere vis valeat, neq; duri robore ferri.
Constitit hîc Deus, ac dextra stridentia claustra
Impulit: intremuit quo latè exterrita tellus
Impulsu, vaga contremuerunt sidera mundi,
Regiaq; vmbrosis immugijt atra cauernis.
Ad sonitum horrifico aduentu de vallibus imis
Lucifugi raptim trepido adsunt agmine fratres
Humana facie crurum tenus, inde dracones.
Tum rudere insuetum, dirumq; è faucibus ignem
Efflare, atq; domum piceo omne inuoluere fumo.

Contin

Continuò patuere fores. procul ecce repentè
Sponte sua absiliunt conuulsi à cardine postes.
Apparet confusa intus domus, altaq́ circùm
Atria, rarescunt tenebræ, & nox cæca recessit.
Nam Deus haud secus obscuris conspectus in antris
Perstringens oculos diuina luce refulget,
Quàm cùm gemma ignes splendore imitata corusco
In noctem thalamis lucet regalibus, atrasq́
Exuperat tenebras, largo & loca lumine vestit
Purpurea circùm perfundens omnia luce.
Vt verò in medijs Diuum penetralibus hostes
Videre, & faciem inuisam agnouere per vmbras
Ardentem radijs, ac mira luce coruscam,
Protinus aspectu subito terrentur, & imas
Coniiciunt sese in latebras, linguaq́ remulcent
Commissas vtero caudas, stratiq́ tremendum
Nequicquam vmbrosis in spelæis vlularunt:
Quales, quæ celsis habitantes alpibus Euros
Semiferæ gentes semper patiuntur, & imbres,
Romanus si fortè procul fulgentibus armis
Ora exertantes antris videre phalangas,
Fumosa extemplò palantes tecta relinquant,
Dispersiq́ iugis, si qua altius exit in auras,
Rupe sedent, longeq́ duces mirantur euntes.
At casti circùm manes fulgore repentè
Lustrati passas tendunt ad sidera palmas,
Lætitiaq́ fremunt subita, lacrymasq́ dedêre.
Nec saturare queunt animos oculosq́ tuendo.
Tum læto vltorem propiùs clamore salutant

Vnà

Vnà omnes: Vt te cæli lux clara sereni
Optatum aspicimus, nec nos spes nostra fefellit,
Qui reuehis mundo primo concessa parenti
Munera, & humanũ gen⁹ omne in pristina reddis,
Ignotásq; vias aperis ad sidera cæli?
Venisti: ætherea facies tua lampadis instar
Diffulsit, tandemq; oculis lux reddita nostris.
Sed quibus exhaustum ærumnis, quantisq; procellis
Iactatum accipimus? (nigras ea fama sub oras
Detulit) indigno quis sanctum vulnere corpus
Fœdauit? quæ nam hausta tuo intepuisse cruore,
Quod ferrum tulit? an tantum mortalibus vllis
In terris licuit scelus? ô quæ clausa remotis
Æquora littoribus terrarum cingitis orbem,
Quæ vos, quæ tenuere moræ? quibus abdita claustris
Letho opifex tam crudeli cùm vester obiret?
Vos tum diluuio mortalia cuncta decebat
Obruere, & terras penitus delere nocentes.
Nósne per hæc superi soboles certissima regis
Vulnera seruamur? non ò non præmia tanti,
Non tanti ipsa salus erat olim nostra. tua ingens
Hæc pietas, adeón' tibi cura incommoda nostra.
O hominum dulcis requies, superúmq; voluptas?
Nos patris auersi nostro iritauimus iras
Crimine, tu diras soluisti sanguine pœnas.
Talia per campos iactabant vndiq; inanes.
Tum læti obscuro pariter se carcere promunt,
Vltoremq; Deum supera ad conuexa sequuntur,
Sedibus vt placidum degant stellantibus æuum

Felices animæ gens iam defuncta periclis
Humanis, secura operum, secreta laborum.
Primus it ipse hominum generis pater antè, nec ora
Conscius antiqua noxa audet tollere cælo:
Primores procerum inde alij non vana futuri
Pectora, queis niuea velantur tempora vitta.
Ingemuere illi, quos ob commissa cremandos
Sorbet in abruptum, fundóque exercet in imo
Tartarus, eructánsque incendia dira caminus.
Vnde animis miseris nullo patet exitus æuo.
Præcipuè rex ipse aulæ illætabilis alto
Cum socijs mærens duci suspiria corde,
Et fortunatis sedem, quam liquerat ipse,
Inuidet æthercam furijs immanibus actus.
Illi iter ad cæli debentia regna tenebant
Aëra per tenerum læti, regémque canebant
Felices animæ quibus est in sæcula vitæ
Iam nunc parta quies, præclusáque ianua lethi.
Applaudunt volucres purum tranantibus auræ.
Subsidunt Euri, fugere ex æthere nimbi,
Arridétque procul clari liquidissima mundi
Tempestas: cælo arrident rutila astra sereno.
Assurgit matutinis aurora volucrum
Cantibus: assurgit rubefacta Vesper ab æthra.
Atque ea dum longè vastum per inane geruntur,
Iam lux Eois properabat tertia ab oris,
Et pater omnipotens nato immortalia membra
Illustrans penitus diuinum afflauit honorem,
Quódque fuit mortale modò, & violabile corpus,

Immortale dedit. non tanta luce sereno
Sidera clara polo, non aureus ipse nitet Sol.
Ceu qui per noctem imposito cinere obrutus ignis
Delitet, & nusquam tecto se lumine prodit,
Siquis eum flabris exuscitet arida circum
Nutrimenta ferens, subitis ad tecta fauillis
Emicet, & totas lustret splendoribus ædes.
Talis, vbi turpe irrepsit senium, vnicus ales,
Congessitq́ sibi ramis felicibus altum
Summo in colle rogum, posuitq́, in morte senectam,
Continuò nouus exoritur, nitidúsque iuuenta
Effulget cristis, & versicoloribus alis.
Innumeræ circùm volucres mirantur euntem.
Ille suos adit AEthiopas, Indósque reuisit.
Iamq́ adeò in terris hominibus miranda pauentes
Terruerant animos visa. Vmbris orbe fugatis
Sole recens orto mæstißima Magdalene
Amißi desiderio perfixa magistri
Cum socijs ibant prima sub luce ferentes
In gremijs molles patriæ felicis odores,
Myrrhamq́, & costum, spicaq́ vnguenta Cilissa
Supremum tumulo munus, varióque ferebant
Multa inter sese tristes sermone per agros:
Nos miseras, quas non secum lacrymabilis heros
Duxerit ad lethum: vigiles quis fallere nobis
Custodes dabit? aut quis grandia saxa sepulcro
Euoluet clauso, vt saltem fungamur inani
Munere deserto soluentes debita busto?
Talia fundentes tumulum venere sub ipsum,

Iactantésque oculos faciles huc plurima, & illuc
Milite conspiciunt collem, & custode vacare,
Claustráque mirantur secum patefacta sepulcri.
Accedunt: at vbi tumulum conspexit inanem,
Naribus vnde ingens fluctus se euoluit odorum,
Hoste putans clàm sublatum pulcherrima virgo
Flebat, incornatum vellénsque à vertice crinem
Et nemora, & montes gemitu, siluasq; replebat:
Cui iuuenis subitò effulgens in vestibus albis
Aligerum genus, & cæli de gente, Quid inquit,
Quæritis ò matres? longo iam parcite luctu,
Atque animis mæstum tandem reuocate timorem.
Lætitiam certa iam spe præsumite vestram,
Quandoquidem quem vos adeò lugetis ademptum,
Funestaq; trabi fixum, vt scelus omne piaret,
Vestráque sponte sua deleret crimina morte,
Vnus pro cunctis Erebi iam rege subacto
Manibus ex imis has rursum lucis in oras
Victor iit, superaq; etiam nunc vescitur aura
Corporis ablutus quæcunque obnoxia morti.
Hæc ait, & nubi volucer se immiscuit atra.
Ipsa etiam res ecce oculis oblata repentè
Firmauit dubiúmque animum, tenebrasq; resoluit.
Nanq; moræ impatiens, atq; acri saucia amore
Dum virgo sedet, ac miratur inane sepulcrum,
Artificumq; manus, videt ipso in marmore fictum
Littus arenosum, porrectum in littore piscem,
Fluctiuomū ingentem, nant æquore qualia in alto
Mole noua ignaros nautas terrentia cete,

 Mónstr

Monstrum turpe, atrum, spatiosi bellua ponti,
Cuius ab Vndiuomo Vates imperditus ore
Redditus aëreas rursum Veniebat ad auras.
Tum secum: Superi nunc ô nunc Visa secundent
Præsentes: Veterum agnosco non Vana futuri
Signa, inquit: nempe, Vt monstri deformis in atro
Treis Vates latuit luces, treis gutture noctes
Ingluuiem passus, Vastaq; Voraginis antrum,
Sic heros multum ad superos defletus amicis,
Inclusúsque cauo saxo, terráque sepultus
Delituit, sæpe Vt (memini) prædixerat ipse,
Ad cælum rediit, saxúmque reliquit inane.
Talia Versanti subitò sub imagine falsa
Ignoti agricolæ sese Deus obtulit ipse,
Et tumulum iuxta astabat, mox farier orsum
Virgo amens animi agnouit, conuersáque luce
Respicit ecce noua illustrem, radiisq; coruscum.
Corruit, ac genua amplexans satis ora tueri
Clara nequit, corpúsque oculis obit omne Volutis,
Et mæstum aspectu dulci saturauit amorem.
Continuò tristi penitus de pectore mæror
Omnis abit, rediitq; decor suus ilicet ori
Marmoreo: sed adhuc turgentibus humida gemmis
Lumina, inornatiq; fluunt per colla capilli.
Sic Vbi rore madēs pluio rosa languida honestum
Demisit caput, atq; comam largo imbre grauatam,
Tum si purpureo Sol lumine Vestiat arua,
Et redeat madido facies innubila cælo,
Protinus attollens sese rursum illa resurgat,

Puni

Puniceiq́; sinus diuinum pandat honorem.
Talis erat posito virgo pulcherrima luctu.
Ardet amans ipsum affari regemq́; Deumq́;,
Et coràm solitas haurire, ac promere voces.
Dum trepidat, quæ prima hærens exordia sumat,
Mortales visus adopertus nube reliquit.
Fama Palæstinas subitò hæc impleuerat vrbes.
Iamq́; sacerdotes trepidare, & quærere, siquà
Multiplici vulgi sermoni occurrere possint,
Rumoremq́; astu premere, atq; extinguere famam.
Custodes busti in primis, qui cuncta canebant,
Muneribus superãt, subiguntq́; haud vera profari,
Sublatum furto intempesta nocte cadauer.
Sed non vlla datur verum exuperare facultas.
Quoq́; magis tendunt serpentem sistere famam,
Amplius hòc volat illa, omnemq́; exuscitat oram.
Sunt etiam, qui se ore canant vidisse patentes
Sponte sua tumulos, multosq́; exisse sepulcris,
Quorum iampridem tellus acceperat ossa.
Intereà socij, quos in diuersa pauentes
Iandudum terror longè disiecerat omnes,
Tabescunt mæsti. cælo cecidisse videtur
Omnibus extinctum æterna caligine Solem,
Et penitus mundo iucundum lumen ademptum,
Tandem cõueniũt, & adhuc loca nota frequentant,
Tectaq́;, quæ viuo sibi quondam rege fuissent
Dulcia, sed casu nunc desolata recenti.
Dux nusquam: miseris nusquam datur illa tueri
Ora, illósve oculos aspectu luce serena

 Iucun

Iucundos magis, aut cælo radiantibus astris,
Et cunctis nomen dulce obseruatur ad aures.
Aegrescunt mæsti: squalent circùm omnia luctu.
Haud secus atque olim exemit cùm subere pastor
Cerea dona cauo, vacuumq́ alueare reliquit.
Tunc etiam, fumus quas longè dispulit ater,
Hinc illinc glomerantur apes, & inania frustrà
Tecta adeunt denso volitantes agmine circùm,
Direptosq́ fauos ægræ, populataq́ passim
Mella vident nequicquam hiemi congesta futura.
Ecce viros autem tali mœrore sepultos
Attonitæ miris matres rumoribus implent,
Vidisse aligeros cæli de gente ministros,
Regem ipsum vidisse nouo fulgore micantem,
Et vacuum porrò tumulum, vestesq́ relictas.
Protinus ergo alij montis petere ardua cursu
Contendunt rapido festini, vbi inane sepulcrum.
Ast alijs incredibile, ac mirabile visum,
Et primò ancipites delusos credere matrum
Effigie paustantum oculos, & imagine falsa:
Vt nobis sæpe in somnis spectare videmur
Absentum vultus, simulacraq́ luce carentum,
Donec sera illis sub luce in tecta coactis
Ingrediens sese ostendit manifestius heros
Voce, habituq́ Deum confessus imagine nota
Diuinum toto iaciens de corpore lumen.
Hinc Thomas aberat Didymus vicina pererrans
Oppida, quò metus impulerat duce nuper adempto.
Isq́ vbi dein rediens est sacra redditus vrbi,

Acce-

Acceptusq; domo, socios videt ecce recenti
Attonitos casu, ac caeco terrore silenteis,
Quales aut templum, domini aut ubi diuitis aedes
Marmoreas petiit ruptis de nubibus ignis,
Terrificisq; locum impleuit splendoribus omnem,
Stant intus pauidi ciues: quatit omnibus horror
Pectora: vix longo post tempore corda residunt.
Obstupuit visu ignarus, causamq; requirit,
Et socios dictis Didymus demulcet amicis:
Quem senior Petrus amplexus, lacrymisq; profusis
Menti canitiem humectans sic denique fatur:
Vidimus (ô iam nos felices) vidimus ipsum,
Vt soliti, regem spirantem, aurasq; trahentem
Caelicolûm regem, qui nos modò morte reliquit.
Haec ait, exultánsque animo caelum vsque tuetur.
Ille autem (neque enim narranti talia credit)
Ipséne rursus, ait, caeli hoc spirabile lumen
Aspicit? an potius simulacri apparuit vmbra,
Atque oculos fallax vestros elusit imago?
Immo, ait, illum ipsum diuino illa ipsa gerentem
Vulnera, & antiquam seruantem corpore formam
Vidimus, ac veros manibus tractauimus artus.
Vidi oculis, vidi ipse meis, & vulnera noui.
Vesper erat, clausaeq; fores, clausaeq; fenestrae:
Nos intus pauidi latitare, & corpora victu
Curare, ac positis maesti discumbere mensis.
Ecce autem tecti in medijs penetralibus ipse
Improuisus adest, & inobseruabilis Heros
Effulget clausis ingressus limina portis,

Improuisus adest, inopinaque gaudia portat.
Continuò ad lucem visum tectum omne cremari.
Nos trepidare animis, subitóque horrescere visu
Attoniti. Verùm ille metus, vanúmque timorem
Increpitans vetuit trepidos exurgere mensis.
Ipse ego sum: pacem vnanimes agitate, metúsque
Soluite: tentandósque dabat simul omnibus artus,
Vulneráque insigni quæ corpore quina gerebat.
Quinetiam parcis nobiscum accumbere mensis
Non fugiens solito est coràm de more loquutus,
Ceu mortalis adhuc quæ verba nouissima nuper
Ad mortem properans nobis memoranda reliquit.
Tum demum liquidis abiens se immiscuit auris.
Hæc senior, sociíq; eadem simul ore canebant.
Necdum finis erat verbis, cùm protinus ecce
Cum clamore ruit Cleophas fidissimus vnus
E' multis quos bis senis subiunxerat Heros,
Atque hæc dicta dabat, Vos ô iam soluite luctu:
Viuit adhuc, socij, lethi iam lege solutus,
Viuit adhuc, vidi his oculis, vidi ipse, Deiq;
Auribus his hausi vocem, consuetaq; verba.
Audijt hic etiam mecum, viditq; loquentem,
(Atq; manu nutúq; propinquum Amaona signat)
Nam modò fortè animis mæsti dũ incedimus ãbo,
Quà se demissi incipiunt subducere montes,
Extulit aëreas Emaus vbi turribus arces,
Aduena in ignota nobiscum veste profectus,
Externósque gerens habitus comes additur vltró.
Tædia dúmque via vario sermone leuaret,

Inter

Interdum eruptis roramus fletibus ora,
Et gemitus imis dolor exprimit ossibus ardens;
Ille ægros dictis solari, & quærere causas
Crebrà resurgentis luctus. nos ordine cuncta
Pandimus, atque ducis lethum crudele profamur,
Quo moriente simul perierunt, gaudia nostra.
Vt factis, verbisq; animos spe arrexerit ingens
Ingenti: sed dehinc nos morte fefellerit omnes.
Non tulit vlterius, contráque hæc reddidit ille:
Non pudet ó semper cæcos, & lucis egentes?
Nónne ducis vestri quondam crudelia vates
Funera prædixere omnes, casúsque nefandos
Tot veterū monimenta docent haud credita vobis?
Sponte sua letho caput obuius obtulit ipse
Vnus pro multis, patrias quò flecteret iras,
Atque iter ipse suo signaret ad astra cruore.
Haud ita vos ille erudijt: nam sæpe futura
Hæc eadem de se longè antè retexit amicis.
Atq; equidem, memini, nuper media vrbe canebat,
Obscura sed verborum rem ambage tegebat.
Nunc autem manifesta patent, nunc omnia aperta
Nube palàm ablata, nec spes fouistis inanes.
En rex, qui positas conseuerat ordine vites
Prætendens sæpem insidijs hominumq; ferarum q;
Omnibus immissis incassum ex vrbe ministris,
Quos letho dedit insontes manus effera agrestum,
Demum infelices natum ipsum misit in agros.
Nam pater omnipotens post tot fera funera vatum
Ipse suum iussit natum descendere Olympo.

Ecce Palaestini furijs immanibus acti
Natum etiam hauserunt crudeli funere herilem.
Haud impunè tamen: rex vrbe vltricibus armis
Iam iam aderit, flammisq; feros agitabit agrestes,
Et pangenda alijs credet vineta colonis.
Sic fatus cœpit voces ex ordine vatum
Obscuras, veterúmque euoluere facta parentum,
Cuncta docens lethum Christo crudele minari,
Quo mortale genus tenebris educeret atris.
Vt clara antiquis portendi hæc omnia signis
Monstrabat ratione, oculis caligine abacta!
Vt nostros mira inflexit dulcedine sensus!
Vt resoluta nouo ardebant præcordia amore!
Qualiter aut æris rigor acri soluitur æstu,
Aut glacies concreta nouo sub Sole liquescit.
Non illum tamen immemores agnouimus antè,
Quàm ventũ ad sedẽ, paruámq; subiuimus vrbem.
Nanq; iter vlterius fingentem, seq; ferentem
Longè alias sedes petere, ambo orauimus, ijsdem
Nobiscum haud asper tectis succederet hospes.
Id quoque præcipiti suadebat vesper Olympo
Iam piceo terras infuscans noctis amictu.
Paruit, & mensas comitum est dignatus egenas.
Vt primùm fruges tostas cerealia liba
Attigit, & solito fregit de more, repentè
Nox abijt, tandémque oculis lux addita nostris.
Agnosco, & supplex manifestum numen adoro.
Sed subitò volucres abiens ceu fumus in auras
Respuit humanos visus, sensusq; refugit.

Talia

Talia narrabat Cleophas, quæ credita cunctis
Vera negat Thomas, & cœptis perstat in iisdem.
Hæc mihi, dicã iterum, nemo persuaserit vnquam,
Illum ipsum his oculis clara nisi luce videndum
Hausero, & his manibus nisi vulnera contrectaro.
Sic fatur: simul ecce Deus cum lumine largo
Improuisus adest iterum, sociosq; reuisit,
Et clausæ mansere fores, mansere fenestræ:
Non aliter vitri, quod tectis summouet auras,
Lumine Sol penetrat splendentes aureus orbes
Insertim radios iaciens in opaca domorum.
Nec tamen vlla via apparent vestigia adacta
Luce, sed illæso sæpe itq;, reditq; metallo.
Sternunt sese omnes terra, genibúsque salutant.
Vt verò Didymus manifesto in lumine vidit
Vulnera monstrantem, & se nomine compellantem,
Horruit, & prono confestim corruit ore,
Multaq; se incusans animo sic denique fatur,
Vera mihi facies, verus Deus, omnia noui.
Haud equidem, fateor, viuum te credere quibam
Post obitus cæli hoc iterum spirabile lumen,
Has auras haurire: animo tua dicta labanti
Exciderant penitus, modò quæ suprema dedisti.
Demens, qui te obita non posse huc morte reuerti
Crediderim, cùm quarta alios iam luce sepultos
Ad superas cæli nuper reuocaueris oras,
Et memini, atq; aderam: sed me mens læua tenebat.
Forsan at hæc tamẽ haud vestro sine numine tanta
(Credo equidem) venit dementia. forsitan olim

Prod

Proderit hic seris hasisse nepotibus vnum,
Et manibus voluisse prius contingere corpus,
Ne facies, aut vana oculos eluderet vmbra.
Talibus orantem Deus, & lux ipsa reliquit
Nunc hos, nunc adiens alios, & pectora firmans.
Nec prius euasit mundi mortalibus oris,
Quam quater exoriens dena Sol luce rediret.
Fortè igitur Petrus, & socij vada salsa secabant
Remigijs lembum subigentes, dum sibi victum
Arte parant solita, piscesq́ in gurgite captant.
Et iam per totam vano, qua longa, labore
Defessi noctem frustra, madefacta legebant
Retia, cùm iuuenem egregium videre liquenteis
Fluctifrago tractus è littore prospectantem:
Nec primò agnouere Deum, diuináque membra,
Quandoquidem se mortali celauerat ore.
Ipse dehinc tali compellans voce natantes:
Dextram, ait, affectate viri: huc appellite puppim.
Hàc dabitur vanum non effudisse laborem.
Nec mora, praceptis parent, dextráque per vndas
Detorquent alacres cursum, nodosáque lina
Proijciunt: moti sonuit plaga cærula ponti.
Iámque senex tacito socijs Petrus innuit ore,
Auxilióque vocat nutúque, manúque silentes
Significans prædam innumeram. Vix retia cuncti
Plena trahunt: capti saliunt per vincula pisces.
Sensit Ioannes hic numen, & heus prior, inquit,
O' socij, non fallor, adest Deus, ille magister,
Ille quidem: agnosco diuinos oris honores.

Latit

Lætitiam ut iactat vultúque oculisq; decoris?
Quod simul accepit Petrus haud cunctatus, ab ipsa
Desiliјt rate, & æquoreas se iecit in undas,
Quò regem salsos per fluctus primus adiret,
Quamuis multa timens gliscentibus æquore ventis.
Cætera deinde manus terræ aduertuntur, & omnes
Remiuaga siccum cupidi tenuere carina.
Tum victu ut vires reuocent, cerealia mensis
Dona onerant iußi, viuósque in littore pisces
Vnà omnes torrere parant, succensáque pruna
Suggeritur circùm: teter petit æthera nidor.
Vt compressa fames, surgit Rex optimus ipse,
Confeßúsque Deum socijs ita denique fatur:
Pacem optate, viri, pacem laudate quieti.
Saluete æternum socij, æternúmque valete.
Este mei memores: ego claro poscor Olympo.
Iámque adeò duris animos aptate ferendo
Omnia, nec propiùs sæuos adiјsse tyrannos
Sit timor, atque duces affari, & vera monere.
Non vos maiestas soliorum, aut sceptra superba
Terrificent regum lucis nihil huius egentes.
Haud longè tum quærendum, quæ tempora fandi,
Quis modus aptus: ego præsens adero omnibus, ora
Vestra regens: dabitur verborum copia cuique.
Nec cælo vires vos, & solamen ab alto
Deficient. cùm Sol decimo iubar aureus ortu
Extulerit, pater afflabit cælestibus auris,
Diffusúmque animis numen diuinitus addet,
Præside quo freti reges, rerúmque potentes

Nil

Nil veriti, nostrum vulgabitis vndique nomen.
Tum sanctum sese genus aurea tollet ad astra,
Densus agens veluti laxis se palmes habenis
Luxuriat, folijsq́ simul, fœtuq́ grauescit.
Denique, cùm suprema dies illuxerit orbi,
Omniaq́ eliciam patefactis ossa sepulcris,
Atq́ iterum in lucem emergent, quos terra tegebat,
Hanc vallem, densa hos implebunt agmina colles
Matres atque viri, vixq́ hausta luce perempti.
Ipse ego iura dabo, mediaq́ in valle sedebo
Quæsitor, vitas populorum, & crimina pendens.
Vos etiam mecum bis senis sedibus ipsi
Sublimes mortale genus censebitis vnà,
Bis senaq́ tribus gentis tum vestra subibunt
Arbitria, & vestros mirabitur orbis honores.
Interea Petre te (nulli pietate secundum
Noui etenim) his rerũ summã, clauumq́ tenentem
Præficimus cunctis, vltro qui nostra sequuti
Imperia: hoc te præcipuo insignimus honore.
Tu regere, & populis parcens dare iura memento.
Summa tibi in gentes iam nunc concessa potestas.
Iamq́ pios tege pace: voca sub signa rebelles.
Quencunq́ in terris scelus exitiale perosus
Admonitum frustrà iusta deuoueris ira
Colloquio absterrens hominum, cœtuq́ piorum,
Idem erit inuisus cælo: non ille beatis
Sedibus aspiret, nisi tu placabilis idem
Dignatus venia meliorem in pristina reddas.
Iamq́ adeò tibi concessum mortalibus ægris

Claudere siderei portas, at pandere cæli.
Talia mandabat terras, hominesq; relinquens.
Sic natis moriturus oues, & ouilia pastor
Commendans caris furta, insidiasq; luporum
Edocet, & pecori contraria pascua monstrat.
Sic socijs æuo iam fessus nauta biremen
Credit, inexpertósque docet varias maris oras,
Et breuia, & syrtes, & naufragas sirenas.
His animaduersis totius lucida circùm
Palmiferi nubes collis capita ardua texit,
Et curua æthereis fulserunt littora flammis.
Intereà totum exercent noua gaudia cælum
Alituum cælestum acies, sanctiq; volucres
Dant manibus plausus, & multicoloribus alis,
Instaurantq; choros, fremitu ætheris atria feruent.
Pars pendent speculis, & propugnacula læti
Cæli summa tenent, & mœnia celsa coronant.
Obuia pars portis parat ire patentibus, & se
Quisq; auris credũt, ac pennis æthera obumbrant.
Hi plectro indulgent, fidibusq;: his tibia cantus
Dat bifores: alij caua cornua flatibus implent,
Raucisonasq; tubas, & aënea cymbala iactant.
Atq; vbi ter patris ad solium pernice chorea
Indulsere choris, ter ludo lucida regna
Lustrauere, poliq; è vertice decurrere,
Non aliter sunt ingressi volucri agmine contrà
Concentu vario, & multisono modulatu,
Quàm prolapsa Remi cùm nõdũ vrbs alta iaceret,
Tarpeiaq; arces starent, lateq; subactis

Iura

Iura daret populis rerum pulcherrima Roma,
Consul Victor, ouans pugnatis Vndique bellis,
Intrabat rediens, Capitoliáque alta subibat.
Talis nubiuago tendebat ad æthera greßu
Vera Dei soboles. Vt Verò flectere quiret,
Iratus quoties Genitor mortale pararet
Exercere genus meritis ob crimina pœnis,
Omnia fert secum cædis monimenta nefandæ.
In primis duplicémque trabē, infandamq́; colūnam,
Brachia cui Vinctus tulit aspera Verbera, & acres
Virgarum fasces, infectáque sanguine lora,
Hastámque, & calamo pendentia pocula leni.
Treis deinde ingentes, & acuta cuspide Vectes
Cernere erat, quibus effoßus palmásque, pedésque,
Sertáque nexilibus Vepribus conserta rigebant.
Illic & longo Romani signa senatus
Hastili suspensa, cauóque latentia cornu
Lumina, quod superas abies tollebat ad auras,
Quámque manu rex pro sceptro gestauit arundo,
Omnia quæ pueri cælestes antè gerebant,
Singula quisque, poliq́; artem per inane petebant.
Suspexere Viri attoniti, aciéque sequentes
Alituum nubem, ac regem Videre per auras
Tollentemq́; manus, cæliq́; serena secantem,
Cùm subitò rutila hac Venit Vox reddita ab æthra:
Ne trepidate. quid hæretis supera alta tuentes?
Cum genitore Deus regnandum accepit Olympum.
Nec maiora: carminibus cæli domus ardua longè
Auditur resonare, modisq́; per astra canoris.

Contra

Contrà etiam plausere, atq; hæc alterna canebant
Læta viri, cælumq; oculis animisq; petebant.
Omnes ô plausu gentes, linguisq; fauete,
Atq; Deum canite ascensu supera alta tenentem.
Quadrupedum volucrumq; genus, mutæq; natantes
Exultent, tractus terrarum vbicunq; patentes.
Ipsi dent montes, ipsa & dent flumina vocem
Læta suam, & scatebris voluentes flumina fontes,
Quodq; ambit longis terras anfractibus æquor.
Cuncta suum agnoscant auctorē, & carmina dicāt,
Semper vt idem ingens regnarit originis expers
Cum Genitore Deo Deus omnia numine complens,
Vt nullis mox principijs, aut semine nullo
Omnia condiderit, cælum, terrasq; fretumq;,
Quæq; vago passim subsunt animantia cælo.
Vt terras ponto discluserit, æthera terris,
Luciferis cæli lustrauerit atria flammis,
Tellurisq; sinum varijs appinxerit herbis,
Sufficiatq; satis fruges & vitibus almum
Humorum. tu cuncta moues: tibi maximus æther,
Quiq; super latices concrescunt æthere, parent:
Nubila te ventiq; timent: te vesper & ortus
Obseruant, obeuntq; tuo sua munera nutu,
Et tibi monstrifer obsequitur plaga cærula ponti.
Tu manibus validis terrarum pondera libras
Atq; grauem vacuo suspendis in aëre molem,
Rerum elementa locans æterno fœdere, vt omnia
Concordi in medium tendant nitentia motu.
Tu liquidas per inane vias is nubibus actus,

Aurarumq́ sedens veheris pernicibus alis.
Non tibi tempus equis fugit irreuocabile adactis.
Semper idem ante tuos oculos præsensq́ moratur,
Quodq́ est quodq́ fuit, simul & quod deinde sequetur.
Ipse etiam parens tibi cæli in vertice fixus
Sol stetit: idsa etiam surgens in cornua Luna,
Atq́ suos penitus requierunt sidera cursus.
Te mandante suam vim sæpe innoxius ignis
Dedidicit: pueri in mediis fornacibus astant
Illæsi, iactantq́ tuas ad sidera laudes.
Tu mare nauigerum concreta diuidis vnda,
Et populis medios das ire impunè per æstus:
Tu rapidos flectis ripis mirantibus amnes:
Tu largam tactis è cautibus elicis vndam,
Idem largifluos fonteis & flumina sistens.
Ipsa tuo tremit aspectu conterrita tellus,
Quosq́ procul tangis fumant ad sidera montes.
Assurgunt reges pauidi, tibi sceptra, tibi arma
Deponunt, longèq́ tremunt, & numen adorant.
Tu surdis aures, oculos tu lumine captis,
Et vocem mutis, & vires sufficis ægris.
Tu reuocas in vitam obita iam morte sepultos,
Et rursum potes amissos accendere sensus.
Non te vis crudi perterruit horrida lethi,
Non Erebi confusa domus loca fœta timoris.
Te manes tremuere: plagæ regnator opacæ
Vmbrarum paßim populantem immitia regna
Non tulit, atq́ imis trepidus se condidit antris.
Prostrataq́ metu procul Eumenides latitarunt,

Dum

Dum superas præda ingenti vehereris ad arces:
Nunc vbi iam victor regnas, superûmq; beato
Concilio imperitas, prouisaq; tempora longè
Disponens reparas fugientia sæcula mundo,
Ne requiesse sinis Solis voluentia lustra.
Salue opifex rerum, vastiq; salutifer orbis,
Aspice nos propius, propius genus aspice nostrum,
Morte tua patet ætherei cui ianua Olympi,
Et veteres tandem Pater obliuiscitur iras.
Talia littorea læti sub rupe canebant
Vndeni proceres, omnisq; effusa iuuentus.
Non tamen exuerant vanum inter tanta timorem
Gaudia, nondum animos firmati numinis aura
Aetherea, sed adhuc latebras cauaq; antra petebãt.
Sicut vbi accipiter celsa de sede columbam
Sustulit appransam, quam rostro euisceret vnco,
Diffugiunt aliæ huc illuc: mox turribus imis
Condunt se celeres, & inania murmura miscent.
Haud illi secus attoniti post funera regis
Inclusi tecto stabant promissa magistri
Cælo expectantes venturum numen ab alto.
Iamq; aderat promissa dies, deciesq; tenebras
Flammifera Sol exoriens face ab orbe fugarat,
Cùm Pater omnipotens cæli regione serena,
Sidera purpureo reficit quà purior æther
Lumine, cælicolûm in medio media arce sederet
Tempora dispensans, secretaq; fœdera mundo.
Cui se tum exutus moribundos Filius artus
Diffulgens radijs, ac mira luce coruscus

Obtulit, & magno Genitorem affatus amore est,
O pater & socijs tandem succurrere nostris
Tempus, ait, quos amisso duce protinus omnes
Acer agit timor huc illuc, atq; omnia terrent
Imbelles, quoniam mortali corpore creti.
Discute terrorem hunc animis, & pectora firma,
Ne casus nequeant alacres procurrere in omnes.
Illis me propter Solyme, Iudaeaq; passim
Insidias infensa odijs molitur iniquis.
Tu tamen hos olim fore qui praestantibus ausis
Per gentes canerent nostrum indelebile nomen,
Quacunq; Oceano terrarum clauditur orbis,
Et populos noua conuersos ad sacra vocarent,
Pollicitus Genitor, tibi nec sententia nutat.
Hos (quando caeli demum non abnuis arcem)
Ipse ego saepe tua fretus pietate labantes
Firmaui, impleuiq; animis: siquidem affore Olympi
Promisi auxilium subitò, & tutamen ab arce,
Quo freti reges, regumq; minacia iussa
Contemnant, alacresq; ruant in funera lethi
Sponte sua vera pro relligionis amore.
Sic fatus palmas ferro ostentabat acuto,
Traiectosq; pedes, & hians in pectore vulnus,
Sertaq; & hamatos vepres, quos hostia gessit.
Annuit oranti, delibansq; oscula Nato
Reddidit haec pater aeterno deuinctus amore,
Iam concessa petis: dabitur tibi Nate, quod optas.
Promissa (ne tende manus) afflabimus aura,
Quos vis, atq; viros nostro flammabimus igni,

Vt pro te blanda proiecto lucis amore
Non ferrum, aut flāmas metuant, morsus'ue ferarū,
Aut crinita rotis circùm laniantibus haustra.
Quiq; reformidant nunc omnes aëris auras,
Obijcient certis alacres se sponte periclis
Pugnando, & claras animas de corpore reddent
Contemptu necis, & vera virtute superbi.
Non illos æstus, non illos frigora sistent,
Lethiferum aut campos cùm sidus findit hiulcos,
Cærulea aut glacie cùm nectit flumina bruma.
Verùm vltra Gāgem auditi, Bactra vltima supra,
Ismara, Bistoniasq; plagas, Serasq; remotos
Gadibus, & virides penetrabunt voce Britannos.
Implebunt terras monitis, & cuncta nouantes,
Templa pererrato statuent tibi maxima mundo:
Ad tua mutatæ properabunt nomina gentes,
Diuisæ penitus toto orbe per æquora gentes,
Sæclaq; conuersis procedūnt aurea rebus:
Quæ tibi sæpe ego pollicitus, scisq; omnia mecum.
Nec tantum tua, Nate, pijs hæc vulnera Olympum
Nunc pandi meruere, nigra quos nocte premebat
Insontes primi scelus exitiale parentis.
Verùm alios mox atq; alios per sæcula cælo
Efficient dignos, sua quos commissa piacla
Sidereis procul arcebant à sedibus olim.
Tanta tua merces, ea vis, ea gratia mortis.
Atq; adeò, quodcunq; homines ab origine rerum
Admisere, alijs quicquid peccabitur annis,
Huc coeat, satis illa tui pars parua, superq;

Omnia diluere, prorſusq; abolere cruoris.
Quinetiam mox tempus erit, cùm ſcilicet olim
Ter centum propè luſtra peregerit æthereus Sol,
Tum veri Graiûm obliti mendacia vates
Funera per gentes referent tua carmine verſo,
At tuis omnes reſonabunt laudibus vrbes,
Præſertim lætam Italiæ felicis ad oram,
Addua vbi vagus & muſcoſo Serius amne
Purior electro, tortoq; ſimillimus angui,
Quà rex fluuiorum Eridanus ſe turbidus infert
Mœnia turrigeræ ſtringens malè tuta Cremonæ,
Vt ſibi iam tectis vix temperet vnda caducis.
Illic tum niuei, velut inter nubila Cygni,
Omnibus in ripis pueri, innuptæq; puellæ
Carmina caſta canent, miſtiq; in gramine molli
Laudibus incipient certatim aſſueſcere noſtris,
Et teneri prima cœtus te voce ſonabunt.
Hæc tibi certa manent, hæc vis mouet ordine nulla.
Sic fatus dulcem Nato inſpirauit amorem.
Interea ſcelus infandum pellacis Iudæ
Multa execrantes ſocij ſe ad iuſſa parabant
Munera diuerſas ſortiti protinus oras,
Quas peterent, moresq; nouos, noua ſacra docerent,
Quòve autem patribus bis ſenis cætera, vt antè,
Pareret pubes, numerum, ſanctumq; ſenatum,
Quod ſupereſt, ſupplent, ſocijsq; ex omnibus vnus
Sorte tu gaudes tanto prælatus honore
Matthia, obſcurum genus, & ſine luce propago.
Tum cuncti inter ſe maſti ſic ore precari

Si nunc, si nobis aurai cælitus alma
Halitus omnipotens patefacto aspiret Olympo,
Quandoquidem toties nobis Deus omnibus illum
Auxilio fore pollicitus. sanè omnia vera
Prædixit: desit veris hoc hactenus vnum.
Talia suspensi secum ægra mente ferebant.
Ecce autem cæli ruere ardua visa repentè,
Et Superûm tonat ingenti domus alta fragore.
Suspiciunt: noua lux oculis diffulsit, & ingens
Visus ab æthereo descendere vertice nimbus
Lucis inardescens maculis, tectumq; per omne
Diuersi rumpunt radij: tum innoxius ignis
Omnibus extemplò supra caput astitit ingens,
Et circùm rutilis incanduit aura fauillis:
Stricturis veluti crebra crepitantibus olim
Dissiliunt scintillæ, acres dum incudibus ictus
Alternant Chalybes, robustaq; brachia tollunt,
Candentem curua versantes forcipe massam.
Nam Pater omnipotens, superaq; æquæuus ab arce
Filius aspirant vnà omnipotentibus auris,
Infunduntq; viris numen. Deus ecce repentè,
Ecce Deus, cunctis diuinitus algida corda
Incipiunt afflata calescere, numine tacti
Implentur propiore viri, sacrumq; furorem
Concepere, Deumq; imis hausere medullis.
Nec mora, nec requies: ter scintillantibus ignis
Terrifico radijs fulgore, ter alitis aura
Turbine correpti blando flammantur amore,
Ignescuntq; animus, atq; exultantia cunctis

Exercent acres stimulis praecordia motus.
Diffugiunt animis terrores: mira loquuntur,
Mira canunt. eadem varijs (mirabile dictu)
Gentibus accipitur vox haud obscura, sibiq́;
Quisq; videbatur patrias haurire loquelas.
Multi vt tunc ierant varijs huc partibus orbis
Sacrorum studio, visendaeq́; vrbis amore,
Solennem qua luce illa celebrabat honorem
Quinquaginta actis post orgia prima diebus,
Orgia, cùm mensis epulandum apponimus agnum.
Hic sua verba audit tellure Libysside cretus,
Hic Galli sua, Romulidae, Parthiq́;, Scythaeq́;,
Necnon subiecti glaciali sidere Thraces,
Afriq́;, Cretesq́;, Phrygumq́; è gente profecti,
Atq; Indi, atq; Arabes, & areniuagi Garamantes,
Mirantur cuncti circùm, mirantur & ipsi.
Nanq; hominem velut exuti moribundaq́; membra,
Mente domos caeli peragrant atq; aethera apertum
Intenti, & Superûm taciti sermone fruuntur.
Iamq́; canunt ventura: animis Deus expulit atram
Lustrans corda intus nubem: quae corpora circum
Caligatq́;, hebetatq́; humanas humida mentes.
Quosq́; modò dura mortis formidine turpi
Speluncis atris terrebant omnia clausos,
Liberiùs nunc luce palàm atq; licentiùs audent
Terrorum expertes, nec iam mortalia curant.
Non ferrum aut flāmas metuunt, morsus'q́; ve ferarū,
Sed regem vulgò testantur morte peremptum
Immeritu. genus aethereo deducere Olympo.

Iamq́ pudet metuisse omnes, animosaq́ lethi
Spes magis atq; magis viget acris numinis haustu.
Haud secus ac crebris cùm rimis terra dehiscit,
Cùm sitit omnis ager, tum quæ morientia languent
Gramina, cæruleus si cælo venerit imber,
Continuò attollant rursus capita, aruaq́ ponant
Squalorem, redeatq́ decor suus omnibus agris.
Ergo abeunt varias longè lateq́ per oras
Diuersi, laudesq́ canunt, atq; inclyta vulgo
Facta ducis, iamq́ (vt vates cecinere futurum
Antiqui) illorum vox fines exit in omnes.
Audijt & siquem medio ardens æthere iniquo
Sidere desertis plaga diuidit inuia terris,
Quiq́ orbem extremo circunsonat æquore pontus:
Continuò ponunt leges moremq́ sacrorum
Vrbibus. infectum genti lustralibus vndis
Eluitur scelus, & veteris contagia culpæ,
Relligioq́ nouas noua paßim exuscitat aras,
Protinus hinc populos Christi de nomine dicunt
Christiadas. toto surgit gens aurea mundo,
Sæclorumq́ oritur longè pulcherrimus ordo.

FINIS.

SIQVID HIC FACTVM
DICTVMVE
CONTRA SANCTOR. PATRVM SCI-
TA: INFECTVM
INDICTVMVE ESTO.

QVISQVIS ES,
AVCTOR TE ADMONITVM VVLT, SE NON LAVDIS ERGO OPVS ADEO PERICVLOSVM CVPIDE AGGRESSVM, VERVM EI HONESTIS PROPOSITIS PRAEMEIIS A DVOB. SVMMIS PONTT. DEMANDATVM SCITO LEONE X. PRIVS, MOX CLEM. VII. AMBOB. EXETRVSCOR. MEDYCVM CLARISS. FAMILIA: CVIVS LIBERALITATI ATQ. INDVSTRIAE HAEC AETAS LITERAS AC BONAS ARTEIS, QVAE PLANE EXTINCTAE ERANT, EXCITATAS, ATQVE REVIVISCENTES DEBET. ID VOLEBAM NESCIVS NE ESSES.

MARCI HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS

POETICOR.

AD FRANCISCVVM, FRANCISCI Regis Franciæ filium, Delphinum,

LIBER I.



IT fas vestra mihi vulgare arcana per orbem
Pierides, penitusq́; sacros recludere fontes,
Dum vatem egregium teneris educere ab annis,
Heroum qui facta canat laudésve deorum,
Mente agito, vestriq́; in vertice sistere montis.
Ecquis erit iuuenum segni qui plebe relicta
Sub pedibus pulchra laudis succensus amore
Ausit inaccessa mecum se credere rupi,
Læta vbi Pierides, cithara dum pulcher Apollo
Personat, indulgent choreis, & carmina dicunt?
Primus ades Francisce, sacrasve despice Musas
Regia progenies, cui regum debita sceptra
Gallorum, cùm firma annis accesserit ætas.
Hæc tibi parua ferunt iam nunc solatia dulces,
Dum procul à patria raptum, amplexuq́; tuorum,

Ah

(Ah dolor) Hispanis sors impia detinet oris
Errico cum fratre, patris sic fata tulerunt
Magnanimi dum fortuna luctatur iniqua.
Parce tamen puer ô lacrymis, fata aspera forsan
Mitescent, aderitq; dies latissima tandem,
Post triste exilium patrijs cùm redditus oris
Lætitiam ingentem populorum, omneisq; per Vrbes
Accipies plausus & latas Vndiq; Voces,
Votaq; pro reditu persoluent debita matres.
Intereà te Pierides comitentur. in altos
Iam te Parnassi mecum aude attollere lucos.
Iamq; adeò in primis ne te non carminis Vnum
Prætereat genus esse: licet celebranda reperti
Ad sacra sint tantùm Versus, laudésVe Deorum
Dicendas, ne relligio sine honore iaceret.
Nam traxere etiam paulatim ad cætera Musas,
Versibus & Varijs cecinerunt omnia Vates.
Sed nullum è numero carmen præstantius omni,
Quàm quo post diuos heroum facta recensent,
Versibus Vnde etiam nomen fecere minores,
Munere concessum Phœbi Venerabile donum
Phœmonoes, quæ prima dedit (si Vera Vetustas)
Ex adyto haud alijs numeris responsa per orbem.
Tu Verò ipse humeros explorans consule primùm,
Atq; tuis prudens genus elige Viribus aptum.
Nam licet hic diuos, ac dijs genitos heroas
In primis doceam canere, & res dicere gestas,
Hæc tamen interdum mea te præcepta iuuabunt,
Seu scenam ingrediens populo spectacula præbes,

Siue eligis iuuenū lacrymas, quibus igne medullas
Vrit amor, seu pastorum de more querelas,
Et lites Siculi vatis modularis auena,
Siue aliud quodcunq; canis quo carmine cunq;,
Nunquā hinc (ne dubita) prorsum incōsultus abibis.
Atq; ideo quodcunq; audes, quodcunq; paratus
Aggrederis, tibi sit placitum, atq; arriserit vltrò
Antè animo: nec iussa canas, nisi fortè coactus
Magnorum imperio regum, siquis tamē vsquam est
Primores inter nostros qui talia curet.
Omnia sponte sua, quæ nos elegimus ipsi,
Proueniunt, duro assequimur vix iussa labore.
Sed neq; cumprimùm tibi mentem inopina cupido
Atq; repens calor attigerit, subitò aggrediendum est
Magnum opus. adde morā, tecumq; impensius antè
Consule, quicquid id est, parteisq; expēde per omnes
Mente diu versans, donec noua cura senescat.
Antè etiam pelago quàm pandas vela patenti,
Incumbasq; operi incipiens, tibi digna supellex
Verborum, rerumq; paranda est, proq; videnda
Instant multa prius, quorum vatum indiget vsus.
Illis tempus erit mox cùm lætabere partis.
Sponte sua, dum fortè etiam nil tale putamus,
In mentem quædam veniunt, quæ forsitan vltrò,
Si semel exciderint, nunquàm reuocata redibunt,
Atq; eadem studio frustrà expectabis inani.
Nec mihi non placeant qui fundamenta laborum
Cùm iaciunt, veterū explorant opera inclyta vatū,
Noctes atq; dies, passimq; accommoda cogunt

Aux

Auxilia, intentiq; aciem per cuncta volutant.
Quinetiam prius effigiem formare solutis,
Totiusq; operis simulacrum fingere verbis
Proderit, atq; omneis ex ordine nectere partes,
Et seriem rerum, & certos tibi ponere fines,
Per quos tuta regens vestigia tendere pergas.
Iamq; hic tempus erat dare vela vocantibus Euris,
Condendiq; operis primas perscribere leges:
At prius ætati teneræ quæ cura colendæ
Dicendum, quantus puero labor impendendus.
Nulli etenim insignem dabitur gestare coronam,
Pieridum choreas teneris nisi norit ab annis.
Postquam igitur primas fandi puer hauserit artes.
Iam tunc incipiat riguos accedere fonteis,
Et Phœbum & dulces Musas assuescat amare.
Ille autem, paruum qui primis artibus antè
Imbuit, atq; modos docuit legesq; loquendi,
Syncerus vocis cuperem ac purissimus oris
Contigerit, fandi ne fors puer atq; nefandi
Nescius imbiberit male grata semina lingua,
Quæ post infecto ex animo radicitus vlla
Non valeas meliora docens euellere cura.
Iccirco mihi ne quisquam persuadeat oro,
Vt placeant qui, dum capiunt se numine læuo
Tollere humo, & penitus iactant se ignota docere,
Conuentu in medio, septiq; impube corona
Insolito penitus fandi de more magistri,
Obscuras gaudent in vulgum spargere voces
Irrisi, fœdam illuuiem, atq; immania monstra.

Non

Non minus à recta mentis ratione feruntur
Decepti, quàm qui, liquidi cùm pocula fontes
Sufficiant, malunt graue olentem haurire paludem.
Ne mihi ne teneræ talis se admouerit auri,
Sed procul ò procul ista ferat, natosq; Getarum
Imbuat, aut siqua est gens toto obtusior orbe.
Iamq; igitur mea cura puer penetralia vatum
Ingrediatur, & Aonia se proluat vnda.
Iamq; sacrum teneris vatem veneretur ab annis,
Quem Musæ Minci herbosis aluere sub antris,
Atq; olim similem poscat sibi numina versum,
Admirans artem, admirans præclara reperta.
Nec mora: iam fauet Ascanio, tactusq; dolore
Impubes legit æquales, quos impius hausit
Ante diem Mauors, & acerbo funere mersit.
Multa super Lauso, super & Pallante perempto
Multa rogat, lacrymas inter quoq; singula fundit
Carmina, crudeli cùm raptum morte parenti
Ah miseræ legit Euryalum, pulchrosq; per artus
Purpureum, letho dum voluitur, ire cruorem.
Necnon intereà Graios accedere vates
Audeat, & linguam teneris assuescat vtranq;
Auribus exercens nunc hanc, nunc impiger illam.
Nulla mora est: nostro Aeneæ iam conferet igneis:
AEacidẽ flagrantem animis, Ithacumq; vagantẽ,
Atq; ambos sæpe impellet concurrere vates.
Nunc geminas puer huc aures, huc dirige mentem.
Nam quia non paucos parte ex vtraq; poëtas
Nostrosq;, Graiosq; tibi se offerre videbis,

Quos

Quos hic euites, quibus idem fidere tutus
Eualeas, dicam, nequis te fallere poßit.
Haud multus labor auctores tibi prodere Graios,
Quos inter potitur sceptris insignis Homerus.
Hunc omnes alij obseruant, hinc pectore numen
Concipiunt Vates, blandumq; Heliconis amorem.
Felices quos illa ætas, quos protulit illi
Proxima: diuino quantò quisq; ortus Homero
Vicinus magis, est tantò præstantior omnis.
Degenerant adeò magis ac magis vsq; minores,
Obliti veterum præclara inuenta parentum.
Iamq; ferè Inachiæ restincta est gloria linguæ
Omnis, & Argolici iußi concedere auitis
Sunt pulsi reges solijs, ciuesq; coacti
Diuersa exilia atq; alienas quærere terras:
Huc illuc inopes errant. habet omnia victor
Barbarus, & versis nunc luget Græcia fatis.
Nostri autem vt sanctum diuûm Helicona colentes
Cœperunt primùm in Latium transferre, fluebant
Versu incomposito informes, artisq; Pelasgæ
Indociles Musa fundebant carmina agresti
Siluicolas inter Faunos. tunc omne sonabat
Arbustum fremitu siluai frondosai.
Nondum acies, nondũ arma rudi pater Ennius ore
Tentarat, qui mox Graio de vertice primus
Est ausus viridem in Latio sperare coronam.
Tum rerum causas naturæ arcana latenteis
Explorare ausi, cecinerunt carmine dulci
Omnia Pierio spargentes nectare vates.

Atq;

Atque ita deinde rudes paulatim sumere versus
Cœperunt formam insignem, penitusq; Latini
Agrestem exuerunt morem, liquidissima donec
Tempestas veluti cœli post nubila, & imbres
Extulit os sacrum soboles certissima Phœbi
Virgilius, qui mox veterum squalore situque
Deterso in melius mira omnia rettulit arte,
Vocem animúmque Deo similis. date lilia plenis
Pierides calathis, tantóque assurgite alumno.
Vnus hic ingenio præstanti gentis Achiuæ
Diuinos vates longè superauit & arte,
Aureus, immortale sonans, stupet ipsa pauétque.
Quanuis ingentem miretur Græcia Homerum,
Haud alio Latium tantùm se tempore iactat.
Tunc linguæ Ausoniæ potuit quæ maxima virtus
Esse fuit, cælóque ingens se gloria vexit
Italiæ, sperare nefas sit vatibus vltrà.
Nulla mora, ex illo in peius ruere omnia visa,
Degenerare animi, atque retrò res lapsa referri.
Hic nanque ingenio confisus posthabet artem.
Ille furit strepitu, tenditq; æquare tubarum
Voce sonos, versusq; tonat sine more per omnes.
Dant alij cantus vacuos, & inania verba
Incassum, sola capti dulcedine vocis,
Pierides donec Romam, & Tiberina fluenta
Deseruere Italis expulsæ protinus oris.
Tanti causa mali Latio gens aspera aperto
Sæpius irrumpens sunt iussi vertere morem
Ausonidæ victi, victoris vocibus vsi.

Cessit amor Musarum. artes subire repentè
Indigna, atque opibus cuncti incubuere parandis.
Iampridem tamen Ausonios inuisere rursus
Cœperunt Medycum reuocatæ munere Musæ
Tuscorum Medycum quos tandem protulit ætas
Europæ in tantis solamen dulce ruinis.
Illi etiam Graiæ miserati incommoda gentis,
Ne Danaûm penitus caderet cum nomine virtus,
In Latiũ aduectos iuuenes, iuuenúmque magistros,
Argolicas arteis quibus esset cura tueri,
Securos Musas iussere atque otia amare.
Illi etiam captas latè misère per vrbes,
Qui doctas tabulas veterum monimenta virorum
Mercati pretio aducherent: quæ barbarus igni
Tradebat, Danaûm regnis opibusq́; potitus.
Et tentamus adhuc sceptris imponere nostris
Externum, necdum ciuiles condimus enses.
Hæc ætas omnis, vatum hæc fortuna priorum.
Ergo ipsum ante alios animo venerare Maronem,
Atque vnum sequere, vtq́; potes, vestigia serua:
Qui si fortè tibi non sufficit vnus,
Adde illi natos eodem quoque tempore vates.
Parce dehinc puer, atque alios ne quære doceri.
Nec te discendi capiat tam dira cupido.
Tempus erit, tibi mox, cùm firma aduenerit ætas,
Spectatum vt cunctos impunè accedere detur.
Intereà moniti vos hic audite parentes.
Quærendus rector de millibus, é que legendus
Sicubi Musarum studijs, insignis & arte.

Qui

Qui curas dulces, cariq́ parentis amorem
Induat, atque velit blandum perferre laborem.
Illa suis niti nondum ausit viribus ætas,
Externæ sed opis alienæq́ indiga curæ est.
Nam puerum, ni præsentis vis fida regentis
Adsit, & huic dulcem studiorũ infundat amorem,
Illecebræ sacris auertant mille camœnis,
Deceptum falsa melioris imagine curæ.
Sic quoque vbi cultis plantas defodit in hortis
Agricola, & teneras telluri credidit almæ
Fraxineas, contos subitò erigit, & sua cuique
Robora, vt innixæ ventos cæliq́ ruinam
Contemnant, surgantq́ leues impunè per auras.
Ille autem pueri cui credita cura colendi
Artibus egregijs, inprimis optet amari,
Atque odium cari super omnia vitet alumni:
Ne fortè & sacras simul oderit ille camœnas
Imprudens, & adhuc tantæ dulcedinis expers,
Deficiantq́ animi studiorum in limine primo.
Ponite crudeles iras, & flagra magistri,
Fœda ministeria, atque minis absistite acerbis.
Ne mihi, ne, quæso, puerum quis verbera cogat
Dura pati: neq́ enim lacrymas, aut dulcis alumni
Ferre queunt Musæ gemitus, ægreq́ recedunt,
Illiusq́ cadunt animi, nec iam amplius audet
Sponte sua quicquam egregium, ingratũq́ laborem
Inuitus trahit ægrè, animóq́ ad verbera durat.
Vidi ego qui semper leuia ob commissa vocabat
Ad pœnam pueros, furijs insurgere & ira

Terribilem, inuisos veluti sauiret in hostes.
Hinc semper gemitus, hinc verbera dira sonabant.
Atque equidem memini cùm formidatus iniquis
Vrgeret pœnis, solitóque immanior ille
Terreret turbam inualidam (miserabile visu)
Fortè puer prima signans nondum ora iuuenta
Insignis facie ante alios exegerat omnem
Cum socijs ludens lucem, oblitúsque timoris
Posthabuit ludo iussos ediscere versus.
Ecce furens animis multa increpat ille, minisq;
Insurgens sæuo pauitantem territat ore
Horrendum, & loris dextram crudelibus armat.
Quo subito terrore puer miserabilis acri
Corripitur morbo. paruo is pòst tempore vitam
Crescentem blanda cæli sub luce reliquit.
Illum populifer Padus, illum Serius imis
Seriadésque diu Nymphæ fleuere sub vndis.
Tempore iam ex illo, vatem cùm dura iubentem
Phœbigenam Alcides animo indignante peremit
Vocali inuisam feriens testudine frontem.
Debuerat sæuos factum monuisse magistros.
Vos tamen, ò iussi iuuenes, parete regentum
Imperijs, vltroq; animos summittite vestros.
Siquem igitur clari formandi gloria vatis
Digna manet, verbis puerum compellat amicis
Sæpe rogans, laudisq; animum pertentat amore.
Quandoquidē hūc imis postquā semel ossib⁹ ignem
Impluuit, labor inde leuis, sese excitat ardens
Sponte sua, durosq; volens fert ille labores,

Et

Et tacito viuens crescit sub pectore flamma.
Quid memorem (socium nam mos aequalibus annis
Iungere, cui paribus studijs contendat alumnus)
Aemula cùm virtus stimulis agitarit honestis?
Praesertim si victori sua praemia rector
Pollicitus celerem've canem pictám've pharetrã.
Continuò videas studio gestire legendi
Ardentem, ac sera sub nocte vrgere laborem,
Dum timet alterius capiti spectare coronam.
Ast vbi sponte sua studia haec assuerit amare,
Iam non laudis amor, non illum gloria tantùm
Sollicitat: sed mira operum dulcedine captus
Musarum nequit auelli complexibus arctis.
Nonne vides duri natos vbi saepe parentes
Dulcibus armorum studijs, & discere auaras
Iusserunt arteis, mentem si quando libido
Nota subit, solitáque animum dulcedine mouit,
Vt lati rursum irriguos accedere fontes
Ardescant studijs, & nota reuisere Tempe?
Exultant animis cupidi, pugnántque parentum
Imperijs, nequit ardentes vis vlla morari.
Sic assuetus equus iam duris ora lupatis
Fortè procul notis si armata aspexit in aruis,
Huc veterum ferri cupit haud oblitus amorum,
Atq; hic atq; illic haeret fraenisq; repugnat:
Quó've magis stimulis instas, hòc acrius ille
Perfurit: et tandem multo vix verbere victus
Cœptũ iter. ipsa tamen respectans crebra moratur
Pascua, & hinnitu latè loca complet acuto.

 Ah

Ah quoties aliquis sacros reminiscitur agr
Fontes incassum, & lucos suspirat amatos
Dulcibus ereptus Musis puer, atria vt alta
Incoleret regum rebus præfectus agendis?
Tybure quā mallet. gelido aut sub Tusculo iniquam
Pauperiémq; pati, & ventos perferre niuales?
Contrà autem vanum multi effudere laborem,
Quos frustrà excoluisse solum malè pinguis arena
Penituit, ventisq; viam tentasse negatis.
Quòd ne cui serò contingat fortè docenti,
Continuò poterit certis præscissere signis.
Nanq; puer nullis rectorum hortatibus ipse
Sponte sua exercetur, amátque rogátque docentes
Primus, inardescitq; ingenti laudis amore.
Prouocat hinc socios pulchra ad certamina primus,
Exultátq; animo victor. superatus amaris
Mordetur curis, latebrasq; & sola requirit
Infelix loca. ad æquales pudet ire, grauésq;
Vultus ferre nequit cari rectoris inultus.
Nec lacrymis penitus caruerunt ora decoris.
Hic mihi se diuis fatisq; volentibus affert.
Huic Musæ indulgent omnes, hunc poscit Apollo.
At nullam prorsus tibi spem frustrà excitet ille,
Quem non vlla mouet prædulcis gloria famæ,
Et præcepta negat duras dimittere in aures
Immemor auditi, cui turpis inertia mentem
Deijcit, atque hebetes torpent in corpore sensus.
Huic curam moneo ne quisquam impēdat inanem.
Nec placet ante annos vates puer. omnia iusto

Tempore proueniant. ah ne mihi oëntia poma
Mitescant prius, autumnus bicoloribus vuis
Quàm redeat, spumetq́ cadis vindemia plenis.
Ante diem nam lapsa cadent, ramósq́ relinquent
Maternos, calcabit humi proiecta viator.
Nec ludos puero abnuimus, subducere mentem
Interdum studiis liceat. defessus amœna
Rura petat, sæpe & mores obseruet agrestum.
Et venator agat de vertice Tyburtino
Veloces capreas, aut tendat retia ceruis.
Non ille intereà penitus patietur inanem
Ire diem: comitum cœtu se subtrahet vltrò
Interdum, & sola secum meditabitur vmbra
Agrestem Faunis laudem, Musasq́ sub alta
Consulet Albunea vitreas Anienis ad vndas.
Nempe etiam alternis requiescere fœtibus arua
Permittunt sponte agricolæ, & cessare nouales.
Interea vires tellus inarata resumit,
Quiq́ subit largis respondet frugibus annus.
Verùm non eadem tamen omnibus esse memento
Ingenia. iuuentus sæpe est cui carmina curæ,
Cui placeant Musæ, cui sit non læua voluntas:
Nititur ille tamen frustrà, & contendit inani
Delusus studio, vetitisq́ accingitur ausis.
Numina læua obstant, precibusq́ vocatus Apollo.
Orabit melius causas fors ille, animoq́
Naturam, & cæcos rerum scrutabitur ortus.
Sæpe tamen cultúsque frequens, & cura docentum
Imperat ingeniis, naturáque flectitur arte.

Nec labor ille quidem rectoribus ultimus, acres
Incauto iuueni stimulos auertere amoris,
Donec crescentem doceat maturior ætas
Ferre iugum, atque faces, sæuiq; Cupidinis iras.
Sæpe etenim tectos immitis in ossibus ignes
Versat amor, mollesq; est intus cura medullas.
Nec miserum patitur vatum meminisse, nec vndæ
Castaliæ: tantùm suspirat vulnere cæco.
Ante oculos simulacra volant noctesq; diésque,
Nuntia virginei vultus, quem perditus ardet.
Nec potis est aliò fixam traducere mentem
Saucius: ignari frustrà miscere parentes
Pæonios succos, medicásque Machaonis artes
Consulere. intereà penitus calor ille reliquit
Pierius: torquent alij cor molle calores.
Cùm verò iam pubescens mente altius hausit
Musarum dulcem, sanctiq; Heliconis amorem,
Et sese Phœbo addixit, propriúmque sacrauit,
Haud tantùm exploret vatum monimēta, sed idem
Consulat, atque alios auctores discat, vt acri
Nulla sit ingenio quam non libauerit artem.
Proderit in primis linguam Ciceronis ad vnguem
Fingere, & eloquij per campos ire patentes.
Ille decus Latij, magnæ lux altera Romæ
Ore effundit opes fandi certissimus auctor,
Tantum omnes superans præclara munere linguæ,
Quantum ijt ante alias Romana potentia gentes.
Profuit & varios mores hominúmque locorúmque
Explorasse situs, multas terráque mariq;

Aut

Aut vidisse ipsum urbes, aut narrantibus illas
Ex alijs nouisse, & pictum in pariete mundum.
Quid referam qui, ut saua queant aquare canendo
Pralia, non horrent certamina Martis adire,
Per mediásque acies vadunt, & bella lacessunt?
At quia dura vetant longum nos fata morari
In cunctis, reuocátque angusti terminus aui,
Vos sat erit pueri tantùm omneis iste per artes,
Quarum summa sequi saltem fastigia oportet.
Nec refert rate qui varias legit aequoris oras,
Mercis ut in patriam referat se diues opima,
Si non cuncta oculis lustrauerit oppida paßim,
Et circunfusis longum terat otia terris.
Sat fuerit portus, extremáque littora tantùm
Explorasse. secus toto vagus exulet auo,
Et serus natos dulces, patriámque reuiset.
Nulla dies tamen intereà, tibi nulla abeat nox,
Quin aliquid vatum sacrorum e fontibus almis
Hauseris, ac dulcem labris admoueris amnem.
Sed tibi prasertim princeps tunc hareat illa
Cura animo, noctem atque diem tete excitet una,
Omnem quam propter libuit perferre laborem.
Non hîc te quibus aut pedibus spatijs've monebo
Tendantur ducti versus. labor iste regentum
Postulat haud multum cura qui sape morando
Ipsa minutatim metiri carmina sectis
In parteis membris, & tempora certa docebunt.
Continuò edico iam tunc animosus alumnus
In numerum incipiat sub leges cogere verba.

Iam tunc summissa meditetur carmina voce
Sermonum memor, antiquis quos vatibus hausit.
Tum votis sibi centum aures, tum lumina centum
Exoptat dubius rerum, metuensq; pericli,
Diuidit huc illuc animum, cunctamque pererrat
Naturam rerum, versátque per omnia mentem.
Quis rebus dexter modus, aut quæ mollia fandi
Tempora vertuntur species in pectore mille.
Nec mora, nec requies, dubio sententia surgit
Multa animo, variatq;: omnes conuertitur anceps
In facies, nescitq; etiam notissima, & hæret
Attonitus. nunc multa animum, nūc consulit aures
Secum mente agitans siqua olim audita recursent
Sponte sua, & memorem mentem excitat, atque repostas
Thesauris depromit opes, lætúsque laboris
Ipse sui parto fruitur. multa ecce repentè
Fors inopina aperit cunctanti, aliudq; putanti.
Iamq; hac, iamq; illa attentat, texitq; retexitq;.
Et varijs indefessus conatibus instat.
Sæpe etenim occurrunt haud dictu mollia, vbi hæret
Cura diu, multoq; exercita corda labore.
Nunc hos, nunc illos aditus vestigat, & omnia
Attentans scopulo longum luctatur iniquo,
Dum se quà ostendat facilis via, deniq; multa
Aut vi, aut cæli, & fortunæ munere victor
Exultat, domitóq; animis it ad æthera monstro.
Ast vbi nulla viam nec vis, nec dextra aperit fors,
Nec prodest vires fessas renouare, nec aptum

Nunc hic, nunc illic captare ad carmina tempus,
Inuitus cura absistit, tristisq; relinquit
Cœpta infecta, pedem referens: ceu fortè viator
Siquis tendat iter campis, cui se amnis abundans
Ecce via in medio obijciat spumisq; fragosos
Post imbrem voluens montis de vertice fluctus
Horrescit, ripaq; moratus obambulat anceps.
Tum demum metuens retro redit æger, itérque
Aut alia tenet, aut, cedant dum flumina, differt.
Sed neque inexpertus rerum iam texere longas
Audeat Iliadas: paulatim assuescat, & antè
Incipiat graciles pastorum inflare cicutas.
Iam poterit culicis numeris fera dicere fata,
Aut quanta ediderit certamine fulmineus mus
Funera in argutas, & amantes humida turmas,
Ordirive dolos, & retia tenuis aranei.
Consilijs etiam hic nostris, vobisq; docentes
Est monitis opus, ingenijs nam parcere multa
Fas teneris, donec paulatim attollere sese
Incipiant animi, videantq; in carmine labem
Per se ipsi, & tacito rubeant vltró ora pudore.
Nam maculas si fortè omnes per carmina monstret
Quæsitor ferus, abijciant spem protinus omnem,
Atque alias animo potius vertantur ad arteis.
Nostrum igitur si fortè adeat puer indole limen
Egregia, vt consulta petat parêre paratus,
Quiq; velit sese arbitrio supponere nostro,
Excipiam placidus, nec me iuuenile pigebit

Ad cælum vultu simulato extollere carmen
Laudibus, & stimulos acres sub pectore figam.
Pòst tamen vt multa spe mentem arrexerit ardens,
Si quis fortè inter veluti de vulnere claudus
Tardus eat versus, quem non videt inscius ipse,
Delususque sonis teneras fallacibus aures,
Haud medicas afferre manus, ægroque mederi
Addubitem, & semper meliora ostendere pergam.
Quod superest, etiam moneo, creberque monebo,
Ne quisquam nisi curarum, liberque laborum
Inchoet egregium quicquam, verùm procul vrbis
Attonitæ fugiat strepitus, & amœna silentis
Accedat loca ruris, vbi Dryadésque puellæ,
Panésque, Faunique, & montiuagi Syluani.
Hic læti haud magnis opibus, non diuite cultu
Vitam agitant vates. procul est sceleratus habendi
Hinc amor, insanæ spes longè atque impia vota,
Et nunquàm diræ subeunt ea limina curæ,
Dulcis & alma quies, ac paucis nota voluptas.
At nimiùm trux ille ferisque è cautibus ortus,
Qui sanctos, genus innocuum, populúmque deorum
Aut armis audet vates, aut lædere dictis.
Vidi ego, qui ad summos Musarũ munere honores
Euecti, mox ingratos contemnere Musas,
Nec vates saltem alloquio dignarier ipsos.
Parcite mortales sacros vexare poëtas.
Vltores sperate Deos, sub numine quorum
Semper vita fuit vatum defensa piorum.

Illi

Illi omnes sibi fortunas posuere volentes
Sub pedibus, regúmque & opes, & sceptra superba
Ingenti vincunt animo, ac mortalia rident.
Non illis vsquam scelerum mens conscia cæcos
Horrescit cæli crepitus, ignémve coruscum,
Cùm Pater omnipotens præruptas fulmine turres
Ingeminans quatit, ac mentes diuerberat altos.
Securi terrorum hilares ad sidera mentes
Arrexere, Deúmque agitant sine crimine vitam.
Dona deûm Musæ: vulgus procul este profanum.
Has magni natas Iouis olim duxit ab astris
Callidus in terras insigni fraude Prometheus,
Cùm liquidos etiam mortalibus attulit ignes.
Quippe rudes hominum mentes, & pectora dura
Ipse sagax animo miseratus, vbi astra per aurea
Ire datum, ac Superûm lætis accumbere mensis,
Miratus sonitum circumuoluentis Olympi
Ingentem, magniq́ue argutos ætheris orbes,
Quos, sua quenq́ue, cient vario discrimine Musæ.
Continuò vtilius ratus est mortalibus addi
Post ignem nil posse, animúmque ad callida mouit
Furta vigil. Dij mox cælestia dona volentes
Concessere, doli licet audentissimus ipse
Auctor Caucaseo sæuas det vertice pœnas.
Quo terrore nisi multo pòst tempore inertes
Non ausi dias homines accersere Musas.
Sed ventura prius pandebant carmine soli
Cælicolæ, dubijsq́ue dabant oracula rebus.

Ipse

Ipse pater diuûm Dodonæ carmina primus
Et Lybicis cecinit lucis, mox Phocidis antro
Insonuit Themis alma, suos quoque pulcher Apollo
Responsis monuit Delphos, nec defuit olim
Antiquis Faunus caneret qui fata Latinis.
Tum Solymûm prisci Vates, tum sacra Sibyllæ
Nomina diuinas cæli in penetralia mentes
Arripuere, Deúmque animis hausere furentes.
Nec mora, quæ primùm Fauni Vatésque canebant,
Carmina mortales paßim didicere per Vrbes,
Post epulas laudes heroum & facta canentes.
Quid mirandum homini cæli diuinitus æquè
Concessum? mortale genus tua numina sentit
Quisquis es ille, Deus certè qui pectora Vatum
Incolis, afflatásque rapis super æthera mentes.
Te sine nil nobis lætum, nec amabile quicquam.
Ipsæ etiam volucres vario tua numina cantu
Testantur, pecudesq; feræ, mutæq; natantes,
Ad tua iussa citæ properant. tua munera saxa
Dura mouent, siluásq; trahunt hinc inde sequentes.
Te quoque senserunt olim impia Tartara, & vmbræ
Pallentes stupuere. minas tibi ianitor orci
Oblitus, sæuas posuere & Erinnyes iras.
Tu Iouis ambrosijs das nos accumbere mensis,
Tu nos dijs æquas superis, tu blanda laborum
Sufficis, & duræ præsens solatia vitæ.
Salue hominum dulcis requies, diuûmque voluptas.
Ipse tua egregios audax nunc claudis honores

Ingr

Ingredior vates idem, superûmq́ue sacerdos,
Sacráque dona fero teneris comitatus alumnis.

M. HIERONYMI VIDAE POETIC.
LIBER II.

PErgite Pierides natæ Iouis: en mihi totum
Nunc fas venturis Helicona recludere seclis.
Inspirate animum, templa ipse in vestra sacerdos
Sacra ferens iuuenes florentes mollibus annis
Duco audens durum per iter. Vos mollia Diuæ
Siqua latent, vobis tantùm diuortia nota,
Præsentes monstrate, nouósque ostendite calles,
Quos teneam. Vos en omnis, vos Itala pubes,
Quæ iuga sub nostris nunc tendit ad ardua signis,
Supplicibus poscit votis, faciléque precatur.
Nam mihi nunc reperire apta, atque reperta docendum
Digerere, atque suo quæque ordine ritè locare.
Durus vterque labor: sed quos Deus aspicit æquus,
Sæpe suis subitò inuenient accommoda votis.
Altera nempe arti tantum est obnoxia cura,
Vnde solent laudem in primis optare poëtæ
Vestibulum ante ipsum, primóque in limine semper
Prudentes leuiter rerum fastigia summa
Libant, & parcis attingunt omnia dictis,
Quæ canere statuêre, simul cælestia Diuûm
Auxilia implorant proprijs nil viribus ausi.

Quos

Quos ores autem non magni denique refert,
Dum memor auspicijs cuiusquam cuncta deorum
Aggrediare. Iouis neque enim nisi ritè vocato
Numine fas quicquam ordiri mortalibus altum:
Nec sat opem implorare semel, musasq́; ciere.
Sed quoties veluti scopuli durissima dictu
Obijcient sese tibi non superanda labore
Mortali, diuos toties orare licebit.
Incipiens odium fugito, facilésque legentum
Nil tumidus demulce animos, nec grandia iam tum
Conuenit, aut nimium cultum ostentantia fari:
Omnia sed nudis propè erit fas promere verbis.
Ne si magna sones, cùm nondum ad prælia ventum,
Deficias medio irrisus certamine, cùm res
Postulat ingentes animos, viresq́; valentes.
Principijs potius semper maiora sequantur.
Protinus illectas succende cupidine mentes,
Et studium lectorum animis innecte legendi.
Iam verò cùm rem propones nomine nunquam
Prodere conueniet manifesto, semper opertis
Indicijs, longè & verborum ambage petitæ
Significant, vmbraq́; obducunt. inde tamen ceu
Sublustri è nebula rerum tralucet imago
Clarius, & certis datur omnia cernere signis.
Hinc si dura mihi passus dicendus Vlysses,
Non illum verò memorabo nomine, sed qui
Et mores hominum multorum vidit & vrbes
Naufragus euersæ post sæua incendia Troiæ.
Addam alia angustis complectens omnia dictis.

Ergo age quæ vates seruandi cura fatiget
Ordinis intentos operi, cùm carmine aperto
Rem tempus narrare, loco vt disposta decenti
Omnia sint opere in toto, nec meta laborum
Vsquam dissideat ingressibus vltima primis.
Principio inuigilant non expectata legenti
Promere, suspensosq; animos nouitate tenere,
Atq; per ambages seriem deducere rerum.
Nec, quacunq; viam suadet res gesta, sequuntur.
Plerunq; à mediis arrepto tempore fari
Incipiunt, vbi facta vident iam carmine digna.
Inde minutatim gestarum ad limina rerum
Tendentes prima repetunt ab origine factum.
Hoc faciunt, operum primo ne in limine lector
Hareat, ignarusq; viæ, incertusq; laborum.
Nanq; vbi eum metã iam tum statuère sub ipsam,
Lætior ingreditur spe mentem arrectus inani,
Dum putat exigui finem propè adesse laboris.
Sed portus, quos ante oculos habet vsq; propinquos
Approperans, iam iamq; tenet, similisq; tenenti est.
Longa procul longo via diuidit inuia tractu.
Flectendi retro cursus, via plurima eunti
Restat adhuc, multumq; illi maris æquor arãdum.
Haud sapiens quisquam, annales ceu congerat, Iliij
Inchoet excidium veteri pastoris ab vsq;
Iudicio memorans ex ordine singula, quicquid
Ad Troiam Argolicis cessatum est Hectore duro.
Conueniet potius prope finem prælia tanta
Ordiri, atq; graues iras de virgine rapta

Auersi AEcidæ præmittere: tum fera bella
Consurgunt, tũ pleni amnes Danaûmq́;, Phrygũq́;,
Xanthusq́; Simoisq́;, & inundant sanguine fossæ.
Haud tamen interea quæ præcessere silendum,
Aulide iurantes Danaos, vestasq́; per æquor
Mille rates, raptusq́; Helenes, & coniugis iras,
Quæq́; nouem Troia est annos perpessa priores.
Atq́; etiam in patriam siquis deducere adortus
Errantem Laërtiaden post Pergama capta,
Non illum Idæo soluentem è littore classem
Cum socijs primum memoret, Ciconesq́; subactos,
Sed iam tum Ogygiam delatum sistat ad alta
Virginis amissis socijs Atlantidos antra.
Exin post varios Phæacum in regna labores
Inferat: hic positis demum ipse miserrima mensis
Erroresq́; suos narret casusq́; suorum.
Antè tamen si gesta cadunt, ab origine causas
Expediunt, quis deinc status, aut quæ tẽpora rerũ.
Primus at ille labor versu tenuisse legentem
Suspensum, incertumq́; diu, qui deniq́; rerum
Euentus maneant, quo tandem durus Achilles
Munere placatus regi, rursum induat arma
In Teucros, cuiúsve dei Laërtius heros
Auxilio, Polypheme, tuis euadat ab antris,
Lectores cupidi expectant, durantq́; volentes.
Nec perferre negant superest quodcunq́; laborum,
Inde licet fessos somnus grauis occupet artus,
Aut epulæ placanda fames, Cererisq́; libido.
Hoc studium, hanc operam serò dimittimus ægri.

Nónne

Nonne vides vt sæpe aliquis nimis arte superbit
Improbus, & captis animis illudere gaudet,
Et nunc huc, deinde huc mentes deducit hiantes,
Suspenditq; diu miseros, torquetq; legentes?
Ille quidem si te magnum certamen Atridæ,
Et Paridis multo promissum carmine nuper
Expectare auidum, sæuaq; cupidine captum
Senserit, vsq; moras trahet vltrò, & differet arma,
Dum celsa Priamo patribusq; è turre Lacæna
Nomine quenq; suo reges ostendit Achiuos.
Ipsa procos etiam vt iussit certare sagittis
Penelope optatas promittens callida tedas
Victori, per quanta moræ dispendia mentes
Suspensas trahet antè viri quàm proferet arcum
Thesauris clausum antiquis, penitusq; repostum?
Haud tamen omnino incertũ metã vsq; sub ipsam
Exactorum operum lectorem in nube relinquunt.
Sed rerum euentus nonnullis sæpe canendo
Indicijs porrò ostendunt in luce maligna,
Sublustriq; aliquid dant cernere noctis in vmbra.
Hinc pater Aeneam, multiq; instantia vates
Fata docent Latio bella, horrida bella manere,
Atq; alium partum Troianis rebus Achillem.
Spem tamen incendunt animo, firmantq; labantem
Spondentes meliora, & res in fine quietas.
Ipse quoq; agnouit per se, cùm in limine belli
Nauibus egressus turmas inuasit agrestes,
Atq; (omen pugnæ) prostrauit marte Latinos,
Occiso ante alios qui sese obiecerat hoste.

Fata Menœtiades etiam prædixerat olim
Victori moriens maiori instare sub hoste,
Quanuis haud fuerit res credita tu quoq; Turne
Præuidisse tuos poteras heu perdite casus
Longè ante exitium, cùm crebrò obscœna volucris
Per clypeum, perq; ora volans stridentibus alis
Omnem turbauit mentem, admonuitq; futuri.
Hinc tibi tempus erit, magno cùm optaueris emptũ
Intactum Pallanta, & cùm spolia aurea baltei
Oderis, atq; tibi haud stabit victoria paruo.
Nam iuuat hæc ipsos inter præscisse legentes,
Quanuis sint & adhuc confusa & nubila porrò.
Haud aliter longinqua petit qui fortè viator
Mœnia, si positas altis in collibus arces
Nunc etiam dubias oculis videt, incipit vltrò
Lætior ire viam, placidumq; vrgere laborem,
Quàm cùm nusquã vlla cernuntur quas adit arces.
Obscurum sed iter tendit conuallibus imus.
Tuq; ideo nisi mente prius, nisi pectore toto
Crebrà agites quodcunq; canis, tecumq; premendo
Totum opus ædifices, iterumq; iterumq; retractes.
Laudatum alterius frustrà mirabere carmen:
Nec te fors inopina regat casusq; labantem.
Omnia consilijs prouisa, animoq; volenti
Certus age, ac semper nutu rationis eant res.
Quandoquidem sæpe incerti huc illucq; vagamur,
Inq; alia ex alijs inuiti illabimur orsa,
Dum multa ac varians animis sententia surgit.
Sæpe vides primis vt quidam longius orsis

Digre

Digrediuntur, & obliti quasi cœpta priora
Longè alijs hærent nulla sermonibus arte,
Et longos peragrant tractus aliena canentes.
Ac velut in patriam peregrina siquis ab ora
Ire cupit post exilium durosq; labores,
Ille tamen recto non qua via tramite ducit,
Carpit iter, sed nunc vagus hàc, nunc errat & illac,
Vndiq; dum studio fontes inuisit inani,
Fontesq; fluuiosq;, & amœnos frigore lucos.
Nam quid opus gemmis armatos pingere currus,
Multa superq; rotas, super axes multa morari
Tūc, cū bella manus poscūt, atq; arma fremit Mars?
Nec siquem indecoremq; animi, pugnasq; perosum
Egregios inter memoras heroas in armis
Castra sequi, cupidi expectant audire legentes
Qua facie, quibus ille humeris, quali've capillo
Incedat, captus' ne oculo, an pes claudicet alter,
Aut longo vertex ductu consurgat acutus,
Ordine cuncta, aliud quasi nil tibi restet agendum.
Aptior Ausonius Drances, cui frigida bello
Dextra quidem, sed consilijs non futilis auctor,
Diues opum, pollens lingua & popularibus auris.
Multa tamen Graia fert indulgentia lingua,
Quæ nostros minus addeceant grauiora sequentes.
Quid tibi nonnullas arteis studiumq; minorum
Indignum referam? sunt qui vt se plurima nosse
Ostentent, pateatq; suarum opulentia rerum,
Quicquid opum congesserunt, sine more, sine arte
Irrisi effundunt, & versibus omnia aceruant,

Præcipuè siquid summotum, siquid opertum,
Atq; parum vulgi notum auribus, aut radiantis
De cæli arcana ratione, Deûm've remota
Natura, aut animæ obscuro impenetrabilis ortu.
Sæpe etiam accumulant antiqua exempla virorum
(Carminis ingratum genus) hinc atq; inde petita,
Quamuis sæpe illis tempusq; locusq; repugnet.
Ne pueri ne talem animis inducite morem,
Nec vos decipiat laudis tam dira cupido.
Haud sum animi dubius magnos memorare poëtas
Interdum Solisq; vias, Lunæq; labores,
Astrorumq; ortus, qua vi tumida æquora surgant,
Vnde tremor terris, quamuis illi orsa sequantur
Longè alia, aut duri cantantes prælia Martis,
Aut terræ mores varios cultusq; docentes.
At prius inuenere locum, dein tempore capto
Talia subijciunt parci, nec sponte videntur
Fari ea: rem credas hoc ipsam poscere, ita astum
Dissimulant, aditusq; petunt super omnia molles.
Cur pater Anchises natum opportuna rogantem
Non doceat, rursúsne animæ semel æthere cassæ
Ad cælum redeant, blandiq; ad luminis auras?
Igneus an'ne illis vigor, & cælestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant?
Quādoquidē vt variū sit opus (nanq; inde voluptas
Grata venit) rebus non vsq; hærebis in ijsdem.
Verùm vbi vis animis varius succurrere fessis,
Ingrederisq; nouas facies, rerumq; figuras,
Paulatim capto primis delabere cæptis

Tempo

Tempore, nec positis insit violentia rebus.
Omnia sponte sua veniant, lateatq; vagandi
Dulcis amor, cunctamq; potens labor occulat artem.
Sic olim AEneæ venturi haud inscius aui
Res Italûm in clypeo, Romanorumq; triumphos
Fecerat ignipotens, pugnataq; in ordine bella,
Stirpis ab Ascanio quondam genus omne futurum.
Tum siquis Latio cretus de sanguine vates
Prosequitur varias oras, moresq; locorum,
Medosq;, AEthiopasq;, & dites arboris Indos,
Immemor ille nimis patriæ, oblitúsve suorum,
Si non Italiæ laudes æquauerit astris,
Cui neq; Medorum silua, neq; Bactra, neq; Indi,
Totaq; turiferis Panchaia certet arenis.
Quare etiam egregij vates ego carmina vestra
Haud equidem arguerim, qui pectora fessa legentum
Interdum atq; aures recreatis carmine dulci.
Non ego post Celei crates, post tribula dicta,
Rastraq;, plaustraq;, & inflexo cum vomere aratra
Addubitem flere extincti miserabile funus
Romani ducis, aut ruris laudare quietem
Post vites dictas Bacchi, & siluestria dona.
Vidi etiam qui iam perfecto munere longam
Subiecere moram, extremo sub fine vagantes
Exactorum operum, vacua dum carmina musa
In longum traherent, cuius dulcedine mira
Fessi animi cuperent iterumq; iterumq; redire.
Me nulla idcirco quiret vis sistere, quin post
Naturas & apum dictas, & liquida mella

Tristis Aristai questus, monitusq; parentis
Prosequerer dulci sermone, & Protea vinctum,
Addam Threicij carmen miserabile vatis,
Qualis populea quritur Philomela sub umbra,
Vt Rhodope, vt Pangaea fleant, Rhœsi vt domus alta
Atq; Geta, atq; Hebrus, & Actias Orithyia.
Non aliam ob causam reges qui in pralia euntes
Dinumerant, populosq́;, moram traxere canentes
Aut Ligurum regi, ob casum Phaëthontis amati
Dum gemit, & mastum musa solatur amorem,
In siluis cano natas in corpore plumas,
Aut rursum Hippolytum superas venisse sub auras
Paonijs reuocatum herbis, & amore Diana.
Nec verò interea qua cuiq; insignia, qua arma
Pratereunt: pingunt clypeos, atq; Hercule pulchro
Pulcher Auentinus satus olim insigne paternum
Centũ angues, cinctamq́; gerit serpentibus Hydram.
Sape etiam loca amœna canũt & frigida Tempe.
Nunc varijs pingunt cum floribus auricomum ver,
Nunc virides liquidis inducunt fontibus umbras,
Crebraq́; fluuiorum in ripis spatiantur opacis
Aut Veneti Eridani, aut AEtoli Acheloi:
Addunt & Panas, Faunos, Dryadasq́; puellas,
Et centum aequoreas Nereo genitore sorores.
Sape tamen memorandum inter ludicra memento
Permiscere aliquid, breuiter mortalia corda
Quod moueat, tangens humana commoda vita.
Quodq́; olim subeant natos meminisse parentes.
At non exiguis etiam te insistere rebus

Abnuerim, si magna voles componere paruis,
Aut apibus Tyrios, aut Troia ex Vrbe profectos
Formicis, Libycum properant dum linquere littus.
Sed non Ausonij rectè fœdissima musca
Militis æquarit numerum, cùm plurima mulctram
Peruolitat: neq; enim in Latio magno ore sonantem
Arma, ducesq; decet tam viles decidere in res.
Nec dictis erit vllus honos, si cùm actus ab Vrbe
Daunius hostili Teucris vrgentibus heros
Vix pugna absistit, similis dicetur asello,
Quem pueri læto pascentem pinguia in agro
Hordea stipitibus duris detrudere tendunt
Instantes, quatiuntq; sudes per terga, per armos.
Ille autem campo vix cedere, & inter eundum
Sæpe hic atq; illic auidis insistere malis.
Omnia conueniunt, rerumq; simillima imago est,
Credo equidē, sed turpe pecus, nec Turnus asellum
Turnus auis, atauisq; potens dignabitur heros.
Aptius hanc speciem referat leo, quem neq; terga
Ira dare, aut virtus patitur, neq; sufficit vnus
Tendere tot contrà, telisq; obstare sequentum.
Hoc quoq; non studijs nobis leuioribus instat
Curandum, vt, quando non semper vera profamur
Fingentes, saltem sint illa simillima veris.
Vidi aliquos qui, cum Glauco medio æquore belli
Tydides ferus occurrit, vix credere possunt
Tot traxisse moras longis sermonibus vsos
Inter sese ambos. dum feruent omnia cæde.
Alter enim diri narrat fera fata Lycurgi,

F 5 *Crimine*

Crimine damnati falso alter Bellerophontis
Facta refert, magna domitam virtute Chimæram,
Et victos pariter Solymos, & Amazonas armis.
Nam quæ multa canunt ficta, & non credita vates,
Dulcia quò vacuas teneant mendacia mentes,
Illis nulla fides, quam nec sibi deniq; aperti
Exposcunt, nec dissimulant, licet omnia obumbrent
Relligione Deûm, quæ non credenda profantur.
Idcirco solis perhibent armenta locuta
Mortua, & in verubus Vulcano tosta colurnis,
Vt minus acris equos itidem miremur Achillis,
Verbaq; veliferas rostris fudisse carinas,
Omnia quæ porta veniunt insomnia eburna.
Disce etiam, pulchri tibi si cura ordinis vlla est,
Res tantùm semel effari. repetita bis aures
Ferre negant, subeunt fessas fastidia mentes.
Quanquã etiam hic nostris cernes differre Pelasgos.
Nam tibi non referent semel illi somnia Atridæ:
Nec sat erit si rettulerint quid fortis Achilles
Mente dolens Danaûm sese subduxerit armis,
Ipse iterum AEacides nisi solo in littore ponti
Flens eadem æquoreæ narrauerit omnia matri.
Quinetiam reges cùm dant mandata ferenda,
Cuncta canunt prius ipsi, eadem mox carmine eodẽ
Missi oratores repetunt nihil ordine verso,
Non sic Ausonius Venulus, legatus ab Arpis
Cùm redit AEtoli referens responsa tyranni.
Altum alijs assurgat opus. tu nocte dieq;
Exiguum meditator, vbi sint omnia culta,

Et vifenda nouis iterumq; iterumq; figuris.
Quòd fi longarum cordi magis ampla viarum
Sunt fpatia, anguftis cùm res tibi finibus arcta,
In longum trahito arte. via tibi mille trahendi,
Mille modi. nam ficta potes multa addere veris,
Et petere hinc illinc variarum femina rerum.
Nónne vides vt noftra deos in prælia ducant,
Hos Teucris, alios Danais focia arma ferentes,
Certantesq; inter fe odijs, donec Pater ipfe
Concilium vocet, atq; ingentes molliat iras?
Cùm fecura tamen penitus natura deorum
Degat, & afpectu noftro fummota quiefcat,
Addunt infernasq; domos, regna inuia viuis,
Tartareosq; lacus, Ditemq;, & Erinnyas atras.
Tum volucrum captant cantus, atq; omina pennæ.
Sæpe etiam hofpitibus conuiuia læta receptis,
Regalesq; canunt epulas, vbi multa repoftis
Narrantur dapibus vario fermone vicifsim,
Nunc ludos celebrant magnorum ad bufta virorum,
Annua nunc patrijs peragunt dijs facra periclo
Seruati quondam, laudesq; ad fidera tollunt
Aut Phœbi, monftro ingenti Pythone perempto:
Aut magni Alcidæ, Cacum vt videre iacentem.
Rege fub Euryftheo tulerit quos ille labores
Alterni repetunt cantu. fuper omnia Caci
Speluncam adijciunt, fpirantemq; ignibus ipfum.
An memorem, quandoq; omnes intendere neruos
Cùm libuit, verbisq; ipfam rem æquare canendo,
Seu dicenda feri tempeftas horrida ponti,

Ventorum & rabies, fractaq; ad saxa carinæ
Aut Siculo angusto, aut impacato Euxino?
Siue coorta repente lues, cùm multa ferarum
Corpora, multa hominum letho data, siue Sicana
Dicendum quantis terra tonet AEtna ruinis,
Prorumpens atram cæli vsq; ad sidera nubem
Turbine fumantem picco & candente fauilla.
Vidisti cùm bella canunt horrentia, & arma,
Arma fremunt, miscentq; equitū peditumq; ruinas,
Ante oculos Martis sese offert tristis imago,
Non tantùm vt dici videantur sed fieri res,
Vnde ipsis nomen Graij fecere poëtis.
Armorum fragor audiri gemitusq; cadentum,
Cædentumq; ictus, & inania vota precantum.
Quis quoq;, cùm captas euoluunt hostibus vrbes,
Temperet à lacrymis? tectorum ad culmina sæuas
Ire faces, paßimq; domos inuoluere flammas
Cernere erit, trepidosq; senes, pterosq; parentes
Amplexos, flentesq; ipsas ad sidera matres,
Tollentes clamorem hostes interq; suosq;,
Abstractasq; nurus aditis, arisq; deorum
Et crinem laniare, & pectora tundere palmis:
Hos fugere, ast illos ingentem abducere prædam,
Perq; domos, perq; alta ruunt delubra deorum,
Atq; huc atq; illuc tota discurritur vrbe.
Quid cū animis sacer est furor additꝰ, atq; potēs vis?
Nam variant species animorum, & pectora nostra
Nunc hos, nunc illos multo discrimine motus
Concipiunt, seu quot cæli mutatur in oras

Tempestas, hominumq́ simul quoq́ pectora mutant.
Seu quia non iisdem respondent sæpe labore
Sensus effœti, atq́ animus cum corpore languet,
Seu quia curarum interdum vacuiq́ doloris,
Interdum tristes cæco intus tundimur æstu.
Dii potius nostris ardorem hunc mentibus addunt,
Dii potius, felixq́ ideo qui tempora quiuit,
Aduentumq́ Dei, & sacrum expectare calorem,
Paulisperq́ operi posito subducere mentem,
Mutati donec redeat clementia cæli.
Sponte sua veniet iustum (ne accersite) tempus.
Interdum & siluis frondes, & fontibus humor
Desunt, nec victis semper caua flumina ripis
Plena fluunt, nec semper agros ver pingit apricos.
Sors eadem incertis contingit sæpe poëtis.
Interdum exhausta languent ad carmina vires,
Absumptusq́ vigor, studiorumq́ immemor est mẽs,
Torpescunt sensus, circum præcordia sanguis
Stat gelidus: credas penitus migrasse camœnas,
Notaq́ nunquã ipsum rediturũ in pectora Phœbum.
Nil adeò Musæ, nil subuenit auctor Apollo.
Ah quoties aliquis frustrà consueta retentat
Munera, nec cernit cælum se tendere contrà,
Aduersosq́ deos, atq́ implacabile numen?
Quidam autem inuentus, qui sæpe reduceret auras
Optatas veterum cantando carmina vatum,
Paulatimq́ animo blandum inuitaret amorem,
Donec collectæ vires animiq́ refecti,
Et rediit vigor ille, velut post nubila & imbres

Sol micat æthereus. Vnde hæc tam clara repentè
Tempestas? Deus ecce Deus iam corda fatigat,
Altius insinuat venis, penitusq; per artus
Diditur, atq; faces sæuas sub pectore versat.
Nec se iam capit acer agens calor, igneaq; intus
Vis sæuit, totoq; agitat se corpore numen.
Ille autem exultans iactat iam non sua verba,
Oblitusq; hominem, mirum sonat, haud potis ignem
Excutere. inuitum miratur se ire, rapiq;
Præcipitem te Phœbe vocans, te Phœbe prementem
Vociferans: plenusq; Deo, stimulisq; subactus
Haud placidis. non ille dapum, non ille quietis
Aut somni memor hanc potis est deponere curam.
Sæpe etiam in somnis memores Phœbeia versant
Munera, & inuenti quidam qui sæpe sopore
In medio Musis cecinere & Apolline digna.
Tantus amor famæ, præsentis tanta Dei vis.
Ne tamen ah nimiùm puer ô ne fide calori.
Non te fortuna semper permittimus vti,
Præsentiq; aura sæuum dum pectore numen
Insidet: at potius ratioq; & cura resistat.
Fræno siste furentem animum, & sub signa vocato,
Et premere, & laxas scito dare cautius habenas.
Atq; ideo semper tunc expectare iubemus
Dum fuerint placati animi, compressus & omnis
Impetus. hic recolens sedato corde reuise
Omnia, quæ cæcus menti subiecerit ardor.
Præterea haud lateat te nil conarier artem,
Naturam nisi vt aßimulet, propiusq; sequatur.

Hanc

Hanc vnam vates sibi proposuere magistram:
Quicquid agunt, huius semper vestigia seruant.
Hinc varios mores q; hominũ moresq; animantum,
Aut studia imparibus diuisa ætatibus apta
Effingunt facie verborum, & imagine reddunt
Quæ tardosq; senes deceant iuuenesq; virentes,
Fœmineumq; genus, quantum quoq; rura colenti,
Aut famulo distet regum alto è sanguine cretis.
Nam mihi non placeat, teneros si sit grauis annos
Telemachus supra, senior si Nestor inani
Gaudeat & ludo, & canibus, pictis've pharetris.
Et quoniam in nostro multi persæpe loquuntur
Carmine verba illis pro conditione virorum,
Aut rerum damus, & proprij tribuuntur honores,
Cuiq; suus, seu mas, seu fœmina, siue Deus sit.
Sēper enim summus diuûm pater, atq; hominũ rex
Ipse in concilio fatur, si fortè coorta
Seditio, paucis. at non Venus aurea contra
Pauca refert Teucrûm indignos miserata labores.
Ingreditur furijs, atq; alia silentia rumpit
Acta furore graui Iuno, ac fata vsq; querelis.
Cumq; etiam iuueni gliscat violentia maior,
Ardens cui virtus, animusq; in pectore præsens,
Nulla mora in Turno, nec dicta animosa retractat.
Stat conferre manũ, & certamine prouocat hostem
Desertorem Asiæ, verùm quantum ille feroci
Virtute exuperat, tantò est impensius æquum
Et pietate grauem, & sedato corde Latinum
Consulere, atq; omnes metuentem expendere casus.

Multum etiam intererit, Didóne irata loquatur,
An pacato animo. Libycas si linquere terras
Troianus paret, & desertum fallere amorem,
Saeuiet, ac tota passim bacchabitur vrbe,
Mentis inops, immanis, atrox verba aspera rumpet,
Confusasq́ dabit voces, incertaq́, & anceps
Quae quibus anteferat. quantum ab distabit ab illa
Didone, excepit Teucros quae nuper egentes,
Soluere corde metum, atq; iubens secludere curas,
Inuitansq́ suis vellent considere regnis?
Nec te oratores pigeat, artisq́ magistros
Consuluisse, Sinon Phrygios quò fallere possit
Arte, dolis quocunq; animos impellere doctus,
Quóve tenere queat Graios fandi auctor Vlysses
Stante domum Troia tandem discedere certos.
Quid tibi nunc dulcem prae cunctis Nestora dicam,
Qui toties inter primores Argiuorum
Ingentes potuit verbis componere lites,
Et mulcere animos, & mollia fingere corda?
Artibus his certè Cytherea instructa, dolisq́
Arma rogat nato genitrix, & adultera laesum
Vulcanum alloquitur, dictisq́ aspirat amorem.
Nam causas petit ex alto indeprensa, viriq́
Circuit occulta verborum indagine mentem.
Discitur hinc etenim sensus mentesq́ legentum
Flectere, diuersosq́ animis motus dare, vt illis
Imperet arte potens (dictu mirabile) vates.
Nam semper seu laeta canat, seu tristia maerens,
Affectas implet tacita dulcedine mentes.

Quem

Quem non Threicij quondam sors aspera vatis
Molliat, amissam dum solo in littore secum
Eurydice solans ægrum testudine amorem
Te veniente die, te decedente vocaret?
Quid? puer Euryalus cùm pulchros voluitur artus,
Ah dolor, inq; humeros lapsa ceruice recumbens
Languescit moriens, ceu flos succisus aratro,
Ardet adire animus lectori, & currere in ipsum
Volscentem, puerìq; manum supponere mento
Labenti, ac largum frustrà prohibere cruorem
Purpureo niueum signantem flumine pectus.
Postremò, tibi siqua instant dicenda, ruborem
Quæ tenerum incuterent Musis adaperta, chorisq;
Virgineis, molli vel prætèrlabere tactu
Dißimulans, vel verte aliò, & rem suffice fictam.
Si pater omnipotens tonitru cælum omne ciebit,
Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deueniant, pudor vlterius nihil addere curet.
Nam sat erit, tellus quod prima, & conscius æther
Connubij dent signū, vlulént que in vertice Nymphæ.
Néve alijs impar nimiùm, ne Troïlus armis
Ah puer infelix facito concurrat Achilli,
Quàm quibus in Libyco conspexit littore pictum
Illum Anchisiades heros, dum victus anhelis
Fertur equis, currúque hæret resupinus inani,
Nec pueri veros congressus dicere cures.
Quid deceat, quid nō, tibi nostri ostendere possunt.
Inuenta ex alijs disce, & te plurima Achiuos
Consulere hortamur veteres, Argiuáq; regna

Explorare oculis, & opimam auertere gazam
In Latiũ, atq; domum latum spolia ampla referre.
Haud minor est adeò virtus, si te audit Apollo,
Inuenta Argiuûm in patriam conuertere vocem,
Quàm si tute aliquid intactum inueneris antè.
Aspice vt insignis peregrino incedat in auro
Fatidicæ Mantus, & Minci filius amnis,
Fulgeat vt magni exuuias indutus Homeri:
Nec pudet. egregias arteis ostenderit esto
Græcia, tradiderit Latio præclara reperta,
Dum pòst in melius aliunde accepta Latini
Omnia rettulerint, dum longè maxima Roma
Vt belli studijs, ita doctis artibus omnes,
Quod Sol cunque videt terrarum, anteiuerit vrbes.
Dij Romæ indigetes, Troiæ túque auctor Apollo,
Vnde genus nostrum cæli se tollit ad astra,
Hanc saltem auferri laudem prohibete Latinis.
Artibus emineat semper studijsq; Mineruæ
Italia, & gentes doceat pulcherrima Roma,
Quandoquidem armorũ penitus fortuna recessit,
Tanta Italos inter creuit discordia reges.
Ipsi nos inter sæuos distringimus enses,
Nec patriam pudet externis aperire tyrannis.
Spes tamen Italiæ postratæ affulserat ingens
Nuper, & egregijs animos erexerat ausis.
Heu frustra, inuidit laudi fors læua Latinæ,
Necdum fata malis Italum exaturata quierunt.
Iam gentes longè positæ trepidare, ducésque
Externi, iam diues Arabs, iam Nilus, & Indus

Aud

Audierant longè Tusci decora alta Leonis,
Audierant Medycúmq; genus, stirpémque deorum.
Iam tum ille egregias curas accinxerat ardens
Pro patriæ decore, pro libertate sepulta
Antiquæ Ausoniæ germano fretus Iulo,
Qui cum partitus curarum ingentia semper
Pondera commissas rerum tractabat habenas
Idem regnatórque hominum, diuûmq; sacerdos.
Iamq; illum Europæ reges, génsque omnis in vnum
Conuersiq; oculos, conuersiq; ora tenebant.
Iamq; duces animis illum concordibus omnes
Velle sequi trepidos in Turcas arma parantem.
Illum quadriiugo inuectum per mœnia curru
Roma triumphato vidisses protinus orbe.
Illum Tibri pater lætanti spumeus alueo
Exciperes Tuscus Tuscum, veheresq; per vndas
Miratus habitusq; nouos, hominumq; figuras.
Issent post currus capti longo ordine reges,
Oblitusq; minas minor iret barbarus hostis,
Qui victis Solymis nunc, atque oriente subacto
Exultat fidens, orbisq; affectat habenas
Efferus, atque Italæ iam iam (scelus) imminet oræ.
Visendi studio passim Romana iuuentus
Per fora, perq; vias festa discurreret vrbe.
Ipse suos solio fulgens pater aureus alto
Aspiceret ciues longo pòst tempore visos,
Barbaricumq; aurum, prædaq; iuberet aceruos
Sacratis adytis, penitusq; alta arce reponi.
Verùm heu (dij vestrum crimen) spes tanta repentè

Italia absumpta, ac penitus fiducia cessit.
Egregius moriens heros secum omnia vertit.

M. HIERONYMI VIDAE CREMON. POETIC.

LIBER III.

NVNC *autem linguæ studium, morémque loquendi,*
Quem vates Musæq; probent, atque auctor Apollo,
Expediam, curam extremam finémque laborum
Discendum indicia, & verborum lumina quæ sint
Munere Pieridum lustrandis addita rebus.
Ne te opere incœpto deterreat ardua meta,
Audendum puer, atque inuicto pectore agendum.
Iam te Pierides summa en de rupe propinquum
Voce vocant, viridiq; ostentant fronde coronam
Victori, atque animo stimulos hortatibus addunt.
Iámq; rosas calathis spargunt per nubila plenis
Desuper, & florum placido te plurima nimbo
Tempestas operit, gratúmq; effusus odorem
Ambrosiæ liquor aspirat diuina voluptas.
Verborum in primis tenebras fuge nubiláq; atra:
Nam neq; (si tantum fas credere) defuit olim
Qui lumen iucundum vltrò lucémq; perosus
Obscuro nebulæ se circunfudit amictu.
Tantus amor noctis, latebræ tam dira cupido.
Ille ego sim cui Pierides dent carmina Musæ
Lumine clara suo, externæ nihil indiga lucis.

Nec

Nec tamen id votis optandum denique magnis.
Ipse volens per te poteris, vis dædala fandi
Tot se adeò in facies, tot se conuertit in ora,
Mille trahens varia secum ratione colores.
Mille modis aperire datur mentisq; latebras,
Quiq; latent tacito arcani sub pectore motus.
Si tibi dum trepidas non hàc successerit, & lux
Non datur hinc, te verte aliò, luménque require
Nunc hàc nunc illàc, donec diffulserit vltrò,
Claráque tempestas cælo radiarit aperto.
Quinetiam angustis si non vrgebere rebus,
Cùm fandi tibi mille viæ, tibi mille figuræ
Occurrent, tu mille vias, tu mille figuras
Nunc hanc, nũc aliã ingredere, & mutare memẽto.
Iamq; hos iamq; alios haud segnis sumere vultus.
Nempe inde illectas aures immensa voluptas
Detinet, & dulci pertentat pectora motu.
Ergo omnem curam impendũt, vt cernere nusquam
Sit forma similes naturæ exempla sequuti,
Dissimili quòd sint facie quæcunque sub astris
Vitales carpunt auras, genus omne ferarum,
Atque hominum, pictæ volucres, mutæq; natantes.
Nónne vides verbis vt veris sæpe relictis
Accersant simulata, aliundeq; nomina porrò
Transportent, aptentq; aliis ea rebus, vt ipsæ
Exuuiasq; nouas, res, insolitosq; colores
Indutæ sæpe externi mirentur amictus
Vnde illi, lætæq; aliena luce fruantur,
Mutatoq; habitu, nec iam sua nomina mallent?

Sæpe ideo cùm bella canunt, incendia credas
Cernere, diluuiumq́ ingens surgentibus vndis.
Contrà etiam Martis pugnas imitabitur ignis,
Cùm furit accensis acies Vulcania campis.
Nec turbato oritur quondam minor æquore pugna.
Confligunt animosi Euri certamine vasto
Inter se, pugnantq́ aduersis molibus vndæ.
Vsqueadeo passim sua res insignia læta
Permutantq́, iuuantq́ vicissim, & mutua sese
Altera in alterius transformat protinus ora.
Tum specie capti gaudent spectare legentes.
Nam diuersa simul datur è re cernere eadem
Multarum simulacra animo subeuntia rerum.
Ceu cùm fortè olim placidi liquidissima ponti
Æquora vicina spectat de rupe viator:
Tantum illi subiecta oculis est mobilis vnda,
Ille tamen siluas, interq́ virentia prata
Inspiciens miratur, aquæ quæ purior humor
Cuncta refert, captosq́ eludit imagine visus.
Non aliter vates nunc huc traducere mentes,
Nunc illuc, animisq́ legentum apponere gaudet
Diuersas rerum species, dum tædia vitat.
Res humiles ille intereà non secius effert
Splendore illustrans alieno, & lumina vestit,
Verborúmque simul vitat dispendiia parcus.
Hunc fandi morem (si vera audiuimus) ipsi
Cælicolæ exercent cæli in penetralibus altis,
Pieridum chorus in terras quem detulit olim,
Atque homines docuere, deûm præclara reperta,

Illæ etenim Iouis æthereæ dicuntur in aula
Immistæ superis festas agitare choreas,
Et semper canere alternæ. Phœbiq; fruuntur
Colloquio, Vatúmque inspirant pectora ab alto.
Nec tamen haud solis fugit hæc me nota poëtis,
Verumetiam auctores alij experiuntur, & audent,
Præcipuè orantes causas, fandiq; magistri,
Seu sontes tendant legum compescere habenis,
Seu caros cupiant atris è mortis amicos
Faucibus eripere, & defletos reddere luci.
Quinetiam agricolas ea fandi nota Voluptas
Exercet, dum læta seges, dum trudere gemmas
Incipiunt Vites, sitientiaq; ætheris imbrem
Prata bibunt, ridentq; satis surgentibus agri.
Hanc Vulgo speciem propriæ penuria Vocis
Intulit, indictisq; Vrgens in rebus egestas.
Quippe Vbi se Vera ostendebant nomina, nusquam
Fas erat hinc atq; hinc transferre simillima Veris.
Paulatim accreuere artes, hominumq; libido,
Quodq; olim Vsus inops reperit, nunc ipsa Voluptas
Postulat, hunc addens Verborum rebus honorem.
Sic homines primùm Venti Vis aspera adegit,
Vitandiq; imbres stipulis horrentia tecta
Ponere, & informi sedem arctam claudere limo.
Nunc alta æratis trabibus, Parijsq; columnis
Regifico surgunt ædes ad sidera luxu.
Parcius ista tamen delibant, & minus audent
Artifices alij, nec tanta licentia fandi
Cuique datur solis Vulgò concessa poëtis.

Nempe pedum hi duris cohibentur legibus, & se
Sponte sua spatijs angusti temporis arctant:
Liberius fas campum alijs decurrere apertum.
Sacri igitur vates facta atque infecta canentes,
Libertate palàm gaudent maiore loquendi,
Quæsitiq; decent cultus magis, atque colores
Insoliti, nec erit tanto ars deprensa pudori.
Crebrius hi fando gaudent super æthera miris
Tollere res (nec sit fas tantùm credere) dictis.
It cælo clamor, tremit omnis murmure Olympus.
Nec mora, bis vocem ingeminant, vrbisq; ruinas,
Fataq;, præliáque, & sortem execrantur iniquam,
O pater, ô patria, ô Priami domus inclyta quõdam,
Clamantes, cecidit prò Iuppiter Ilion ingens.
Quid cùm Neptunum dicunt mare, vina Lyæum,
Et Cererem frumenta patrúmque è nomine natos
Significant, memorántq; vrbes pro ciuibus ipsis?
Atq; ideo timor attonitos cùm inuaserit Afros,
Africa terribili tremet horrida terra tumultu.
Nec deerit, tibi pro fluuijs, próque omnibus vndis
Pocula qui pressis Acheloia misceat vuis.
Ecce autem subitis conuersi vocibus vltrò
Sæpe aliquem longè absentem, desertáq; & antra,
Et solos monteis affantur: sæpe salutant
Siluasq;, fluuiósq;, & agros, sensúq; carentes
Speluncas, velut hæc sint responsura vocatas
Et vos ô vacui compellant nomine saltus.
Præterea verbis inimicos addere sensus
Oppositis, dum dissimulant, aliúdq; videbis

Sæpe loqui, atque aliud simulata condere mente.
Egregia intereà coniux ita nocte suprema
Deiphobo fidum capiti subduxerat ensem.
Nec minus insignis Drances, cùm stragis aceruos
Tot dedit, & claris insignijt arua tropæis.
Quid sequar vlterius, quanta dulcedine captas
Detineant aures, vocem cùm rursus eandem
Ingeminant, modò non verborum cogat egestas?
Pan etiam Arcadia neges hoc si iudice præsens,
Pan etiam Arcadia dicam te iudice vanum.
Hæc adeò cùm sint, cùm fas audere poëtis
Multa modis multis, tamen obseruare memento.
Siquando haud proprijs rem mauis dicere verbis,
Translatisq; aliunde notis, longéque petitis,
Ne nimiam ostendas, quærendo talia, curam
Nanq; aliqui exercent vim duram, & rebus iniqui
Natiuam eripiunt formam indignantibus ipsis,
Inuitásque iubent alienos sumere vultus.
Haud magis imprudẽs mihi erit, & luminis expers
Qui puero ingentes habitus det ferre gigantis,
Quàm siquis stabula alta, lares appellet equinos,
Aut crines magnæ genitricis gramina dicat.
Præstiterit verò faciem, spolia & sua cuique
Linquere, & interdum proprijs rem prodere verbis,
Indicijsq; suis, ea sint modò digna Camœnis.
Res etiam poteris rebus conferre vicißim,
Nominibúsque ambas verisq;, suisq; vocare.
Quod faciens, fuge verborum dispendia, paucisq;

Includas numeris, Vnde illa simillima imago
Ducitur, & breuiter confer, ne fortè priorum
Oblitus sermonum aliò traducere mentem,
Inq; alia ex alijs Videare exordia labi.
Iamq; age Verborum qui sit delectus habendus,
Quæ ratio: nam nec sunt omnia Versibus apta,
Omnia nec pariter tibi sunt Vno ordine habenda.
Versibus ipsa etiam diuisa, & carmina quantum
Carminibus distant, tantum distantia Verba
Sunt etiam inter se, quanuis communia multa
Interdum inuenies Versus diffusa per omnes.
Multa decent scenam, quæ sunt fugienda canenti
Aut diuûm laudes, aut heroum inclyta facta:
Ergo altè Vestiga oculis, aciemq; Voluta
Verborum silua in magna, tum accommoda Musis
Selige, & insignes Vocum depascere honores,
Vt nitidus puro Versus tibi fulgeat auro.
Reijce degenerem turbam nil lucis habentem,
Indecorésque notas, ne sit non digna suppellex.
Qui fieri id poßit, Veterum te semita Vatum
Obseruata docebit. adi monimenta priorum
Crebra oculis, animoq; legens, & multa Voluta.
Tum quanuis, longè siquis supereminet omnes,
Virtutem ex illo ac rationem discere fandi
Te iubeam, cui contendas te reddere semper
Aßimilem, atq; habitus greßúsque effingere euntis,
Quantum fata sinunt, & non auersus Apollo,
Haud tamen intereà reliquûm explorare labores

Abstiteris Vatum moneo, suspectaq́; dicta
Sublegere, & variam ex cunctis abducere gazam.
Nec dubitem versus hirsuti sæpe poëtæ
Suspensus lustrare, & vestigare legendo,
Sicubi se quædam fortè inter commoda versu
Dicta meo ostendant, quæ mox melioribus ipse
Auspicijs proprios possim mihi vertere in vsus,
Detersa prorsus prisca rubigine scabra.
Flumina sæpe vides immundo turbida limo:
Haurit aquã tamẽ inde frequens concursus, & altis
Important puteis ad pocula. desuper illa
Occultis diffusa canalibus influit, omnémque
Illabens bibulas labem exuit inter arenas.
Nil adeò incultum quod non splendescere possit,
Præcipuè si cura vigil non desit, & vsque
Mente premas, multúmque animo tecũ ipse volutes.
Atque ideo ex priscis semper quo more loquamur
Discendum, quorum depascimur aurea dicta,
Præcipuúmque audi rerum populamus honorem.
Aspice vt exuuias, veterúmque insignia nobis
Aptemus: rerum accipimus nunc clara reperta,
Nunc seriẽ atq; animum verborũ, verba quoq; ipsa.
Nec pudet interdum alterius nos ore loquutos.
Cùm verò cultis moliris furta poëtis,
Cautius ingredere, & raptus memor occule versis
Verborum indicijs, atque ordine falle legentes
Mutato. noua sit facies, noua prorsus imago.
Munere (nec longum tempus) vix ipse peracto

Dicta

Dicta recognosces veteris mutata poëtæ.
Sæpe palàm quidam rapiunt, cupiúntque videri
Omnibus intrepidi, ac furto lætantur in ipso
Deprensi, seu cùm dictis nihil ordine verso
Longè alios iisdem sensus mira arte dedere,
Exuerúntque animos verborum impunè priores:
Seu cùm certandi priscis succensa libido,
Et possessa diu, sed enim malè condita victis
Extorquere manu iuuat, in meliúsque referre:
Ceu sata, mutatóque solo felicius olim
Cernimus ad cælum translatas surgere plantas.
Poma quoque vtilius succos oblita priores
Proueniunt: sic regna Asiæ, Troiaq; penates
Transtulit, auspiciis Phrygius melioribus heros
In Latium, quanuis (nam diuûm fata vocabant)
Inuitus Phœnissa tuo de littore cessit,
Nec connubia læta, nec incœpti Hymenæi
Flexerunt immitem animum. tu victa dolore
Occidis, & curæ vix ipsa in morte relinquunt.
Nunquàm ô Dardaniæ tetigissent vestra carinæ
Littora, fors nulli poteras succumbere culpæ.
Ergo agite ô mecum securi accingite furtis
Vnà omnes pueri, passímq; auertite prædam.
Infelix autem (quidam nam sæpe reperti)
Viribus ipse suis temerè qui fisus & arti,
Externæ quasi opis nihil indigus abnegat audax
Fida sequi veterum vestigia, dum sibi præda
Temperat heu nimiùm, atque alienis parcere creuit,

Vana superstitio, Phœbi sine numine cura.
Haud longum tales ideo lætantur, & ipsi
Sæpe suis superant monimentis, illaudatiq;
Extremum ante diem fætus fleuere caducos,
Viuentésque suæ viderunt funera famæ.
Quàm cuperent vano potius caruisse labore,
Eq; suis alias didicisse parentibus arteis!
Sæpe mihi placet antiquis alludere dictis,
Atque aliud longè verbis proferre sub iisdem.
Nec mea tam sapiens per sese prodita quisquam
Furta redarguerit, quæ mox manifesta probabunt
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Tantum absit pœnæ metuens infamis vt ipse
Furta velim tegere, atque meas celare rapinas.
Non tamen omnia te priscis fas fidere, qui non
Omnia sufficient. quærenti pauca labore
Attentanda tuo nondum vlli audita supersunt.
Nos etiam quædam iccirco noua condere nulla
Relligio vetat, indictasq; effundere voces.
Ne verò hæc penitus fuerint ignota, suúmque
Agnoscant genus, & cognatam ostendere gentem
Possint, ac stirpis nitantur origine certa.
Vsqueadeo patriæ tibi si penuria vocis
Obstabit, fas Graiugenum felicibus oris
Deuehere informem massam, quam incude Latina
Informans patrium iubeas dediscere morem.
Sic quondam Ausoniæ succreuit copia linguæ.
Sic auctum Latium, quo plurima transtulit Argis
Vsus.

Vſus, & exhauſtis Itali potiuntur Athenis.
Nonne vides medijs vt multa erepta Mycenis
Graia genus fulgent noſtris immiſta, nec vllum
Apparet diſcrimen: eunt inſignibus æquis
Vndique per Latios & ciuis & aduena tractus.
Iandudum noſtri ceßit ſermonis egeſtas.
Rarò vber patriæ, tibi rarò opulentia deerit.
Ipſe ſuis Cicero theſauris omnia promet,
Auctoresq́ alij nati felicibus annis
Omnia ſufficient, nec ſolis crede poëtis.
Sæpe etiam vidi veterum inter carmina vatum
Barbarico verſus cultu, gazaq́ ſuperbos,
Belgicáque immiſit trans alpes eſſeda Gallus
In Latium, & longæ Macedum venere ſariſſæ.
Et metuam ne deficiat me larga ſuppellex
Verborum, anguſtiq́ premat ſermonis egeſtas?
Quin & victa ſitu, ſi me penuria adaxit,
Verba licet renouare, licet tua ſancta vetuſtas
Vatibus indugredi ſacraria. ſæpius olli
Aetatis gaudent inſignibus antiquai,
Et veterum ornatus induti incedere auorum.
Non tamen ille veter ſqualor fuat vndique, & ater
Verborum ſitus. his modus adſit denique, quando
Copia non deſit, quorum nunc peruius vſus.
Tum quoque ſi deerunt rebus ſua nomina certa,
Fas illas apta verbórum ambire corona,
Et latè circunfuſis comprendere dictis.
Verba etiam tum bina iuuat coniungere in vnum

Molliter inter se vinclo sociata iugali.
Verùm plura nefas vulgò congesta coire,
Ipsáque quadrifidis subniti carmina membris.
Itala nec passim fert monstra tricorpora tellus.
Horresco diros sonitus, ac leuia fundo
Inuitus per terricrepas per carmina voces.
Argolici quos ista decet concessa libido,
Talia connubia, & tales celebrent Hymenaeos,
Tergeminas immane struant ad sidera moles
Pelion addentes Ossae, & Pelio Olympum.
At verbis etiam partes ingentia in ambas
Verba interpositis proscindere, seq; parare,
Deterere interdum licet, atque abstraxe secando
Exiguam partem, & strinxisse fluentia membra.
Iccirco siquando ducum referenda, virûmq;
Nomina dura nimis dictu, atque asperrima cultu,
Illa aliqui, nunc addentes, nunc inde putantes
Pauca minutatim leuant, ac mollia reddunt,
Sichaeumq; vocant mutata parte Sicarbam.
Hinc mihi Titanum pugnas, & saeua gigantum
Bella magis libeat canere, Enceladiq; tumultus,
Quàm populos Itala quondam virtute subactos,
Atque triumphatas diuerso à littore gentes.
Sed neque verborum causa vis vlla canentem,
Consilium praeter, cogat res addere inanes,
Nomina sed rebus semper seruire iubeto
Omnia perpendens versus resonantia membra.
Verba etenim quaedam ignarum te fallere possunt,

Ni vigiles, mandatum & munus obire recusent,
Furentúrq; operi clam sese, & inertia cessent,
Cætera dum labor exercet concordia iussus
Quæq; suus: tantū illa dabūt numerúmq; sonúmq;.
Atq; ideo quid ferre queant, quid quæq; recusent
Explorare prius labor esto, & munera iusta
Mandato, ac proprium cunctis partire laborem.
Obscuros aliter crepitus, & murmura vana
Miscebis, ludésq; sonis fallacibus aures.
Nec tamen interdum vacuas, animoq; carentes
Addubitem ipse volens incassum fundere voces,
Verbáq;, quæ nullo fungantur munere sensus,
Diues vt egregio tantùm, & conspectus amictu
Versus eat, dulcią; sono demulceat aures.
Atq; adeò quæ sint, ne verò quære, profectò
Illa tibi se sponte dabunt per se obuia passim.
Sæpe autem ruptis vinclis exempta volutes
Membra, & compactum quæsitor disyce versum,
Pòst iterum refice, & partes in pristina redde
Partibus auulsas: nunquam te libera vinclis
Incautum fallent resoluto carmine verba.
Huc ades, hîc penitus tibi totū Helicona recludam.
Te Musæ puer hîc faciles penetralibus imis
Admittunt, sacrisq; adytis inuitat Apollo.
Principio quoniam magni commercia cæli
Numina concessere homini, cui carmina curæ,
Ipse deûm genitor diuinam noluit artem
Omnibus expositam vulgò immeritisq; patere.

Atque

Atq; ideo, turbam quò longè arceret inertem,
Angustam esse viam voluit, paucisq; licere.
Multa adeò incumbunt doctis vigilanda poëtis.
Haud satis est illis vtcunq; claudere versum,
Et res verborum propria vi reddere claras:
Omnia sed numeris vocum concordibus aptant,
Atq; sono quæcunq; canunt imitantur; & apta
Verborum facie, & quæsito carminis ore.
Nam diuersa opus est veluti dare versibus ora,
Diuersosq; habitus, ne qualis primus & alter,
Talis & inde alter, vultuq; incedat eodem.
Hic melior motuq; pedum & pernicibus alis
Molle viam tacito lapsu per leuia radit:
Ille autem membris, ac mole ignauius ingens
Incedit tardo molimine subsidendo.
Ecce aliquis subit egregio pulcherrimus ore,
Cui lætum membris Venus omnibus afflat honorẽ.
Contrà alius rudis informes ostendit & artus,
Hirsutumq; supercilium, ac caudam sinuosam
Ingratus visu, sonitu illætabilis ipso.
Nec verò hæ sine lege datæ, sine mente figuræ,
Sed facies sua pro meritis, habitusq; sonusq;
Cunctis, cuiq; suus, vocum discrimine certo.
Ergo vbi iam nautæ spumas salis ære ruentes
Incubuere mari, videas spumare reductis
Conuulsum remis, rostrisq; tridentibus æquor.
Tunc longè sale saxa sonant, tunc & freta ventis
Incipiunt agitata tumescere: littore fluctus

Illidunt rauco, atque refracta remurmurat vnda
Ad scopulos, cumulo insequitur praeruptus aquae mons.
Nec mora, Trinacriam cernas procul intremere omnem
Funditus, & montes concurrere montibus altos.
Cum vero ex alto speculatus caerula Nereus
Leniit in morem stagni, placidaeque paludis,
Labitur vncta vadis abies, natat vncta carina.
Hinc etiam solers mirabere saepe legendo,
Sicubi Vulcanus siluis incendia misit,
Aut agro, stipulas flamma crepitante cremari.
Nec minus exultant latices, cum teda sonore
Virgea suggeritur costis vndantis aëni.
Carmin[illegible] nec leui dicenda est scabra crepido:
Tum, si laeta canunt, hilari quoque carmina vultu
Incedunt, laetumque sonant haud segnia verba,
Seu cum vere nouo rident prata humida, seu cum
Panditur interea domus omnipotentis Olympi.
Contra autem sese tristes inamabile carmen
Induit in vultus, si forte inuisa volucris
Nocte sedens serum canit importuna per vmbras,
Vt quondam in bustis aut culminibus desertis.
Verba etiam res exiguas angusta sequuntur,
Ingentesque iuuant ingentia, cuncta gigantem
Vasta decent, vultus immanes, pectora lata,
Et magni membrorum artus, magna ossa, lacertique.
Atque ideo, si quid geritur molimine magno,
Adde moram, & pariter tecum quoque verba laborent
Segnia, seu quando vi multa gleba coactis

AEtern

Aeternùm frangenda bidentibus, aequore seu cùm
Cornua velatarum obuertimus antennarum.
At mora si fuerit damno, properare iubebo.
Si se forte caua extulerit mala vipera terra:
Tolle moras, cape saxa manu, cape robora pastor.
Ferte citi flammas, date tela, repellite pestem.
Ipse etiam versus ruat, in praecepsq; feratur,
Immenso cùm praecipitans ruit Oceano nox,
Aut cùm perculsus grauiter procumbit humi bos:
Cumq; etiam requies rebus datur, ipsa quoq; vltrò
Carmina paulisper cursu cessare videbis
In medio interrupta: quierunt cùm freta ponti,
Postquam aurae posuere, quiescere protinus ipsum
Cernere erit, mediisq; inceptis sistere versum.
Quid dicam, senior cùm telum imbelle sine ictu
Inualidus iacit, & defectis viribus aeger?
Nam quoq; tum versus segni pariter pede languet.
Sanguis hebet, frigent effaeta in corpore vires.
Fortem autem iuuenem deceat prorumpere in arces,
Euertisse domos, praefractaq; quadrupedantum
Pectora pectoribus perrumpere, sternere turres
Ingentes, totoq; ferum dare funera campo.
Nulla adeò vatum maior prudentia, quàm se
Aut premere, aut rerum pro maiestate canendo
Tollere. nunc illos animum summittere cernas
Verborum parcos, humiliq; obrepere gressu,
Textaq; vix gracili deducere carmina filo.
Nunc illos verbis opulentos, diuite vena

Cernere erit fluere, ac laxis decurrere habenis
Fluxosq́ue, ingentesq́ue. redundat copia læta
Vbere felici, verborumq́ue ingruit agmen
Hibernarum instar niuium, cùm Iuppiter alpes
Frigidus aëreas, atque alta cacumina vestit.
Interdum verò cohibent vndantia lora,
Non humiles, non sublimes media inter vtrunque
Littus arant veluti spatia, & confinia radunt.
Sic demum portu læti conduntur in alto.
Quod superest, quæ postremò peragenda poëtæ
Expediam, postquàm casus euaserit omnes,
Signaq́ue perpetuum dexuxit ad vltima carmen,
Exultans animo victor, lætusq́ue laborum
Non totam subitò præceps secura per vrbem
Carmina vulgabit. ah ne sit gloria tanti,
Et dulcis famæ quondam malesuada cupido.
At patiens operum semper, metuensq́ue pericli
Expectet, donec sedata mente calorem
Paulatim exuerit, fætusq́ue abolerit amorem
Ipse sui, curamq́ue aliò traduxerit omnem.
Intereà fidos adit haud securus amicos,
Vtq́ue velint inimicum animum, frontisq́ue seueræ
Dura supercilia induere, & non parcere culpæ
Hos iterum atque iterum rogat, admonitusq́ue latẽtis
Grates lætus agit vitij, & peccata fatetur
Sponte sua, quanuis etiam damnetur iniquo
Iudicio, & falsum queat ore refellere crimen.
Tum demum redit, & post longa obliuia per se

Incipit

Incipit hic illic veterem explorare laborem.
Ecce autem ante oculos noua se fert vndiq; imago,
Longè alia heu facies rerum, mutataq; ab illis
Carmina, quæ tãtùm antè recens confecta placebãt.
Miratur tacitus, nec se cognoscit in illis
Immemor, atq; operum piget, ac sese increpat vltró.
Tum retractat opus commissa piacula docta
Palladis arte luens. nunc hæc, nunc reijcit illa,
Omnia tuta timens, melioraq; sufficit illis,
Attondetq; comas stringens, siluamq; fluentem,
Luxuriemq; minutatim depascit inanem
Exercens durum imperium, dum funditus omnem
Nocturnis instans operis, operisq; diurnis
Versibus eluerit labem, & commissa piarit.
Arduus hic labor. hîc autem durate poëtæ,
Gloria quos mouet æternæ pulcherrima famæ.
Tum siqua est etiam pars imperfecta relicta,
Olim dum properat furor, ingenijq; morari
Tempestas renuit, suppletq;, & versibus affert
Inualidis miseratus opem, claudisq; medetur.
Nec semel attrectare satis, verùm omne quotannis
Terq; quaterq; opus euoluendum, verbaq; versis
Æternum immutanda coloribus. omne frequenti
Sæpe reuisendum studio per singula carmen.
Quod non vna dies, fors afferet altera, & vltrò
Nullo olim studio, nulla olim in carmine cura
Deprensæ per se prodentur tempore culpæ,
Quæq; latent variæ densa inter nubila pestes.
Quinetiam doctum multum iuuet ille laborem,

Qui variæ cæli creber mutauerit oras.
Namq; etiam mutant animi, genioq; locorum
Diuersas species, diuersos pectora motus
Concipiunt, nostrisq; noua se mentibus offert
Vltrò aliquid semper lucis, tenebræq; recedunt,
Atq; nouos operi semper fas addere flores.
Verùm esto hîc etiam modus. huic imponere curæ
Nesciuere aliqui finem, medicasq; secandis
Morbis abstinuisse manus, & parcere tandem
Immites, donec macie confectus, & æger
Aruit exhausto velut omnis sanguine fœtus,
Natiuumq; decus posuit, dum plurima vbiq;
Deformat sectos artus inhonesta cicatrix.
Tuq; ideo vitæ vsq; memor breuioris, vbi annos
Post aliquot (neq; enim numerum, neq; tēpora pono
Certa tibi) addideris decoris satis atq; nitoris,
Rumpe moras, opus ingentem dimitte per orbem,
Perq; manus, perq; ora virûm permitte vagari.
Continuò læto te dulces vndiq; amici
Gratantes plausu excipient. tua gloria cælo
Succedet, nomenq; tuum finus vltimus orbis
Audiet, ac nullo diffusum abolebitur æuo,
Et dubitamus opes animo contemnere auari,
Nec potius sequimur dulces ante omnia Musas?
O fortunati, quibus olim hæc numina dextra
Annuerint præcepta sequi, quæ ve ipse canendo
Iussa dedi plenus Phœbo, attonitusq; furore!
Quando non artes satis vlla, hominumq; labores,

Et

Et mea dicta parum prosint, ni desuper adsit
Auxilium, ac præsens fauor omnipotentis Olympi.
Ipse viam tantùm potui docuisse repertam
Aonas ad montes, longeq; ostendere Musas
Plaudentes celsæ choreas in vertice rupis,
Quò me haud ire sinunt vnquã fata inuida, & vsq;
Absterrẽtq;, arcentq; procul, nec summa iugi vnquã
Fas prensare manu fastigia. sat mihi, siquem,
Siquem olim longè aspiciam mea fida sequutum
Indicia exuperasse viam, summoq; receptum
Vertice, & hærentes socios iuga ad alta vocantem.
Sed nonnulla tamen nostri quoq; gratia facti
Forsan erit, me fida olim præcepta canentem
Stipabunt iuuenes denso circùm agmine fusi.
Et vocem excipient intenti sensibus omnes.
Tum vitæ si iusta mea procedere lustra
Fata sinent, nec me viridi succiderit æuo
Impia mors: olli gelida tardante senecta
Languentem, & sera defessum ætatẽ magistrum
Certatim prensa super alta cacumina dextra
Sæpe trahent, vltroq; ferent per amœna locorum,
Et summi inualidum sistent ad limina Phœbi
Cantantem Musas, vatumq; inuenta piorum.
Virgilij ante omnes læti hic super astra feremus
Carminibus patrijs laudes, decus vnde Latinum:
Vnde mihi vires, animus mihi ducitur vnde.
Primus vt Aonijs Musas deduxerit oris
Argolicum resonans Romana per oppida carmen.

Vt iuuenis Siculas siluis inflarit auenas,
Vtq; idem Ausonios animi miseratus agrestes
Extulerit sacros ruris super æthera honores
Triptolemi inuectus volucri per sidera curru:
Res demum ingressus Romanæ laudis ad arma
Exciérit Latium omne, Phrygumq; instruxerit alas
Verba Deo similis, decus à te principe nostrum
Omne pater. tibi Graiugenûm de gente tropæa
Suspendunt Itali vates tua signa sequuti.
Omnis in Elysijs vnum te Græcia campis
Miraturq;, auditq; vltrò, assurgitq; canenti.
Te sine nil nobis pulchrum. omnes ora Latini
In te oculosq; ferunt versi: tua maxima virtus
Omnibus auxilio est: tua libant carmina passim
Assidui primis & te venerantur ab annis.
Ne tibi quis vatum certauerit: omnia cedant
Sæcla, nec inuideant primos tibi laudis honores.
Fortunate operum, tua præstans gloria fama,
Quò quenquam aspirare nefas, sese extulit alis.
Nil adeò mortale sonas. tibi captus amore
Ipse suos animos, sua munera lætus Apollo
Addidit, ac multa præstantem insignijt arte.
Quodcunque hoc opis atque artis, nostriq; reperti
Vni grata tibi debet præclara iuuentus,
Quam docui, & rupis sacræ super ardua duxi,
Dum tua fida lego vestigia, te sequor vnum
O decus Italiæ, lux ò clarissima vatum.
Te colimus, tibi serta damus, tibi tura, tibi aras,
Et tibi rite sacrum semper dicemus honorem

Carminibus memores. salue sanctissime vates:
Laudibus augeri tua gloria nil potis vltrà,
Et nostra nil vocis eget. nos aspice praesens,
Pectoribusq; tuos castis infunde calores
Aduenìens pater, atq; animis te te insere nostris.

FINIS.

MARCI HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS,

BOMBYCVM

LIBER I.



VOS *mores, quas aut paruis reptantibus artes*
Iuppiter addiderit, quae fila tenacia Serum
Ore vomunt satura, vos mecum euoluite Nymphae
Seriades. vos lanifici gregis aurea nostis
Munera, quae pater Italiae prior intulit olim
Serius huc patrijs Serum deuectus ab oris.
Tuq; ades, & nostro succurre Isabella labori
Nympha Padi in ripa magnis è regibus orta,
Quae gentem pulchra auxisti pulcherrima prole
Gonsagam, exiguis ades huc non aspera coeptis.
Et vos ò placidae properate, vbi quaeq;, puellae.
Vestrum opus hoc, vestros faciles hic discite cultus.

Id tineæ in siluis multis voluentibus annis
Gentibus ignotum vixit genus. aurea frustrà
Edebant opera vmbriferis pendentia ramis.
Nam pluuiæ, lateq; immites omnia venti
Vastabant, tenui nec honos, nec gloria filo
Vlla erat: in siluis ceu quondam more ferarum
Degebant homines antiquo robore nati.
Nondum vrbes, nondum certos gens dura penates
Nouerat, aut vllas vitam excoluisse per arteis.
Verùm postquam homini diuina est muneris vsus
Traditus, in tectis, atq; intra septa domorum
Siluestres tineas alere, atq; impendere curam
Cœpit, opes multi hinc ad summas emersere.
Quanuis esse aliquas etiam nunc fertur in oris
Longè alijs gentes, quæ nondum in tecta relatas
Per lucos errare sinunt, nulloq; labore
Fila suo carpunt oneratis mollia ramis.
Nanq; malo assuetæ arboribus frondentibus illæ
Pubentes siluas, & quæq; tenerrima carpunt,
Iniussæq; instant operi. non horrida multum
Flabra nocent, neq; prouisi prudentibus imbres.
Quippe, vbi senserunt in nubes aëra cogi,
Diffugiunt trepidæ folijsq; sub omnibus hærent.
Securæq; hiemis velut alta ex arce sonantes
Accipiunt Austros, pulsataq; robora nimbis.
Sed tu ne, moneo, in siluis permitte vagari
Incustoditas, nec curam adhibere recusa
In tectis: huius non gratia parua laboris.
Haud longum tempus fluet, & iam stamine multo

Diues

Diues eris, filoq; ibis spectabilis aureo.
Principio ne te lateat quæ tradita agendæ
Sint illis vitæ spatia. breuis omnibus ætas,
Vix illi Luna completur tertius orbis,
Et nunquam ex sese prolem videre creatam.
Intereunt omnes, pecus occidit omne quotannis,
Et cunctam euertunt fera fata ab origine gentem.
Immortale tamen restat genus his, neq; morti
Est penitus locus, æternùm nam semina durant.
Ceu quondam silua si fortè aut frigore diro,
Aut æstu arescant summæ, tamen abdita quædam
Vitalis superat vis in radicibus imis,
Et trunco exciso noua vere repullulat arbos.
Non secus extinctis bombycibus annuus ortus:
Vsq; noua in regnis proles succedit auitis.
Ne verò ante diem, sed tempestiua creata
Sit soboles, veto ne reuoces in luminis oras
Progeniem extinctã, attonsis cùm gramina campis
Nondum vlla, aut frondes apparent arbore nullæ.
Antè noua incipiat morus reuirescere silua,
Néve fames teneris, néve obsint frigora alumnis:
Ipsi etiam morum agricolæ, ne tempora fallant,
Obseruare solent. nam cùm sese illa virentem
Induit in frondem, nostris tum protinus oris
Excessisse hiemem, & manes abÿsse sub imos
Nil dubitant, nec sæua vltrà pecoríve satísve
Frigoráve glaciémve timent, canámve pruinam.
Prætereà tibi Lunai gelida incrementa
Sunt seruanda. senescentis fuge tempora lunæ.

Nec

Nec tum etiam liquidis cùm sese nuper ab vndis
Extulit Oceani, pallentesq; humida vultus
Ostendit gracili incedens per inania cornu,
Vtile erit teneros ouis excludere fœtus.
Expecta cùm plena animis, cùm lumine largo
Solis ab igne tumens, altumq; per æthera vecta
Carpit iter, fratremq; audet se attollere contra.
Tum fas fœturæ, tum iustum incumbere tempus,
Quandoquidem validas crescenti à lumine vires
Semina concipiunt genitalia. tum fauet æther,
Maioremq; trahunt nascentia membra vigorem.
Quo foueas autem pacto, mos ipse fouendi
Haud simplex. sunt quæ calido sub Sole relinquunt
Oua, recens donec fœtus in luminis auras
Prodierit. tu conde sinu velamine tecta,
Nec pudeat roseas inter fouisse papillas,
Si te tangit honos, & flaui gloria fili.
Cumq; dies alterq; dies processerit, ecce
Cernere erit formis animantia feruere miris.
Ante opus omne tamen pete matutina deorum
Limina, ferq; preces supplex, diuisq; litato
Auspicibus cunctorum operum, cùm mane sacerdos
Synceram Cererem, & Lenæum libat honorem.
Nec non lanicij florem velamina prima
Suspendes templis. auertunt omnia fœtu
Munere placati superi mala, frigora & æstus,
Et quæ multa solent bombyci instare pericla.
Intereà populis sedes, & tecta futuris
Ipsa nouare iube, tabulataq; victa senecta.

Non

Non apta ſine ſole domus, ſine luce penates.
Sed duplices recta lumen regione feneſtræ
Admittant, quarum ſurgentes altera Phœbi
Spectet equos feſſos contra altera, iamq́ʒ cadentes,
Tum vitri pellucentes opponere quadras
Hinc atqʒ hinc iubeo, lini aut firmiſsima texta,
Vt neqʒ concutiant venti, neqʒ nubila nimbis
Conſpergant, obſitq́ʒ intus penetrabile frigus.
Nec poſtrema fuit cautis prætendere cura
Retia rara, auium inſidias, & callida furta
Auerte: illudit paſſer cuſtodibus olim
Improbus, illudit chortis criſtata volucris.
Dant ſtragem paſsim roſtris immitibus, implentq́ʒ
Ingluuiem, ac viuo viua abdunt corpora buſto.
Nec, quibus eſt tineæ felicis copia multa,
Parietibus ſedem affigunt, ſed quatuor æquis
Tectorum in medio erectis hinc inde columnis
Plurima ſuſpendunt tabulata, aulæq́ʒ per altos
Surgunt mille gradus, digeſtæq́ʒ ordine ſedes.
Tuq́ʒ etiam, variæ vt nequeant irrepere peſtes,
Parietis antiqui vitium ne neglige ſegnis:
Sed calce aut creta linito, atqʒ anguſta viarum
Quæqʒ time. mus ſæpe cauis ſeſe abdidit imis.
Luce latens, at cum in tenebris cinis occulit ignem
Sopitum, indulgetq́ʒ graui cuſtodia ſomno,
Improbus egreditur tutis ad furta latebris,
Et citus irreptat tabulis, ſæuitq́ʒ per omnes
Cæde madens aulas, prædamq́ʒ auertit ab altis
Porticibus ſatur, atqʒ cauis epulatur in antris.

Moli

Molire insidias, deceptum carcere claude,
Ignarusq; doli ipse sibimet vincula nectat,
Dum petit ostensam confidentißimus escam,
Quadã etiã trabibus, quibus omnis machina rectis
Nititur, auxiliantur, & imas sentibus armant,
Sentibus & tribulis, ac iuniperi hirsuta
Vulnificos addunt gladios, circum undiq; ut hostis
Indeprensus erat saltem per vulnera mille,
Nec referat captam multo nisi sanguine prædam,
Verùm age vix tenebras pepulit lux tertia rebus,
Ecce sinu incipiunt tepido calefacta moueri
Semina, iam visenda nouis animalia formis
Irrepunt, paßimq; albis mantilibus errant.
Ne verò iam tum hæc thalamis sublimibus infer.
Exiguus primùm capiet sobolem locus omnem,
Corpora deinde aucta cunabula prima relinquent:
Tum cunctam in populos, in vicos diuide gentem:
Diuisasq; dabis sedes, secretaq; regna.
Nec satis hoc semel: at quoties his arcta videbis
Esse domus spatia, augentur dum corpora cuiq;,
Has toties legere, inq; nouas diducere sedes
Ne dubita, donec tabulas impleueris omnes.
Nec tamen intereà paruas non pascere oportet.
Vt primùm hauserunt cæli auras, pabula poscunt,
Assuescunt iam tum dapibus, mensasq; requirunt.
Sed prodest, nondum thalamos experta puella
Prima manu tenera teneras si pascat alumnas.
Primam autem mori pubem, atq; tenerrima semper
Quaq; legunt, dum grex tener est, atq; inscius æui.

Contin

Continuò veterùm veluti memor ille parentum
Agnoscit vescas frondeis, ipsasq; recentes
Deposuit. nam si plenis seruentur in horreis
Hesterna, dulcis succi corrumpitur aura,
Et sapor ingratus subit, atq; inamabilis haustu.
Mane petunt igitur siluas, & quaq; reportant
Pabula lecta die famulæ, gratumq; laborem,
Sortita inter se folia illibata canistris
Expediunt, legit illa, domum fert altera lecta,
Instaurant alia mensas, epulasq; ministrant,
Pabula larga superiaciunt pecus omne tegentes.
Protinus emergunt tineæ, folioq; iacenti
Victrices super assistunt, omnisq; iuuentus
Vescitur, atq; auida dapibus implentur opimis.
Fit strepitus, longè qualem olim sæpe solemus
Cùm pluit, in tecto clausis audire fenestris.
Nec mora, nec requies, properant, & grandia morsu
Attondent folia emensæ, redeuntq;, iterumq;
Incumbunt, longam nequeunt explerier aluum,
Dum superant frondes, & plena pabula mensa.
Tuq; ideo parcis epulis moderare canistris,
Terq; die tantùm pasces: nam prodiga cunctam
Si frondem simul effundas, sine more, dapesq;
Accumules, mensasq; oneres, auertitur vltrò
Ingratam saturum morum pecus, atq; repentè
Ipsa parit largi fastidia copia victus.
Paulatim inuita, metuant sibi pabula semper
Deficere, expectentq; dapes. prius iniice ludens
Frondem vnam, ac certare sine, illa protinus omnes

Arre

Arrexere animos cupidæ prædamq; capessunt
Certatim, pariterq; ingens subit ardor edendi.
Tum demum solitas epulas effunde canistris,
Dum dapis optatæ fuerit compressa libido.
Sed ne longa fames noceat tamen aspice prudens,
Dum nimium differs epulas, & gaudia mensæ.
Nam soliti impastis si desit copia victus,
Nulla mora est miseras macies deformat iniqua:
Pabula deinde parum exhaustis duplicare iuuabit,
Et vix longa dies lapsas in pristina reddet.
Dira fames adeò nocet, ac penuria edendi.
Quinetiam haud parui mutari pabula refert.
Est bicolor morus, bombyx vescetur vtraque,
Vtraque grata illi, cui verò assuerit eandem,
Nigra, albens've fuat, nullo discrimine amabit,
Quanuis Ausonijs laudetur nigra puellis.
Fortè etiam si deficiant folia omnia mori,
Et subitò siluæ (dij talem auertite casum)
Thisbææ arescant nimio æstu, aut frigore, quæris
Quas nam tum pereant ne res tibi funditus omnes,
Bombyci iubeam legere, & summittere frondes.
Orandi superi eueniant ne talia nobis:
Si tamen vrgeris, conscendat robora pastor
Vlmea per siluas, & summa cacumina carpat.
His etenim arboribus multum est affinis origo,
Iamq; ideo agricolæ morum didicere per agros
Inserere vmbrosæ ramis ingentibus vlmi,
Et steriles siluæ nunc dant bicoloria mora.
Sunt aliæ, quæ, si fetus sibi nascitur antè,

Quàm

Quàm Thisbaa nouis adolescat frondibus arbos,
Vrticámque rubósque legunt, dum plurimus humor
Vere subest. at tu teneris nunc parce puellis,
Crura manúsque arment facito, nec robora dura
Ascendat permitte in siluis innuba Virgo:
Verùm operum patiens anus, & cui durior annis
Sit cutis (ingrata facilis iactura senecta)
Munere fungatur tali, ne fortè quis altis
Egressus siluis Satyrorum è gente procaci
Suspiciat, teneraq́ pudor notet ora puellæ.
Illa quoque in primis cura est, Vt pabula semper
Sicca legant, nulláque fluant aspergine silua
Aut pluuiæ, aut roris nocturni: quippe Venenum
Sæpe fuit quanuis tenuis bombycibus humor.
Nunquàm igitur, cùm nox horis silet intempestis,
Accedant siluam. Expectent dum gurgite Eoa
Tethyos exierit, sursumq́ eduxerit omnem
Collectum noctis humorem purpureus Sol,
Et iam treis scandens supra alta peregerit horas.
Quòd si fortè etiam fuerit tunc humida silua,
Vt potes, è folijs stillantem decute rorem.
Profuit &, siquando matutina pruina
Perstrinxit teneras frondes, ostendere Soli
Cratibus impositas, & frigora Vincere flammis.
Cúmque tibi fuerint suspecti denique nimbi,
Appropera, calathos cape, moros scande, ministras
Voce Voca, mitte in siluas, sine lege legunto
Obuia quæque, penum folijs atque horrea comple,
Ne, dum sæuit hiems, perdant ieiunia pubem

Laniuomam, at parta securæ fronde fruantur.
Quòd si adeò subitum citò non præuideris imbrem,
Ne turpi rigeat macieque, faméque senescat
Omne pecus, validos in siluas mitte colonos,
Qui tibi vtraque manu nūc huc, nūc robora & illuc
Crebra agitent, frondem patulis tu impone canistris
Rorantem, quando fatis vrgemur acerbis.
At labor intereà famulas exerceat alter.
Cura sit hesternæ semesas tollere mensæ
Reliquias, tabulisq; immundam auertere ventris
Proluuiem. mane antè pecus quàm pabula gustet,
Tergendæ sedes, & gramine peruerrendæ.
Tum Bacchi irrorant gratum bene olentis odorem,
Purgatisq; abigunt tabulis tristem omnibus auram.
Hinc leuiter digito medicatis sedibus omnes
Traducunt cœtus latos melioribus auris,
Nec super extremas errare licentius oras
Permittunt. semper media ad penetralia cogunt,
Præcipitésque timent lapsus altásque ruinas.
Huic generi facilis lethi via. protinus ægras
Delapsæ effundunt animas, lucémque relinquunt.
Siqua tamen superest, & cæli vescitur aura
Post casum, inspicito. nam si pars corporis vlla est
Læsa tibi deprensa, aliarum sedibus vltrò
Proijce, nec frustrà libeat tibi pascere inertem.
Nullam operam omnino, nullum expectabis ab illa
Certa opus. ignauum deducet inutilis æuum,
Et comitum egregias tantùm mirabitur arteis.
Sæpe etiam impastas auerti pabula cernes,

Sopit

Sopitasq́; graui Veluti torpere Veterno
In tabulis. hic parce metu, ne corpora morbus
Fortè aliquis, gentemq́; lues inuaserit ægram.
Hunc illis morem, natura hunc ipsa soporem
Addidit, indulgent somno, stratisq́; quiescunt,
Sopitisq́; dies alter transibit & alter.
Cùm Verò expulerit noctem lux tertia rebus,
Consurgent, lætaq́; ad pabula nota redibunt.
Ergo illas tumidas iubeo obseruare: nec ingens
Nosse labor, ne improuisus sopor occupet. Vltrò
Signa dabunt ipsa. cælo capita ardua tollent
Arrecta. spernéntque dapes. tum pigra notabis
Corda, animos resides, insueta silentia mensis.
Non tamen adueniet somnus simul omnibus idem.
Insomnes aliqua Vigilant, dum turba quiescit
Cætera, nondum apta, teneros quibus alliget artus
Irrepens sopor. aduenient sua tempora & illis,
Atque omnes tandem demittent lumina somno.
Cura sit intereà insomnes legere atque Vagantes,
Secretasq́; alijs aliam citò transfer in aulam.
Sopitæ stabulent simul. his par omnibus ætas.
Vnà operi incumbent, & eodem tempore sese
Artubus exoluent, supera ad conuexa Volantes.
Dúmq́; Deus stratis thalamisq́; silentibus ales
Regnat lethæo perfundens corpora rore,
Pabula subtrahito soluta. frondemq́; negato.
Nam tumidæ intereà renouant torpentia alumnæ
Corpora; & exuias Veteres, ac tegmina ponunt,
Et nitidam induitur pubes renouata iuuentam.

Ceu fodère domos serpentum ubi lubrica turba
Sub terram veniente hieme, stant frigore inertes,
Dum redeat terris tepidi clementia veris:
Tum demum egressi, ad Solem squalentia terga
Convoluunt posita turpi cum pelle senecta.
Annuus hic illis mos, at bombycibus ipsis
Ter pigra, dum vivent, renouabit corpora somnus.
Iámque age, iam grandes fœtus, iam ducitur ætas
Ultima, turgenti filum tralucet in aluo
Omnibus, accingunt alacres, operiq́ parant se.
Pabula iam saturæ fugiunt. noua quærere regna
Ardor agit. tollunt oculos arrectáque terga.
Omnia vestigant latè loca, sicubi rami
Arbutei, per quos sua possint tendere fila,
Atq́ nouis priscos cupiunt mutare penates,
Et tabulæ extremis pendentes sedibus hærent.
Tum famulæ properare, omnes prouisa parare
Sarmenta, & steriles tectis inferre genistas.
Iámque illæ antiquas sedes, supera ardua linquant,
Atq́ noua hospitia inuadant per vimina lenta
Demissæ, nisi succurrat nurúum ocyus omnis
Hinc atq́ inde manus durum miserata laborem.
Ipsæ nam manibus secernunt grandia natu
Corpora iam matura operi, iamq́ apta labori,
Per ramósque locant arentes agmina densa.
Summotas alias arcent, dum funditus omnes
Corporeæ excedant labes, ac temporis orbe
Perfecto sua cuique dies exemerit omnem
Alui insyncera illuuiem, purúmque relinquat

Lanic

Lanicium, & fili tralucens simplicis aurum.
Sic vbi mitescunt pendentes vitibus vuæ,
Paulatim liquor ille intus rarescit, & aureus
Accedit color, elucent purißima musta.
Tum demum tabulis paßim sarmenta relictis
Complerunt omnes, pérq; atria virgea lata
Exercentur, & effundunt quæsita per æuum
Stamina ditis opes veteri, suspensáq; densos
Fila regunt inter ramos, atq; ordine ducunt.
Mille legunt relegúntq; vias, atq; orbibus orbes
Agglomerant, cæco donec se carcere claudant
Sponte sua. tanta est edendi gloria fili.
Mox autem clausæ interius circùm vndiq; lecta
Stamina condensant, teretisq; oui instar opus fit.
Nullæ operum immunes. est omnèis cernere paßim
Noctes atq; dies niti præstante labore,
Et quasi de palma summas contendere vires.
Aspicias quasdam incipere, primúmq; laborem
Tendere adhuc, quasdã obscuro iam carcere clausas.
Ast aliæ velut in nebula, fumóq; nigranti.
Nunc etiam apparent properantes intus, & omnes
Fas oculis spectare vias, variúmq; laborem.
Quin & nonnullæ paribus communia curis
Associant opera, & nebula clauduntur eadem.
Quædam adeò (visu miserabile) sæpe repertæ,
Dum tendunt superare alias, instántq; labori,
Vitam opere in medio clausæ sub nocte dedisse,
Ante diem ah miseræ, iacuit labor interruptus.
Parua mora est tamen. vt se aliæ inclusere latebris,

Extremoq́ʒ manum summam imposuere labori,
Exhausta intereunt omnes, terrasq́ʒ relinquunt.
Ite animæ egregiæ fortunatæq́ʒ laborum
Vltrò in fata alacres. Vobis nempe altera fato
Corpora debentur, Vobis miserata priorem
Eripiet formam Venus, atque ad dulcia reddet
Lumina, & æreas rursum reuocabit in auras.
Prima Venus docuit bombycem in tecta referre
Eductam siluis, atque hanc impendere curam.
Antè homines nati durum genus ilice rupta
In siluis nudi degebant more ferarum,
Necdum Vllus lini, necdum Vllus Velleris Vsus.
Verùm dura hiemis pellebant frigora, noctisq́ʒ
Humorem fruticum se frondibus inuoluentes,
Et liquidos imbres Vitabant arbore tecti,
Per noctemq́ʒ cauis latitabant rupibus hirti,
Hic illic misti latos impunè per agros
Cum nudis nudi iuuenes errare puellis.
Ast Vbi crescenti paulatim cognitus orbi
Irrepsit pudor, exuuijs cœpere ferarum
Aut tergo bouis, aut Villosi pelle leonis
Se tegere, & corijs inuoluere mollibus artus.
Ipsi etiam nudi degebant æthere in alto
Cælicolæ, caliq́ʒ nurus discrimine nullo.
Prima deûm Pallas docuit committere campo
Enodis lini segetem, & tondere bidentem
Lanigeram, ac tenui telas intendere filo.
Illa quidem primùm Vario se ornauit amictu
Egregiam picto pallam circundata limbo.

Mox

Mox alias etiam texit ditissima diuas.
Nec mora, deinde nouam ostēdit mortalibus artem.
Tantùm nuda Venus mœrebat muneris expers
Egregij, ob formam textrici inuisa Mineruæ,
Atque irrisa diu super Idalium frondosum
Se natosq́; suos in siluis condidit atris,
Cui pòst optanti Fors & Deus attulit olim
Auxilium. nam Peliacis te in montibus altis
Phyllira Nympharum pulcherrima montanarum,
Saturnus captus forma & florentibus annis
Viderat errantemq́;, & gramina certa legentem.
Ah quoties precibus Nympham Deus aspernantem
Tentauit supplex, ingrataq́; munera verbis
Addidit! ah quoties nimbosis montibus errans
Matutinus iter tulit, & monstrauit in agris
Præsentes morbis herbas, vsumq́; medendi!
Illa auersa Deum semper fugiebat amantem.
Quid faceret? Venerem supplex, adit ipse, rogatq́;
Auxilium, & meriti promittit præmia tanti.
Diua monet duræ frustra præcordia Nymphæ
Tentari, nulli pectus penetrabile amori,
Nec precibus, nec muneribus mutarier vllis,
Fallendamq́; dolis tantùm, furtisq́; domandam.
Ergo se in faciem subitò transformet equinam
Imperat, & pascat qua gramina sueuerat illa
Quærere, vt ignaram furto aggrediatur opertus.
Nec mora præceptis, hinnitu Pelion altum
Clausus equo Deus impleuit, votoq́; potitus
Vi tenuit frustrà pugnātem, & multa recusantem.

Exin promeritæ Veneri pro munere magno
Semina clausa dedit niueo tenuissima linteo,
Et meriti memor, His (inquit) pulcherrima texes
Diua tibi insignes tunicas nihil indiga lanæ,
Aut lini, quæ dona negat tibi iniqua Minerua.
Hinc præcepta dedit, diuinam & prodidit artem,
Quam primus, nati fugeret cùm protinus iras,
Deprendit solis meditando in montibus olim.
Insuper admonuit venturi præscius æui
Quondã aliquos (sed enim multò pòst) affore vates,
Qui totum canerent præclara inuenta per orbem
Gratum opus Ausonijs, dum voluent fila, puellis.

M. HIERONYMI VIDAE CREMON. BOMBYC.
LIBER II.

RVrsus ades Nympha, inceptum iam perfice munus
O decus Italidûm fortunatissima matrum,
Quæ vastas fessæ Italiæ miserata ruinas
Haud dubias pulchra spes nobis prole tulisti.
Tu iam læta tuos natos præstantibus ausis
Cælicolas ipsos supra se ferre videbis.
Aspice iam quantas ostentet corpore vires
Federicus puer, vt vulta decora alta parentum
Spondeat, vt veniant scintillæ ardentis ab ore,
Flagrantésque micent oculi, vtq; horrentia semper
Bella sonet, puerisq; agitet se pectore Mauors,

Iámque

Iamq; adeò nunc arma placent, iam feruidus acri
Gaudet equo, indomitúsq; animi, cupidúsq; pericli.
Hunc iam regna Asiæ metuunt, oriénsque subactus,
Gangésque, Tigrisq; tremunt, atq; Indus Hydaspes.
Sæpe hunc Euphratæ propter vaga flumina Eoæ
Bellantem aspicient multa inter millia matres,
Horrescentq; animis hostem, paritérq; timebunt
Egregio iuueni, cæcoq; vrentur amore
Præstanti captæ forma, & iuuenilibus annis.
Gaudia mox trepidæ referet tibi quanta reuertens
Vltus auos Graiûm, Solymorúmque eruta templa?
Tunc illum Minci in ripis facta ampla canentes
Carminibus tollent sublimem ad sidera vates.
Lanificas nos intereà reuocamur ad artes.
Frondosæ inuitant rursus sub tegmine mori
Seriades, grataq; legunt è fronde coronam,
Quando nondum ausim laurum sperare superbam,
Aut caput intonsis hederarum innectere ramis.
Ergo age, sarmentis dum se super aurea bombyx
Exercet, nitidúmque edit de pectore filum,
Nempe tuæ intereà prorsus nihil indiga curæ est,
Dum nouies roseus se lauerit æquore Titan,
Disce laboranti pecori non pigra mederi,
Tristibus & morbis occurrere. Vos quoque nostri
Paruæ animæ exercent per tot discrimina casus,
Vestraq; pallentes infestant corpora morbi.
Corrupta siue illa lues cæli influit aura,
Seu vitio infectæ frondis, gens labitur ægra,
Et cœtus subitò serpunt contagia in omnes.

Inuadit mors, intereunt data corpora letho,
Et thalamis paßim tetro manantia tabo
Eusa iacent: perit omne pecus, spes irrita fili.
Dij teneros, dij vos fætus arcete periclis,
Cùm nondum morbis præsentes omnibus herbas
Monstrarit natura, hominúmve industria solers
Nondum morborum causas deprenderit omnes.
Multa tamen, longo quæ nos inuenimus vsu,
Quæq; alij docuere, tibi nunc dicere pergam.
Nil adeò tineis fuerit præsentius ægris,
Quàm subitò è medio iucundo lumine cassas
Tollere, ne totam perfusa cadauera tabo
Latius incestant miserando funere gentem:
Nec minus inde tibi tristis contagia cæli
Sit studium vitare. iuuat cùm lucidus æther,
Cùm noctis gelidum Sol rorem sustulit, & cùm
Inter se alpinus Boreas, atq; humidus Auster
Pacem agitant, vitro detracto aperire fenestras,
Quóve almam lucē aspiciant, quóve æthera purum,
Aurarumq; leues animas, & frigora captent.
Nempe intrò veniens Zephyris variantibus aër
Aëra dispellit pigrum nouus, & graue olentes
Lustrat, agens sese, thalamos, variatq; saluber,
Qui nisi mutetur crebrò, corrumpitur, haustusq;
Inducit varios reptantum in corpora morbos.
Ceu puteis pigros latices nisi sæpius vrna
Hauseris, vt subitò inde locum nouus occupet humor,
Continuò sapor immotæ vitiatur aquai,
Oraq; potantum tristis perturbat amaror.

Tum verò ad Solem, blandiq; ad luminis auras
Exultare pecus videas, & corpora luci
Pandere. non tamen immisso sub Sole iacere
Securum fuit, aspiciant sed lumina longè.
Si verò fuerit gelidis Aquilonibus aër
Frigidus, aut nimbos spirantibus humidus Austris,
Protinus in thalamos inferri profuit ignes.
Ne tamen infestet lacrymosus lumina fumus,
Ipsos occuluere cauis fornacibus ignes,
Vnde aditus fumo sit nusquam in tecta, sed extra
Respirans Vulcanus in aëra fumet apertum.
At calor intereà placidus diffunditur intus
Paulatim, & tepidi calida è fornace vapores.
Sunt etiam quæ, cùm nigrescit fœtibus arbos,
Incipiunt cum mora rubescere, pabula lecta
Retibus imponunt raris, in perq; foratis
Pellibus, in gyrumq; agitant, iactantq; per auras.
Nanq; cadunt veluti per lata foramina grando
Nigrantes baccæ, vel quicquid inutile mensis,
Et tantùm folia ipsa manent, quòd soluere mollem
Aluum mora ferunt, tristesq; inducere morbos.
Prætereà liquido respergi corpora oliuo
Mors erit extemplò ab miseris, lucemq; relinquent.
Ergo vbi nocte gregẽ famulæ, & stabula alta reuisẽt,
Edico procul ardentem deponere testam,
In tenebris vbi pingue oleum depascitur ignis,
Ne super incautis gutta stillantis oliui
Decidat, ac totos deformet peste penates.
Vsqueadeò in Venerem longas exercuit iras

Infensam inuentrix semper frondentis oliuæ.
Exin cùm liquor officiat bombycibus omnis,
Præcipuè sale qui fuerit vitiatus amaro
Cùm semel attigerit, miseris erit acre venenum.
Protinus elucet languentibus aurea pellis,
Deinde tument, turpisq; animis ignauia venit
Desidibus, tandem rumpuntur, & omnia tetro
Inficiunt tabo: sanies fluit vndique membris,
Nec quicquã salso Venerem æquore profuit ortam.
Quædam ideo siluas seruant noctésque diésque.
Quandoquidem inuentæ salso quæ pabula rore
Inuidia infecere (scelus prohibete nefandum
Dijq; deæq; omnes) cæcum & liquere venenum
In siluis, quod mox folijs bibit inscia bombyx.
Arce etiam strepitus: cantu caua cornua rauco,
Fistulaq; horribili procul absit aënea bombo,
Tympanaq;, & voces ludentis comprime pubis.
Inualidas sæpe exanimat leue murmur alumnas.
Sed neque tum pueri vastantes irrequieta
Cuncta manu hic illic, stragémque impunè ferentes,
Iamq; has iamq; illas digitis dum tangere gaudẽt,
Intrò ducantur, quos longè arcebis, & vltrò
Absistent, ætas si improuida ludificetur.
Verbis falle illos, tineas finge acre venenum
Inspirare anima, vel spicula linquere caudis,
Atq; angues, colubrosq; voca, dirósve chelydros.
Obseruabis item, ne qui gustauerit allij,
Aut cæpæ, aut acris porri illætabile virus
Introeat, ne res pereat tibi funditus omnis.

Bombycem exanimem vidi ſæpe ipſe iacere
Afflatam famulæ grauiter ſpirantis odore.
Continuò vis illa ſubit, naréſque laceſſit,
Intimáque infeſtum venit ad præcordia virus.
Non igitur cunctis aditus permiſeris, illas
Spectatum quicunque adeunt, quis ſpiritus ollis,
Quis vultus, vocisq; ſonus, quis euntibus vltrò
Sit greſſus, qui oculiue, notes. diſcrimine nullo
Limine anus omnis monſtra infelicia longè
Pelle: nocent cantu triſtes oculiſq; malignis.
Intrò autem tantùm iuuenes pulchræq; puellæ
Ducendæ, queis forma, ætaſq; ignara nocendi eſt.
Hic impunè choros agit, alternáque læti
Idaliæ Veneri, ac Saturno carmina dicant.
Quandoquidem memini Tuſci alta in rupe Viterbi
Ipſe ſenem vidiſſe ferum, cui dira rigebant
Ora, grauéſque oculi ſuffecti ſanguine circùm,
Frónsq; obſcœna ſitu, hirtiq; in vertice cani.
Ille truci (ſcelus) obtutu genus omne necabat
Reptantum, tenueis animas, paruaſq; volantes.
Quinetiam ſiquando hortos ingreſſus, vbi annus
Exuit expleto turpem nouus orbe ſenectam,
Floribus & paſſim per agros incanuit arbor,
Ille hortis ſtragem dedit, arboribúſque ruinam,
Spémq; anni agricolæ mœſti fleuere caducam:
Nam quocũq; aciem horribilẽ intẽdiſſet, ibi omneis
Cernere erat ſubitò afflatos langueſcere flores,
Mox album latè nimbum volitare per auras,
Nec tantum noceat raptor ferus Orithyia,

Si

Siquando iratus malè tutis incubet hortis.
Nostram igitur si fortè domum prætermeet olim
Pestis, & ira deûm talis, cùm plurima repians
Compleuit sedes omneis, atque atria circùm,
Non illum affari libeat, longumq́ morari.
Sed properate fores famulæ, properate fenestras
Claudere, pestiferamq́ auertite lumine cladem.
Iam promissa dies terris lucem intulit almam,
Iam, licet, ingredere, artificum mirare laborem
Egregium, mirare artes, vt pendula ramis
Omnibus hæserunt varij glomeramina fili:
Qualiter autumni primo cum frigore in hortis
Arboribus pendent haud vno poma colore,
Sic hærent nitidi vario discrimine ramis
Folliculi, sunt quæ viridem traxere colorem
E folijs, quæ depasta est Saturnia bombyx,
Fila, auri quædam electriq́ simillima puri.
Omnibus est reliquis color albi velleris instar.
Ergo vbi per ramos iam perfecisse laborem
Clausas quanq́ suum, vigili exploraueris aure:
Atq́ vbi nec strepitus, nec vim datur amplius vllã
Audiri, sed iam motus requieuerit omnis,
Pelle moram, exonerare ramos, impone canistris:
Carpe vtraque manu, & famulas properare iubeto.
Primus deinde lobos extrema, & inutile quicquid
Lanicij detraxe, & luxuriantia circùm
Vellera, quæ stuppæ veluti nodosa puellæ
Ruris pensa trahunt torquentes pollice fila,
Vnde sibi intexant festis gestanda diebus

Teg

Tegmina, cùm lætas agitant per prata choreas.
Hinc triplex delectus erit, meliora deorum
Imponunt aris, aliqua in spem gentis, & anni
Venturi ad sobolem seruant de more creandam.
Cætera dein varios deuoluunt vestis in vsus.
Quæ verò in generis spem vis seruare caduci,
Deligito ex omni numero neglecta quotannis
Degenerant proles magis ac magis; atque propago
Deterior tibi semper erit labentibus annis.
Sed non ob sobolem multos seruare necesse est
Folliculos: capitum multorum semina partu
Vna dabit mater, centum quæq; oua relinquet.
Quos igitur fœturæ habiles prouideris omneis
Connectes ducto per acus vestigia filo.
Sed parcens leniter terebrato, extremaq; tantùm
Tangito acu tenui, ne inclusa cadauera ferro
Ab violes; & res euertas funditus omnes.
Post hinc consertos ita frigida sub loca condens,
Aut Bacchi in cella sub terram, aut sicubi montis
Exesi specus ardenti impenetrabile Phœbo,
Ne calor absumat defuncta cadauera vita.
Fata dabunt quibus ad iucundum surgere lumen
Rursus, & in paruas volucrum se vertere formas,
Cùm primùm cælo stellas Aurora fugarit,
Et decies roseos Sol lauerit æquore currus.
Nam quondã (vt perhibent) cũ primos aurea fœtus
Nutriret Venus vmbrosis in vallibus Ida,
Nuda cohors tenerũm circùm ludebat amorum,
Et nunc hic manibus temere dare pabula blandis,

Nunc

Nunc illic tractare leui reptantia tactu
Corpora, Acidaliósque toris diffundere flores.
Dum verò incauti nunc huc, nunc protinus illuc
(Fortè parens aberat) studijs puerilibus errant,
Impliciti inter sese altis in cratibus vrgent.
Fit strepitus: pontes vastam traxere ruinam,
Lanifici stabula alta gregis: iacet vndiq; bombyx
Fusa solo, exanimûm ingentes (miserabile) acerui.
Quam cladem accepit rediēs vbi mater, & omnem
Cæde madere locum vidit procul, & genus omne
Funditus extinctum, totámque ab origine gentem,
Et famulas nusquam sibi, nusquā occurrere natos,
Qui sese abdiderant siluis, tacitiq; latebant,
Infelix stetit ingenti perculsa dolore.
Tum furijs acta huc illuc clamore supremum
Idalium impleuit, natos famulásque requirens.
Nulla quies animo, noctésque diésque vagatur,
Incassumq; gemens solos interrogat agros.
Infernas etiam sedes, atq; atria Ditis
Ægra adijt, quò mæstæ animæ post fata feruntur
Squamigerū pecudū, atq; hominū, vitaeq; volantū,
Si fortè ipse sibi patruus rex maximus Orci
Annueret paucas animas in tarda reuerti
Corpora, vt inde nouam sobolem reuocaret in auras.
Iámque ibant vmbræ tenues Styga circunfusæ
Obscuram, nigrósque lacus, & rauca fluenta.
Tum dominæ aduentu lætæ circum ora volantes
Nondum oblitæ alis plausere, & signa dederunt
Lætitiæ nondum trans liuida flumina vectæ.

Agn

Agnouit Venus, & secum est lætata repertis.
Quam Saturnius horrentis regnator Auerni
Vt procul aspexit, multo est dignatus honore,
Permisitq́ animas in corpora tarda reuerti
Rursus, vt extinctam sobolem reuocaret in auras,
Seminaq́ his generis penitus repararet adempti.
Vtq́ sequi possent dominam supera alta petentem,
Corporibus geminas renouatis addidit alas.
Hanc legem posuit tamen, vt genus omne quotannis
Alitis in faciem se post opera atq; labores
Verteret, & nigros Orci bis viseret amnes.
Vt quosdam populos in Hyperborea Pallene
Esse ferunt, qui, se vt nouies Tritonide in vnda
Merserunt, natis tollantur in aëra pennis.
Nónne vides, cùm carceribus exire reclusis
Instant ardentes, quanta nitantur opum vi?
Clausa obstat domus, & fili densissimus ordo.
Nec mora, nec requies, vestigant omnia circùm,
Explorantq́ aditus omneis, siqua potis extrà
Rumpere, & optata rursum se reddere luci.
Ecce autem vt rostro follem terebrauit acuto,
Protinus erumpit (visu mirabile monstrum).
Alitis in parua bombyx collecta figuram,
Et noua se rerum facies mirantibus offert.
Nam quæ longa fuit tinea olim, fit leuis alis
Papilio, tineæ pallentes concolor artus.
Ergo carceribus cùm rupit multa viam vis,
Et sese cæcis populi eripuere tenebris
Aligeri, atq; iterum lucis venere sub auras,

Harent attoniti rerum nouitate, neq; audent
Remigio alarum se aperto credere cælo,
Dissimilesq; sui tacitè noua corpora secum
Mirari, forma nec sese agnoscere in illa.
Cornua mirantur fronti, mirantur & alas,
Et vires nil supra audent tentare priores
Diffisi, memoresq; sui: sed tum neq; gustant
Pabula, nec vitæ quærunt alimenta prioris:
Tantus adhuc memores timor atri detinet Orci.
Nunc etiam ante oculos Styx liuida, nigraq; regna,
Tartareiq; canis tria guttura, monstraq; Ditis
Impacata, breuis ne vitæ gaudia quærant.
Idcirco aligeræ neq; frondem suffice genti
Incassum, neq; potandos admoueris amnes.
Carpe manu resides, & funibus insidentes,
In tabulamq; refer stratam velamine molli.
Quippe vbi subtracto se rursum ad fata vocari
Senserunt victu, turbantur. tum simul omnes,
Excidium veluti cælo terrisq; propinquum
Immineat, cùm supremo mortalia cuncta
Vna dies dabit exitio, multosq; per annos
Sustentata ruet perituri machina mundi,
Attoniti dubijs properant succurrere rebus.
Concubitu indulgent omnes, vt semina gentis
Munere defuncti vita post fata relinquant,
Et seruare genus valeant, stirpemq; tueri.
Nec verò, velut in siluis genus omne ferarum,
Alituumq;, vagos passim furantur amores,
Sed connubia certa, sed electi hymenæi.

Ille suam tenet, illa suum, dulciq; fruuntur
Amplexu, caudis ambo per mutua nexis.
Instant, & validis iuncti compagibus hærent.
Nec Veneris breuis vsus erit, videre reuincti
Quartam sæpe diem: nec quas legère relinquent,
Donec vterq; cadat. neq; enim, si viribus haustus
Mas prior occiderit, longum tamen ipsa superstes
Fœmina erit: sed vbi concepta effuderit oua,
Nulla mora, amplexu nondum diuulsa sequetur.
Idem omni interitus generi, fata omnibus æqua.
Aspicies miserans confusa cadauera passim
Procubuisse toris genialibus. omnia primùm
Sedibus exportato, & tristia funera ducito.
Illis nanq; operum est cunctorum finis & æui.
At verò quæ infusa vides mantilibus albis
Semina, ceu milij exigui tenuissima coge.
Hæc tibi post annum sobolis spes certa creandæ.
His etenim sese reparat moribunda quotannis
Seminibus, sobolesq; venit noua semper ad auras.
Abde domo. his aptam super omnia delige sedem,
Quo neq; sint aditus torrenti æstate calori,
Nec Boreæ bruma in media. contraria vis est
Vtraq; seminibus seruandis: frigora dira
Vim genitalem omnem perimunt, frustraq; fouebis
Semen inane: calor verò si admissus in oua
Paulatim sese insinuet, parua est mora: proles
Ante diem superas incassum rumpet in auras,
Cùm frondes iam consumptæ, cùm pabula siluæ
Deficiunt, & tonsa comam Thisbeïa nudos

Ostentat ramos populatis frondibus arbor.
Quòd si spes generis defecerit omnis vbiq;,
Seminaq; aruerint Iouis implacabilis ira,
Sicut apes, teneri reparantur cæde iuuenci.
Hic super accedit tantùm labor. antè iuuencus
Bis denosq; dies, bis denasq; ordine noctes
Graminis arcendus pastu, prohibendus ab vndis.
Intereà in stabulis tantùm illi pinguia mori
Sufficiunt folia, & lactenti cortice ramus.
Viscera vbi cæsi fuerint liquefacta, videbis
Bombycem fractis condensam erumpere costis,
Atq; globos toto tinearum efferuere tergo,
Et veluti putres passim concrescere fungos.
Quod superest moneo generis tibi semina sunto
Annua: degenerant supra annum condita, & inde
Omnis abit vigor, atq; intus vitalis hebet vis.
Tum verò latas exercent fila puellas,
Haud breuis hic labor, exhausti cui nil satis vnquã,
Dum redeat moro attonsæ noua vere iuuentus.
Folliculos primùm domitant feruentibus vndis,
Filaq; deuoluunt nigris fumantia aënis.
Tum currente rota torquent, eademq; retorquent,
Stamineq; implicito cura est dissoluere nodos.
Hinc vocat extremum tandem textura laborem.
Intenduntq; nurus discretas pectine telas
Multifido, radijsq; sonantibus intertexunt
Iactantes dextra, lanaq; sequentia fila,
Alternisq; suus pedibus labor additus, atq;
Desuper acta gemit tereti rota garrula neruo.

Nec

Nec mora, certantes properant, falluntq; laborem
Aut cantu, aut Veneris cura narrantur inanes.
Nec modus est simplex texendi, nec genus vnum
Telarum, nunc rasa vides, & lauia texta,
Nunc pexis, leuiterq; attonsis mollia villis.
Quinetiam varios tenui sub tegmine pingunt
Nexilibus flores ederis, siluasq; virentes,
Pomaq; graminaq; & ceruos, capreasq; fugaces.
Adde velut nebulas tenues velamina textu
Rara, quibus matres crines, & tempora velant,
In templisq; deûm prohibent à puluere vultus.
Vidi etiam varium qua mutant texta colorem,
Eluduntq; oculos, vt discolor aura refulsit.
Quid sequar vlterius? nil vis humana reliquit
Intactum: filum tunicis includitur aureis,
Indutaq; rigent fuluo sub tegmine vestes:
Vt quondam Phryxi de finibus AEëteis
Vecta ouis aurato fulgebat pectora villo,
Pectoraq; & pexo pallentia terga metallo:
Et dubitãt matres pinguem ferre vndiq; morum,
Aut inter teneras bombycem ferre papillas?
Quid mirum, si iam totum diffusa per orbem
Saturni, & Veneris pascunt pecora aurea gentes?
Mollia nec soli nouerunt stamina Seres.
Laniuomum ipsa genus Saturni munere magno
Iandudum super Idalium, super alta Cythera
Trãstulit & Venus, & nostras penetrauit ad oras.
Quippe olim (sed fama annis obscura) regebat
Felices Seras lati ditissimus agri

Serius, antiquo patriæ de nomine dictus.
Mox acri infelix Phaëthusæ incensus amore
Italiam petijt. postquàm illam ad flumina magni
Audijt Eridani correptum fulmine fratrem
Flere diem, noctemq́, Iouis fera tela querentem.
Sed vix Ausonios fines, Oënotriaq́ arua
Attigerat, nouus ecce illi cùm perculit aures
Rumor, virgineam formam amisisse puellam,
Protinus & longos ad cælum tendere ramos
Pro manibus, duroq́ includi pectora libro.
Ah miseram, subitò stetit acri corda dolore
Saucius, insignemq́ à pectore rupit amictum,
Pictus acu molles tunicas opera aurea Serum.
Tum viridi in ripa, caræ sub virginis vmbra
Impleuit cælum questu, dilectaq́ frustra
Robora complexus tereti dabat oscula ligno,
Et tenero ereptos in cortice flebat amores
Infelix: non sceptra animum, non regna parentum
Alta mouere queunt, nec opimæ copia gazæ.
In patriam negat ire, placet tantùm Itala tellus.
Nec procul Eridani ripis absistit, & omnem
Vitam agit in lacrymis. bissenos ordine menses
Illum adeò perhibent solos fleuisse per agros,
Et tandem superos extrema voce precatum,
Neve oculis lacrymæ, neu deesset luctibus humor
Perpetuus, superis quæ vota audita repentè.
Perstat in incœpto: gemitu nemora omnia complet.
Non oculis lacrymæ, non desit luctibus humor.
Soluunt se in lacrymas artus, & corpore toto

Liquitur

Liquitur humor, abitq; omnis conuersus in vndas.
Fit fluuius, cursuq; breuissimus exit in alueum
Addua magne tuum, & tecū in vada soluitur alti
Eridanî, atq; pedes Phaëthusa humectat amata
Flumine turrigera radens sata culta Cremona.
Mansit amor, veteres amni mansere calores.
Sæpe illum fama est clausam sub cortice Nympham
Tentasse, optatum mox ascendisse cubile.
Tandem iuncta Dryas fluuio est, licitisq; hymenæis
Egressam rupta diuam deus arbore duxit,
Cui picturatas vario subtegmine vestes,
Illusasq; auro tunicas, & tenuia lata
Texta dedit missa à patrijs sibi munera terris.
Paucaq; præterea bombycis semina donis
Addidit, ostendens huius quis muneris vsus.
Ipsa eadem egregias longo pòst tempore natas
Seriadas docuit patris de nomine dictas.
Mox illæ Ausonias passim sparsere per vrbes,
Et morum vmbrosam latos seuere per agros,
Vnde sacri viridem vates petiere coronam,
Et meritis gratas sibi deuinxere puellas.

FINIS.

M. HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS,

SCACCHIA LVDVS.



VDIMVS effigiem belli, simulataq; veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna,
Vt gemini inter se reges albusq;, nigerq;
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.
Dicite Seriades Nymphæ certamina tanta
Carminibus prorsus vatum illibata priorum.
Nulla via est: tamen ire iuuat, quò me rapit ardor,
Inuiaq; audaci propero tentare iuuenta.
Vos per inaccessas rupes, & inhospita euntem
Saxa deæ regite, ac secretum ostendite callem.
Vos huius ludi in primis meminisse necesse est.
Vos primæ studia hæc Italis monstrastis in oris.
Scacchidis egregiæ monimentum insigne sororis.
Iuppiter Æthiopum sedes, & Memnonis arua
Iuerat, Oceani mensas dignatus amici,
Qui sibi tum optatis iunxit Tellurem hymenæis.
Affuit vnà omnis Superûm chorus: omnia festo
Æquoris immensi resonabant littora plausu.
Vt dapibus compressa fames, mensæq; remotæ,

Quò superûm mentes ludo mulceret inani,
Oceanus tabulam afferri iubet interpictam.
Sexaginta insunt & quattuor ordine sedes,
Octono parte ex omni via limite quadrat
Ordinibus paribus, necnon forma omnibus vna
Sedibus, æquale & spatium, sed non color vnus.
Alternant semper varia, subeuntq; vicißim
Albentes nigris, testudo picta supernè
Qualia deuexo gestat discrimina tergo.
Tum Superis tacitè secum mirantibus inquit:
Marti aptam sedem, ludicraq; castra videris.
Hoc campo aduersas acies spectare licebit
Oppositis signis belli simulacra ciere,
Quæ quondam sub aquis gaudent spectacla tueri
Nereides, vastiq; omnis gens accola ponti,
Siquando placidũ mare, & humida regna quierũt.
En verò simulata adsunt qui prælia ludant.
Sic ait, & versa in tabulam deprompsit ab vrna
Arte laboratam buxum, simulataq; nostris
Corpora, torno acies fictas albasq; nigrasq;,
Agmina bina pari numeroq; & viribus æquis,
Bis niuea cum veste octo, totidemq; nigranti.
Vt varia facies, pariter sunt & sua cuiq;
Nomina. diuersum munus, non æqua potestas:
Illic & reges paribus capita alta coronis,
Et regum pariter nuptas in bella paratas
Cernere erat. sunt qui pedibus certamina inire
Sueti, sunt & equis qui malint, quiq; sagittis.
Nec deest quæ ferat armatas in prælia turres.

Bellua. Vtrinq; Indos credas spectare Elephantes.
Iamq; aciem in versum statuunt, structaq; cohortes
Procedunt campo, castrisq; locantur vtrisq;.
Linea principio sublimes vltima reges
Parte vtraq; capit, quartis in sedibus ambos
Tractu eodem aduersos inter se, sex tamen æquis
In medio sedes spatijs hinc inde relictæ.
Sede albus sese nigra tenet, ater in alba.
Proxima reginas capit orbita, regibus ambæ
Hærent quæq; suo, dextrum latus altera, læuum
Altera lege datis tangunt stationibus, atrumq;
Atra tenet campum, spatio stat candida in albo,
Et proprium seruant prima statione colorem.
Inde sagittiferi iuuenes de gente nigranti
Stant gemini, totidem pariter candore niuali,
Nomen Areiphilos Graij fecere vocantes,
Quòd Marti ante alios cari fera bella lacessant.
Continuò hos inter rex, nec non regia coniux
Clauduntur medij: duo dehinc vtrinq; corusci
Auratis equites sagulis, cristisq; decori
Cornipedes in aperta parant certamina Martis.
Tum geminæ velut extremis in cornibus arces
Hinc atq; hinc altis stant propugnacula muris,
Quas dorso immanes gestant in bella Elephanti.
Postremò subeunt octo hinc atq; inde secundis
Ordinibus pedites, castrisq; armantur vtrisq;
Armigeri partim regis partimq; ministræ
Virginis armisonæ, quæ prima pericula belli,
Congressusq; ineant primos, pugnamq; lacessant.

Non

Non aliter campis legio se buxea vtrinque
Composuit duplici digestis ordine turmis,
Aduersisque ambæ fulsere coloribus alæ,
Quàm Gallorum acies alpino frigore lactea
Corpora si tendant albis in prælia signis
Auroræ populos contra, & Phaëthonte perustos
Insano AEthiopas, & nigri Memnonis alas.
Tum pater Oceanus rursus sic ore locutus,
Cælicolæ iam quæ'nam acies, quæ castra videtis
Discite nũc (neque enim sunt hæc sine legibus arma)
Certandi leges, nequeant quas tendere contra.
Principio alterni reges in prælia mittunt
Quem pugnæ numero ex omni elegere suorum.
Si niger arma ferens primus processit in æquor,
Continuò aduersum semper se candidus offert,
Nec plures licet ire simul facto agmine in ostem.
Propositum cunctis vnum studium omnibus vnum
Obsessos reges inimicæ claudere gentis,
Ne quò impune queant fugere, atque instantia fata
Euitare: etenim capiunt ita prælia finem.
Haud tamen intereà cuneis obstantibus vltrò
Parcunt, sed citius quo regem sternere letho
Desertum eualeant, cadunt ferro obuia passim
Agmina. rarescunt hic illic funere semper
Vtraque castra nouo, magis ac magis area belli
Picturata patet, sternuntque caduntque vicissim.
Sed cadentem opus est sublati proximus hostis
Successisse loco, & conatus vindicis alæ
Sustinuisse semel. mox si vitauerit ictum.

Inde referre licet se in tutum præpete planta.
At pedites prohibent leges certaminis vnos,
Cùm semel exierint (facilis iactura) reuerti.
Nec verò incessus cunctis bellantibus idem,
Pugnandiue modus. pedites in prælia euntes
Eualeant vnam tantum transmittere sedem,
Inq; hostem tendunt aduersi & limite recto.
Congressu tamen in primo fas longius ire,
Et duplicare gradus concessum. at cōminus hostem
Cùm feriunt, ictum obliquant, & vulnera furtim
Intentant semper lateri, cauaq; ilia cadunt.
Sed gemini claudunt aciē qui hinc inde Elephanti,
Cùm turres in bella gerunt, ac prælia miscent,
Recta fronte valent dextra, læuaq; retroq;
Ferre aditum contra, campumq; impune per omnē
Proruere, ac totis passim dare funera castris.
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum,
Qui tantum mos concessus pugnantibus arcu
Dilectis Marti ante alios. nam semper vterq;
Fertur in obliquum spatijs nigrantibus alter,
Alter candenti semper se limite versat,
Directisq; ineunt ambo fera bella sagittis,
Nec variare licet, quanuis fas ire per omnem
Hinc atq; hinc campū, atq; omnes percurrere sedes.
Insultat sonipes ferus, atq; repugnat habenis.
Nunquam continuò stipata per agmina ductu
Procurrit. tantum sursum sese arduus effert
Semper, & in gyrum gressus magno impete lunat
Curuatos, duplicemq; datur transmittere sedem.

Si nig

Si nigrante prius campo expectauerit, album
Mox petere, & sedis semper mutare colorem
Lex iubet, ac certo semper se sistere saltu.
At regina furens animis pars optima belli
In frontem, in terga, ac dextram leuamq́; mouetur.
Itq́; iter obliquum, sed semper tramite recto
Procedit: neq; enim curuato insurgere saltu
Cornipedum de more licet. non terminus olli,
Nec cursus meta vlla datur. quocunq; libido
Impulerit, licet ire, modò ne ex agmine quisquam
Hostilíve, suóve aditus occludat eunti.
Nulli etenim super educto fas agmina saltu
Transilijsse. equiti tantùm hac concessa potestas.
Cautius arma mouent gentis regnator vterq;,
In quibus est omnis spes, ac fiducia belli.
Omnibus incolumi rege stat cernere ferro,
Sublato pugna excedunt, & castra relinquunt.
Ille adeò in bello captus secum omnia vertit.
Ergo harens cunctatur, eum venerantur, & omnes
Agmine circunstant denso, mediumq́; tuentur.
Vtq́; armis sape eripiant, sua corpora bello
Obijciunt, mortemq́; optant pro rege pacisci.
Non illi studium feriendi, aut arma ciendi:
Se tegere est satis, atq; instantia fata cauere.
Haud tamẽ obtulerit se quisquã impune propinquũ
Obuius, ex omni nam summum parte nocendi
Ius habet. ille quidem haud procurrere longius ausit,
Sed postquam auspicijs primis progressus ab aula
Mutauit sedes proprias, non amplius vno

Vlter

Vlterius fas ire gradu, seu vulneret hostem,
Ceu vim tela ferant nullam, atq; innoxius erret.
Hic mos certandi, hæc belli antiquissima iura.
Nunc aciem inter se certantes cernite vtranq;.
Sic ait. at quoniam, quoties fera bella fatigant
Mortales, superi studijs diuersa fouentes
Ipsi etiam inter sese odijs bellantur iniquis,
Maximaq; interdum toto ardent prælia cælo,
Iuppiter omnipotens solio rex fatus ab alto
Omneis abstinuisse iubet mortalibus armis,
Atq; minis, nequem foueant, perterret acerbis.
Tum Phœbum vocat intonsum, Atlantisq; nepotem
Egregium furto peperit quem candida Maia,
Insignes ambos facie, & florentibus annis.
Nondum Mercurius leuibus talaria plantis
Addiderat. nondum Titania lumina agebat
Per liquidum curru gemmato Phœbus Olympum,
Tantū humeros pharetra insignis, & crinibus aureis.
Hos pater aduersis solos decernere iussit
Inter se studijs, & ludicra bella fouere,
Ac partes tutari ambas, quas vellet vterq;.
Nec non proposuit victori præmia digna.
Dij magni sedere. deûm stat turba minorum
Circunfusa: cauent sed lege & fœdere pacto,
Ne quisquam voce, aut nutu ludentibus ausit
Præuisos monstrare ictus, quem deniq; primum
Sors inferre aciem vocet, atq; inuadere Martem,
Quæsitum, primumq; locum certaminis albo
Ductori tulit, vt quem vellet primus in hostem
Mitte

Mitteret. id sanè magni referre putabant.
Tum tacitus secum versat quem ducere contra
Conueniat, peditemq́ue iubet procedere campum
In medium, qui reginam dirimebat ab hoste.
Ille gradus duplices superat. cui tum arbiter ater
Ipse etiam aduersam recto de gente nigranti
Tramite agit peditem, atque iubet subsistere contra
Aduenientem hostem, paribusq́ue occurrere in armis.
Stant ergo aduersis inter se frontibus ambo
In medijs campi spatijs, ac mutua tentant
Vulnera nequicquam. neque enim vis vlla nocẽdi est
Armigeris, tractu dum miscent prælia eodem.
Subsidio socij dextra, læuaq́ue frequentes
Hinc atque hinc subeunt, latè & loca milite complẽt.
Alternantq́ue vices. necdum tamen horrida miscent
Prælia, sed placidus medijs Mars ludit in armis,
Excursusq́ue breues tentant, tutiq́ue tenent se.
Iamque pedes nigri rectoris, qui prior hostem
Contra ijt, obliquum læua clàm strinxerat ensem,
Atque album è medijs peditem citus abstulit armis,
Illiusq́ue locum arripuit præstantibus ausis:
Ah miser, instantem lateri non viderat hostem.
Ipse etiam cadit, & pugnas in morte relinquit.
Tum cautus fuscæ regnator gentis ab aula
Subduxit sese media, penitusq́ue repostis
Castrorum latebris extrema in fauce recondit,
Et peditum cuneis stipantibus abditus hæsit.
Nec mora surgit eques bellator læuus vtrinque,
Et medijs hinc inde insultant cœtibus ambo,

Alterniq; ruunt, & spargunt fata per hostes.
Sternuntur pedites paßim miseranda iuuentus,
Quòd nequeant reuocare gradũ, sonat vngula cãpo
In medio, & totis miscentur funera castris.
Dum verò peditum intentus Latonius heros
Cædibus instat atrox, equitemq; per agmina versat
Vastatorem alæ piceæ, longè Arcada maior
Ardor agit tacitis iandudum inuadere furtis
Magnũ aliquid, peditumq; vltra sæpe obuia transit
Agmina, cornipedem ducens in prælia lauum,
Qui regi insidias tendens huc vertitur atq; huc.
Per mediosq; hostes impune infranis oberrat.
Constitit, optataq; diu statione potitus
Lethum intentabat pariter regiq; Elephantiq;.
Alæ qui dextro cornu turritus in auras
Attollens caput ingenti se mole tenebat.
Delius ingemuit clauso succurrere regi
Admonitus: nãq; indefensum in morte Elephãtem
Linquere se videt, atq; ambos non posse periclo
Eripere, & fatis vrgeri cernit iniquis.
Cura prior sed enim est trepidum defendere regem,
Quem rapit in dextrum latus: at niger emicat ense
Stricto eques, & magnis Elephantẽ intercipit ausis,
Dãnũ ingẽs: neq; enim est sæua post virginis arma
Bellantum numero ex omni magis vtilis alter.
Non tamen impune euades ait acer Apollo,
Et peditum cuneis densaq; indagine cingit.
Ille igitur trepidare metu, certiq; pericli
Frustrà velle fugã: nã hinc fata minatur Amazon,
Inde obstat conserta phalanx, tandem alius acta

Virginis ense cadit, pulchra solatia mortis.
AEstuat alba cohors latere heu minus vtilis vno,
Et magis atque magis furit acri accensa dolore.
Sicut vbi dextrum taurus certamine cornu
Amisit, dum se aduerso fert pectore in hostem,
Sæuior in pugnam ruit armos sanguine & altè
Colla animosa leuans: gemitu omnis silua remugit,
Talis erat facies, cæsi post fata Elephantis,
Candentis turmæ. hinc furijs maioribus ardet
Phœbus, & vltrices hortatur in arma cohortes
In ferrum, & cædes pronus, cupidusq; nocendi,
Incautusq; ambas perdit sine lege phalangas.
Dumq; hostes pariter cernat procumbere victos,
Ipse suos morti indefensos obijcit vltró.
Mercurius melior furto cunctatur, & hærens
Vsque alium ex alio spectando præuidet ictum.
Sæpe ille ex longo meditatus fata superbæ
Reginæ peditem perdendum cominus offert,
Dissimulatq; dolos, mox pœnitet, & trahit alto
Improbus, errorem fingens, suspiria corde.
Iamq; sagittiferi è dextro spicula cornu
Virginis in latus albentis tendebat. id hostis
Haud primùm sensit, peditemq; trahebat in atram
Læua aciem, rerum ignarus. Verùm improba cladē
Et tantas Erycina Venus miserata ruinas
Incauto iuueni furtim tacito innuit ore,
Atque oculis (Phœbo nam fortè aduersa sedebat)
Nulla mora, ad nutus diuæ tremefactus Apollo
Constitit, atque oculis latè agmina circunspexit,
Et subitò insidias sensit, peditemq; retraxit,

Quē contra impulerat dextra impiger. atque periclo
Reginam eripuit. tum Maia Atlantide cretus
Littoreum cauea concessum vocibus implet,
Reginam captam ingeminans. fremit vndiq; turba
Cælicolûm studijs varijs, seseq; tuetur
Phœbus, & his alto fatur de littore verbis,
Quæ porrò inuidia est dextram ludicra petenti
Præmia corrigere incautam, in meliúsque referre,
Cùm nec pacta vetent? Quòd si Maia sate posthac
Id sedet omnino prohiberi: lege caueto,
Quidq; prior fuerit digitis impulsus in hostem,
Siue albus, piceúsve fuat, discrimine nullo
Ille eat, & dubij subeat discrimina Martis.
Dixit, & hæc toto placuit sententia circo
Cælicolis. Venerem obtutu clam versus acerbo
Iuppiter increpuit, nec sensit filius Arcas.
Sed puer ingemuit labefactus corda dolore
Ingenti. vix se tenuit quin ludicra castra,
Iniectisq; acies manibus confunderet ambas.
Tum secum statuit furtis certare dolisq;
Omnibus, ac totis fraudes innectere castris.
Iam tum igitur iuuenē pharetratum in prælia ducēs
Cornipedis simulare gradus iubet. ocyus ille
Emicat, atque alba reginæ fata minatur.
Non Phœbum latuere doli. subrisit, & ore
Versus ad astantes, Quamuis accommoda furtis
Mercurio sit dextra, inquit fraudisq; dolisq;
Callide Atlantiada inuigiles, haud me tamē vltrà
Fallere erit: iamq; improbe iniquā corrige dextram.
Spectantum cunei ingenti risere theatro,

Atque

Atq; Arcas, veluti deceptus imagine falsa,
Summisit buxum concesso in pralia gressu
Arcum intendentem, vigilat iam cautus Apollo
Fraudesq;, insidiasq; timens, occultaq; furta.
Ille etenim persape, manu dum ducit in hostes
Alternam buxum, ius contra, & fœdere pacta
Implicitans celeres digitos duo corpora bello
Obijciat simul, obseruet nisi prouidus hostis.
Iamq; equitem contra nigrantem candidus arcum
Intendens sese opposuit pharetratus, & arcet
Regina iugulo intentum. tum dexter oberrat
Huc atque huc Elephas, niueisq; exultat in armis.
Haserat in medio, domina regiq; minatus
Albus eques ratus impune, & iam sorte superbus
Nequicquam spoliorum animum pascebat amore.
Non tulit hanc speciem iuuenis pharetratus, & arcu
Contendit calamum seseq; immitit in hostem,
Fata licet pedes intentet, moriturus in armis
Insigni pro laude, aluo media hasit arundo
Stridula, & ima chalybs descēdit in ilia adactus.
Voluitur ille excussus humiq;, & calcibus auras
Verberat: in ventos vita indignata recessit.
Inde sagittiferum sternit pedes: hunc pedes alter
Hostili de plebe necat: pugna aspera surgit.
Turribus occurrunt ingenti mole Elephanti,
Saua pharetrigeri contendunt spicula neruis,
Quadrupedumq; gemit bicolor sub verbere campus.
Incaluere animi parte ex vtraque, & in armis
Concurrunt densi, simul omnis copia gentis
Albaq;, piceaq; duces, ambaq; phalanges,

Confusaq; acies magno certamine totis
Densantur campis, virtus, fortunáque in vnum
Conueniunt. hi nunc victores agmina versa
Aequore agunt toto, versis referuntur habenis
Nunc ijdem, variantq́; vices, & fluctuat omnis
Area bellorum: vasti velut aequoris vnda
Siquando inter se recluso carcere saeua
Bella cient animosi Euri, vertúntque profundum
Ionio in magno, aut vndisono Atlanteo,
Alternos voluunt procurua ad littora fluctus.
At medias acies inter crudescit Amazon
Candida plena animis, multisq; in millibus ardet.
Nanq; sagittiferū incursans, rediénsque Elephātem
Nigrantes sternit. dextra lauaq́; per alas
Fulminat, atque manu spargens hastilia saeuit.
Bellanti dant tela locum, retróque residunt
Hinc atque hinc inimicae acies: per tela, per hostes
Illa ruit pulchram in mortem, simul vltima tentat
Castra fugae fidens, animósque in bella viriles
Saeua gerit: penetrat cuneos, aperitq; viam vi.
Tandem fusca cohors, nigrantisq; arbiter alae
Ipse etiam arma suae trepidus, virésque animósque
Virginis implorat. nulla est mora, feruida Amazon
Emicat, atque ardens paribus se sistit in armis.
Quem primū hasta, aut quē postremū bellica virgo
Demetis, aut quot humi candentia corpora linquis?
Semianimes voluuntur equi niueiq; nigriq;,
Et peditum cunei, dilectáque pecora Marti
Aligera iuuenes ineuntes bella sagitta.
Quis cladem fando illius, quis funera pugnae,

Prostr

Prostratósque duces speret se æquare canendo?
Sternitur omne solum buxo, atque miserrima cædes,
Exoritur, confusa inter sese agmina cædunt,
Implicitaq; ruunt albæ nigraq; phalanges.
Sternuntur pedites, & corpera quadrupedantum.
Nam versæ inter se iactantes mutua tela
Fœmineis ambæ nituntur Amazones armis
Vsque adeò certa non cedere, donec in auras
Aut hæc, aut illa effundat cum sanguine multo
Sæuam animam, sola linquentes prælia morte:
Intereà amborum populorum rector vterque
Captiuos hostes, & victa cadauera bello
Carcere seruabant castris vicina, cauentes
Ne capti semel, aut obita iam morte iacentes
In vitam reuocati iterum certamina inirent.
At lateri innixus Phœbeo Threïcius Mars
Iunctus amicitia puero Arcadi, siquid amico
Fata sinant prodesse, animum per cuncta volutat,
Obseruátque omnes casus, tum corpora bina
Capta, pharetratum iuuenem, peditemq; nigrantes
Cœtibus è functis iam vita, atque æthere cassis
Surripit. & castris rursum clam immittit apertis.
Ergo iterum gemini captiui prælia inibant,
Miscebantq; manus animosi, atque arma ferebant.
Haud secus (vt perhibent) cũ Colchis nacta cadauer,
Aut virgo Massilla recens, cantuq; triformem
Sæpe ciens Hecaten, ac magni numina Ditis,
Falsam animã insinuat membris, aurasq; loquaces,
Continuò erigitur corpus, loquiturq;, vidétque,

Et viuos inter fruitur cælestibus auris.
Non tulit indignum facinus Iunonia proles
Mulciber (ille dolum solus deprendit) & ore
Inclamat, Phœbumq; monet. Thrax palluit heros
Deprensus. Phœbo exarsit dolor ossibus ingens.
Tum Marti pater omnipotens iratus iniqua
Præsidia abduci, atque indebita corpora bello
Protinus è castris iubet, atque retexere falsos
Hinc atque inde ictus, & cuncta in pristina reddit.
Iamq; duces furijs ambo maioribus instant,
Reginasq; ambas conuersa per agmina mittunt.
Cæde madent illæ, toto æquore fata ferentes.
Considunt tandem obuersæ, regesq; tuentur,
Quæq; suum. ecce autem bellatrix agminis albi
A tergo ferro inuasit, strauitq; nigrantem
Ignaram. verùm ipsa etiam cadit icta sagitta
Ah misera, & spolijs haud longum exultat opimis.
Conuertêre oculos ambæ hinc atque inde cohortes,
Atque acies lacrymis, & fœmineo vlulatu
Ambas incubuisse putes, dum funera ducunt.
Tum reges mæstos ipsa ad prætoria densi
Agglomerant sese circùm: timor omnibus idem
Incumbit: par tempestas, par hausit vtrosque
Diluuium populos, & sunt sua funera cuique.
Haud prorsus tamen ambobus defecerat omne
Robur. opes restant, & adhuc intacta iuuentus,
Tres pedites tibi Phœbe, sagittifer alter, & ingens
Bellua turrito dorso. totidemq; tibi Arcas
Excepto Elephante, alta qui nuper in aula
Pace fruens cecidit positis inglorius armis,

Emi

Eminus aligera percussus arundine pectus.
Sed dexter tibi restat eques imperditus. hausit
Cætera bellantum Mars impius agmina, belliq́ꝫ
Alea, florentes & desolauerat aulas.
At Cyllenæo iuueni spes occidit omnis.
AEstuat amissæ gentis memor, & suspirat
Heroas magnos tot fato corpora functa.
Non tamen excedit pugna. fracta agmina bello
Relliquias tenues immitis Apollinis astu
Cautior in pugnam mittit, post funera tanta
Siqua fata sinant gentis sarcire ruinas.
It nigrum campis agmen, stat vbique morari,
Fortunamq́ꝫ omnem tentare, adituśq́ꝫ nocendi.
Exultant contra non æquo prælia motu
Cynthius inuadens. facies indigna cohortum,
Heu facies miseranda ducum, raro agmine aperta
Castra patent latè, viduatæ & ciuibus aulæ.
Mærebant vacuis thalamis regnator vterque
Iandudum exosi sine coniuge tædia lecti.
Primus amor maneat quamuis immotus vtrisq́ꝫ,
Sors tamē ad noua coniugia, atque nouos hymenæos
Flectit iniqua. igitur primùm rex agminis albi
Reginæ comites olim fidasq́ꝫ ministras
Regali inuitat thalamo, quæ funera mæstæ
Post fera bellatricis heræ tela irrita bello
Iactabant acies inter cuneosq́ꝫ nigrantes
Oppetere amissæ dominæ pro cæde paratæ.
Sed prius explorare ausus sedet, atque viriles
Cunctarum spectare animos, vt digna cubile

Intret.in hostiles sedes,atque Vltima castra
Hortatúrque,iubétque supremā apprendere metam.
Nulli fas etenim regis sperare cubile
(Pacta Vetant)nisi qua per tela inuecta,per hostes
Transactis spatijs cunctis impune suprema
Attigerit prius aduersi penetralia regis.
Arrexere animos famulæ,paritérque per hostes
Limitibus properant rectis.tamen ocyor antè it
Tertia,quam dextro ducebat semita cornu,
Exultátque agitátque animo connubia regis.
Nam comites spe sublapsa cessere Volentes.
Illa Volat cœptis immanibus,addidit alas
Gloria præpetibus plantis,& plurima merces.
Nulla obstat mora,nec facinus prohibere tyranno
Cura nigro est,neuáque ipse etiam connubia tentat,
Et Vacuis thalamis alias inducere nuptas.
Ergo iter alternæ accelerant,famulámque sinistram
Quàrto limite agit,saltu sed tardior Vno
Parrhasius iuuenis.iámque imperterrita Virgo
Candida,facta potens Voti penetrauerat omnes
Sedes,atque alacris meta consederat alta.
Tum rector iubet afferri sellámque tiarámque,
Extinctæ ornatus,necnon fulgentia sceptra,
Dignatúrque thoro meritam,optatisq; hymenæis.
Gaudet cana cohors,insultátque eminus atra.
Haud lacrymas cohibet Maia satus æthera Voce
Incessens,pictósque à pectore rupit amictus.
Nigranti famulæ tantùm gradus Vnus ad ipsam
Restabat metam ah misera.sed limite recto

Turr

Turritus fera fata Elephas impune minatur
Insurgens, si supremam contingere sedem
Audeat, & toto castra obsidet vltima tractu,
Et pauidam obseruans extremis sedibus arcet.
Intereà noua regali dignata virago
Connubio exultans, toto dat funera campo.
Illam tollit honos nouus, & fortuna tumentem.
Fulminis in morem ruit, àtque nigrantia sæuit
Castra per & sedes, ac sidera territat armis.
Horrescunt faciem inuisam nigra agmina crudæ
Virginis, atque imæ exoptant telluris hiatus.
Diffugiunt trepidi vasto irrumpente fragore
Hoste, metúque omnes acti glomerantur in vnum
Aulai in medio iuxta latera ardua regis.
Haud secus alta boues sparsa per pascua quondam,
Vt sensere lupum venientem, protinus omnes
Conueniũt trepidæ, & fortem facto agmine taurum
Ductorem armenti implorant, ipsíq; propiquant
Certatim inter se trudentes cornua rauco
Murmure: mugitu longè nemora alta resultant.
At regina furens trepidos toto agmine victrix
Impingens in terga, ipsíq; ante omnia regi
Fata parans, pugnas alta ad prætoria miscet,
Nunc ruit huc, nunc huc, tunc &, nisi læua fuisset
Mens illi, poterat candentem inuadere sedem
Limite in obliquum quarto, & concludere fauces.
Vltimus ille labor regi, gentíq; fuisset
Nigranti, & fatis Arcas lugeret iniquis.
Nempe erat hinc lethi facilis via in ilia regis,

Nec poterat quisquam se tanta opponere cladi.
Sensit Atlantiades tacitus, dubioq́ue tremebant
Corda metu: accelerare hostē iubet improbus, ictum
Ne videat, verbisq́ue rapit per inania mentem,
Castigatq́ue moras. Adeón' iuuat ipse morari,
Nec pudor est? quæ tanta animis ignauia? sic nos
Increpitas semper cunctantes impiger ipse?
Scilicet expectas dum nox certamina tollat?
His actus, peditem imprudens dum captat Apollo
Præterijt fortunam: alacer vocem extulit astris
Lætitia exiliens Cyllenius. inde periclo
Regem ipsum eripiens opponit Amazonis armis
Haud inuitum equitem, qui sæuos arceat ictus.
Tum secum meditans candenti lethum Elephanti,
Qui meta arcebat famulam, ne regis iniret
Concessos thalamos, curuato percullit arcu.
Concidit, atque ictu tellurem bellua vasto
Pulsauit moriens, dum regi intentat Apollo
Nequicquam exitium. tum metam impune ministra
Nigra tenet (nec Phœbus obest) iam regia coniux.
Iamq́ue alacres paribus certamina viribus ambo
Rursum ineunt, nuptasq́ue ferunt in bella secundas.
Tum, quanquam ambiguæ spes sint, incertáq́ue belli
Alea adhuc, tamen, ac si palma certus, & omne
Discrimen positus sit supra, gaudia ficto
Ore puer Maiæ simulat, verbisq́ue superbit
Improbus insultans, astus genus, & sua creber
Vocibus extollens, alba premit arma cohortis.
Quem sic deprensa iuuenis Latonius arte

Incre-

Increpitat: nondum extremam dubio vltima bello
Imposuit fortuna manum, & iam voce superbis.
Proinde mihi insulta, & tumidis reple ōia verbis,
Certa tuum annuerit tibi cùm victoria Martem.
Sed iam nulla mora est. tua nunc nunc irrita faxo
Dicta manu. hac fatus reginam hortatur in hostes.
Continuò exoritur magnum certamen, & ingens
Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere vtrisq;.
Audentes in tela ruunt. stat multus vbique
Terror, vbique pauor, mortisq; simillima imago.
Nituntur cuncti aduersi, seséq; viro vir
Obtulit. inuigilant castris auertere pestem
Quisque suis, hostemq; fugant, hostiliaq; ipsi
Castra petunt, variantq; vices, fortunaq; ludit
Spe cupidos, & corda mora impatientia torquet.
Funera spargebat fusca regina cohortis
Per medias animosa acies. non æmula contra
Opposuit sese virgo, sed calle per hostes
Secreto intereà regis tendebat ad alta
Limina. dein subitò captis custodibus arcis
Irruit, atque aditus irrumpens obsidet aulam,
Intentatq; necem regi. tum nigra virago,
Postquam altis vidit canā in penetralibus hostem,
Cæde madens strages citò linquit, & imperfecta
Funera, & acta pedem retrò exanimata repressit,
Nec timuit mediam se certæ opponere morti,
Et patria, & trepido properans succurere regi.
Hic aliud maius Phœbo grauiusq; dolendum
Obijcitur. nam cornipedem Cyllenius atrum

Huc

Huc illuc agitans campo insultabat aperto.
Ardet equus, saltúque furit. nec destitit ausis,
Donec reginæ pariter regiq́; minatus
Optatam tenuit sedem, exitióque futurus
Aut huic, aut illi nigrantibus obstitit armis.
Vt vidit, tristi turbatus pectus Apollo
Ingemuit, largúsque genis non defuit humor.
Et iam iam labi, atque retro sublapsa referri
Spes omnis, fluxæ vires, auersa deûm mens.
Arcas successu exultans, ac munere diuûm
Lætus, ouánsque, animum vocémq; ad sidera tollit,
Et tandem rediijt vigor in præcordia victo.
Protinus inclusam feriens sub tartara mittit
Reginam, & spolijs potitur non segnis opimis.
Tantum illi bellator equus cadit ilia fossus
Vltoris ferro regis. nondum tamen expes
Phœbus abit, sed pugnat adhuc, atque agminis albi
Relliquiæ pedites duo, & arcu insignis eburno
Martis amor iuuenis nequicquam bella lacessunt.
Audentes facit amissa spes lapsa salutis,
Succurrúntque duci labenti in funera: sed non
Talibus auxilijs, nec defensoribus istis
Tempus eget. toto Maia satus æquore sæuit.
Instat vi multa nigra virgo, septáque regis
Circuit excidium intentans, hàc perfurit, atq; hàc:
Nec requieuit enim, donec certamine iniquo
Relliquias gentis candentis, & vltima bello
Auxilia absumpsit. medio rex æquore inermis
Constitit amicis socijs, velut æthere in alto

Exp

Expulit ardentes flammas vbi lutea bigis
Luciferis aurora, tuus pulcherrimus ignis
Lucet adhuc Venus, & cælo mox vltimus exit.
Nulla salus illi superat, spes nulla salutis,
Non tamen excedit victus, sed claudere sese
Hostiles inter cuneos impune, per enses
Actus auet, donec nusquam spatia vlla supersint
Effugijs. nam si nemo illi fata minetur,
Nec superet sedes, quam impune capessere poßit,
Nil tantorũ operum impensis foret omnibus actum,
Sed labor effusus frustra, viresq́ue fuissent,
Nec titulos quisquam, aut victoris nomen haberet.
Ergo per vacuas sedes, desertaq́ue castra
Nunc huc, rursum illuc, incertos implicat orbes
Diffugiens, niger insequitur rex æquore toto,
Atque fugæ semper spatiumq́ue abitúmque relinquit.
Pòst vbi supremo tendentem limite gressum
Vidit, reginam sedes seruare secundas
Iußit, ab angustis ne se ille abducere poßet
Ordinibus, tantúmque fugæ misero vltima restat
Linea. tum sese contra niger æmulus infert
Dux gentis propiore gradu, sedes tamen vna
Alterum ab alterius contactu summouet vsque.
Vt verò contra exultantem victus, & expes
Constitit inuitus, fortunam nacta virago
Extremam insilijt sedem, totoq́ue minatur
Limite, nec misero restat locus amplius vsquam.
Tandem illum surgens virgo crudelis in ensem
Immolat, & finem imposuit sors aspera pugnæ,

Ingenti Superûm plausu, & clamore secundo.
Victor Atlantiades exultat littore toto
Improbus, & victo insultat, ridetq́ dolentem:
Quem Pater omnipotens ad se vocat, & dat habere
Felicem virgam, qua puras euocet vmbras
Pallenti Styge, vt infectum scelus eluit ignis,
Quáq́ Erebo damnet sontes, & carcere caeco,
Detq́, adimátque oculis somnos, & funere in ipso
Lumina lethaeo claudat perfusa sopore.
Mox verò gratum ludum mortalibus ipse
Ostendit deus, & morem certaminis huius
Italiae primùm docuit celebrare colonos.
Nāq́ olim (vt perhibēt) dilectā Scacchida, quae non
Inter Seriadas praestantior altera Nymphas,
Compressit ripa errantem, & nil tale putantem,
Dum pascit niueos herbosa ad flumina olores.
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris
Amissi pretium vario ordine picturatam
Argentiq́ auriq́ grauem tabulam addidit, vsumq́
Edocuit. Nymphaeq́ etiam nunc seruat honorem,
Et nomen ludus, celebrat quem maxima Roma,
Extremaeq́ hominum diuersa ad littora gentes.
Omnia quae puero quondam mihi ferre solebant
Seriades, patrij canerem dum ad flumina Serij.

FINIS.

MAR. HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS

Bucolica.

ECLOGA I.

DAPHNIS.

Lycidas. Amyntas.



BSENTEM *Daphnim Lycidas, & pulcher Amyntas*
Pastores ambo, pueri ambo, ad Tybridis vndam
Flebant, & querulo mulcebant flumina cantu.
Dicite vos Musæ, & iuuenum memorate querelas.
Dicite. nam motas ipsas ad carmina cautes,
Et requiesse suos perhibent vaga flumina cursus.
Incœpit Lycidas, Lycida nam cedit Amyntas:
Has ô qui saltem voces tibi ventus ad aures
Daphni ferat, nostrũ Daphni absens nosce dolorem.
Nunc seu te immemorem nostri, pecorisq; relicti
Oblitum patria arua iuuant, & pascua tantùm
Tusca tibi cordi Latij pro pinguibus agris
Antiqui Latij, & pro flauo Tyberino
Dilecti ripas formosas Accolis Arni:
Seu tibi (quando vrgent sic diuûm tristia iussa)

Sepe

Sæpe animo occurrit quàm pinguià liqueris arua,
Dumq́; acrem frustrà quærens lenire dolorem
Secretos lucos solus, secreta pererras
Littora, ad hos tali conuertis lumina tractus,
Et tacitus tecum dicis, Mea gaudia tellus
Illa habet. illa meos longè plaga seruat amores.
Daphni tuos abitus nostris in montibus Vrsi
Informes gemuere: feræ lustra alta tenentes
Audita aëreis in Verticibus Vlulasse.
His paßim audiri læta olim carmina in oris,
Carminaq́; & dulces pastorum semper amores.
Nunc circùm silet omnis ager, nunc pascua muta.
Hæc subitò liquit tecum omnis rura Voluptas.
Hic aderas, aderant simul & fluuialia Nymphæ
Numina, Nympharumq́; timor per littora Fauni:
Hinc abes, hinc absunt simul & fluuialia Nymphæ
Numina, Nympharumq́; timor per littora Fauni.
Formosi hic tecum montes, formosaq́; prata.
Te sine deformes montes, deformia prata.
Non horti flores apibus, non sidera rorem
Sufficiunt, gelidæ non linquunt arua pruinæ.
Vix paucas ager deserto in littore Amyntas
Ducit oues, paucas deserta in rupe capellas,
Horrentiq́; rubo, & carice pascit acuta.
Ah puer infelix, cui tu dum pascua cara
Commendas, & oues fido, atque armenta recedens,
Et tristis, dilecte Vale, Vix inquis, Amynta,
Nil potuit contra præ largo reddere fletu.
Illum, singultus dum non compescere longos,

Aut lacrymas valet, aprico de colle iuuenca
Fluminis immemores, & graminis admirata
Indigno flentis pueri doluere dolore.
Sic Lycidas subitò, sic deinde sequutus Amyntas.
Illa luce & oues, fluuios ac pabula læta
Fugère, & saturis ipsi præsepibus vltrò
Abstinuere boues clausi fanilibus, & vos
Tardius ab misera rediistis monte capellæ.
Vt fontes sine aquis, vario vt sine gramine prata,
Vt sine Sole dies, Lunæ vt sine lumine noctes,
Hæc ita mæsta suo squalet sine Daphnide tellus.
Daphni decus ruris, pastorum Daphni voluptas,
Quæ modò surgebant tuguri tua culmina ad auras,
Tibridis in ripa nunc semistructa videntur,
Ipsa etiam absentem dominum deserta morari.
Illàc præteriens subsistit sæpe viator,
Siue viam carpit pedibus, seu puppe per vndas,
Et secum admirans, quondam hæc felicia tecta,
Felices, inquit, horti cùm Daphnis adesset:
Nunc infelices horti, infelicia tecta.
Parcite custodes pecoris, cohibete capellas,
O vos, ò cohibete & oues, hædósve petulcos,
Ne vites carpant immiti dente nouellas,
Quas posuit modò discedens hinc ordine Daphnis.
Et dixit, Tamen ista mei monimenta manebunt,
Crescetis vites: vobiscum consita crescet
Vlmus, & exilij nostri numerabitis annos.
Sic ait, & dulci sese diuellit ab ora
Inuitus, tristisq; tamen subsistit: & hæret

Intret.in hostiles sedes,atque ultima castra
Hortatúrque,iubétque supremā apprendere metam.
Nulli fas etenim regis sperare cubile
(Pacta vetant)nisi quæ per tela inuecta,per hostes
Transactis spatijs cunctis impune suprema
Attigerit prius aduersi penetralia regis.
Arrexere animos famulæ,paritérque per hostes
Limitibus properant rectis.tamen ocyor antè it
Tertia,quam dextro ducebat semita cornu,
Exultátque agitátque animo connubia regis.
Nam comites spe sublapsa cessêre volentes.
Illa volat cœptis immanibus,addidit alas
Gloria præpetibus plantis,& plurima merces.
Nulla obstat mora,nec facinus prohibere tyranno
Cura nigro est,nouáque ipse etiam connubia tentat,
Et vacuis thalamis alias inducere nuptas.
Ergo iter alternæ accelerant,famulámque sinistram
Quarto limite agit,saltu sed tardior vno
Parrhasius iuuenis.iámque imperterrita virgo
Candida,facta potens voti penetrauerat omnes
Sedes,atque alacris meta consederat alta.
Tum rector iubet afferri sellámque tiarámque,
Extinctæ ornatus,necnon fulgentia sceptra,
Dignatúrque thoro meritam,optatisq; hymenæis.
Gaudet cana cohors,insultátque eminus atra.
Haud lacrymas cohibet Maia satus æthera voce
Incessens,pictósque à pectore rupit amictus.
Nigranti famulæ tantùm gradus vnus ad ipsam
Restabat metam ah misera.sed limite recto

Turr

Turritus fera fata Elephas impune minatur
Insurgens, si supremam contingere sedem
Audeat, & toto castra obsidet ultima tractu,
Et pauidam obseruans extremis sedibus arcet.
Intereà noua regali dignata virago
Connubio exultans, toto dat funera campo.
Illam tollit honos nouus, & fortuna tumentem.
Fulminis in morem ruit, àtque nigrantia sæuit
Castra per & sedes, ac sidera territat armis.
Horrescunt faciem inuisam nigra agmina crudæ
Virginis, atque imæ exoptant telluris hiatus.
Diffugiunt trepidi vasto irrumpente fragore
Hoste, metúque omnes acti glomerantur in vnum
Aulai in medio iuxta latera ardua regis.
Haud secus alta boues sparsæ per pascua quondam,
Vt sensere lupum venientem, protinus omnes
Conueniũt trepidæ, & fortem facto agmine taurum
Ductorem armenti implorant, ipsiq́; propiquant
Certatim inter se trudentes cornua rauco
Murmure: mugitu longè nemora alta resultant.
At regina furens trepidos toto agmine victrix
Impingens in terga, ipsiq́; ante omnia regi
Fata parans, pugnas alta ad prætoria miscet,
Nunc ruit huc, nunc huc, tunc &, nisi læua fuisset
Mens illi, poterat candentem inuadere sedem
Limite in obliquum quarto, & concludere fauces.
Vltimus ille labor regi, gentiq́; fuisset
Nigranti, & fatis Arcas lugeret iniquis.
Nempe erat hinc lethi facilis via in illa regis,

Nec poterat quisquam se tantæ opponere cladi.
Sensit Atlantiades tacitus, dubioq́ue tremebant
Corda metu: accelerare hostē iubet improbus, ictum
Ne videat, verbisq́ue rapit per inania mentem,
Castigatq́ue moras. Adeón' iuuat ipse morari,
Nec pudor est? quæ tanta animis ignauia? sic nos
Increpitas semper cunctantes impiger ipse?
Scilicet expectas dum nox certamina tollat?
His actus, peditem imprudens dum captat Apollo
Prætérijt fortunam: alacer vocem extulit astris
Lætitia exiliens Cyllenius. inde periclo
Regem ipsum eripiens opponit Amazonis armis
Haud inuitum equitem, qui sæuos arceat ictus.
Tum secum meditans candenti lethum Elephanti,
Qui meta arcebat famulam, ne regis iniret
Concessos thalamos, curuato percullit arcu.
Concidit, atque ictu tellurem bellua vasto
Pulsauit moriens, dum regi intentat Apollo
Nequicquam exitium. tum metam impune ministra
Nigra tenet (nec Phœbus obest) iam regia coniux.
Iamq́ue alacres paribus certamina viribus ambo
Rursum incunt, nuptasq́ue ferunt in bella secundas.
Tum, quanquam ambiguæ spes sint, incertáque belli
Alea adhuc, tamen, ac si palmæ certus, & omne
Discrimen positus sit supra, gaudia ficto
Ore puer Maiæ simulat, verbisq́ue superbit
Improbus insultans, astus genus, & sua creber
Vocibus extollens, alba premit arma cohortis.
Quem sic deprensa iuuenis Latonius arte

Incre-

Increpitat: nondum extremam dubio Vltima bello
Imposuit fortuna manum, & iam voce superbis.
Proinde mihi insulta, & tumidis reple oĩa verbis,
Certa tuum annuerit tibi cùm victoria Martem.
Sed iam nulla mora est. tua nunc nunc irrita faxo
Dicta manu. hac fatus reginam hortatur in hostes.
Continuò exoritur magnum certamen, & ingens
Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere vtrisq;.
Audentes in tela ruunt. stat multus vbique
Terror, vbique pauor, mortisq; simillima imago.
Nituntur cuncti aduersi, seséq; viro vir
Obtulit. inuigilant castris auertere pestem
Quisque suis, hostemq; fugant, hostiliaq; ipsi
Castra petunt, variantq; vices, fortunaq; ludit
Spe cupidos, & corda mora impatientia torquet.
Funera spargebat fusca regina cohortis
Per medias animosa acies. non æmula contra
Opposuit sese virgo, sed calle per hostes
Secreto intereà regis tendebat ad alta
Limina. dein subitò captis custodibus arcis
Irruit, atque aditus irrumpens obsidet aulam,
Intentatq; necem regi. tum nigra virago,
Postquam altis vidit canã in penetralibus hostem,
Cæde madens strages citò linquit, & imperfecta
Funera, & acta pedem retrò exanimata repressit,
Nec timuit mediam se certa opponere morti,
Et patria, & trepido properans succurere regi.
Hic aliud maius Phœbo grauiusq; dolendum
Obijcitur. nam cornipedem Cyllenius atrum

Huc illuc agitans campo insultabat aperto.
Ardet equus, saltúque furit. nec destitit ausis,
Donec reginæ pariter regiq; minatus
Optatam tenuit sedem, exitióque futurus
Aut huic, aut illi nigrantibus obstitit armis.
Vt vidit, tristi turbatus pectus Apollo
Ingemuit, largúsque genis non defuit humor.
Et iam iam labi, atque retro sublapsa referri
Spes omnis, fluxæ vires, auersa deûm mens.
Arcas successu exultans, ac munere diuûm
Lætus, ouánsque, animum vocémq; ad sidera tollit,
Et tandem rediit vigor in præcordia victo.
Protinus inclusam feriens sub tartara mittit
Reginam, & spoliis potitur non segnis opimis.
Tantum olli bellator equus cadit ilia fossus
Vltoris ferro regis. nondum tamen expes
Phœbus abit, sed pugnat adhuc, atque agminis albi
Relliquiæ pedites duo, & arcu insignis eburno
Martis amor iuuenis nequicquam bella lacessunt.
Audentes facit amissa spes lapsa salutis,
Succurrúntque duci labenti in funera: sed non
Talibus auxiliis, nec defensoribus istis
Tempus eget. toto Maia satus æquore sæuit.
Instat vi multa nigra virgo, septáque regis
Circuit excidium intentans, hàc perfurit, atq; hàc:
Nec requieuit enim, donec certamine iniquo
Relliquias gentis candentis, & vltima bello
Auxilia absumpsit. medio rex æquore inermis
Constitit amicis sociis, velut æthere in alto

Expu

Expulit ardentes flammas Vbi lutea bigis
Luciferis aurora, tuus pulcherrimus ignis
Lucet adhuc Venus, & cælo mox Vltimus exit.
Nulla salus illi superat, spes nulla salutis,
Non tamen excedit Victus, sed claudere sese
Hostiles inter cuneos impune, per enses
Actus auet, donec nusquam spatia Vlla supersint
Effugijs. nam si nemo illi fata minetur,
Nec superet sedes, quam impune capessere poßit,
Nil tantorũ operum impensis foret omnibus actum,
Sed labor effusus frustra, Viresq́; fuissent,
Nec titulos quisquam, aut Victoris nomen haberet.
Ergo per Vacuas sedes, desertaq́; castra
Nunc huc, rursum illuc, incertos implicat orbes
Diffugiens, niger insequitur rex æquore toto,
Atque fugæ semper spatiumq́; abitúmque relinquit.
Pòst Vbi supremo tendentem limite greßum
Vidit, reginam sedes seruare secundas
Iußit, ab angustis ne se ille abducere poßet
Ordinibus, tantúmque fugæ misero Vltima restat
Linea. tum sese contra niger æmulus infert
Dux gentis propiore gradu, sedes tamen Vna
Alterum ab alterius contactu summouet Vsque.
Vt Verò contra exultantem Victus, & expes
Constitit inuitus, fortunam nacta Virago
Extremam insilijt sedem, totoq́; minatur
Limite, nec misero restat locus amplius Vsquam.
Tandem illum surgens Virgo crudelis in ensem
Immolat, & finem imposuit sors aspera pugnæ,

Ingenti Superûm plausu, & clamore secundo.
Victor Atlantiades exultat littore toto
Improbus, & victo insultat, ridetq; dolentem:
Quem Pater omnipotens ad se vocat, & dat habere
Felicem virgam, qua puras euocet vmbras
Pallenti Styge, vt infectum scelus eluit ignis,
Quáq; Erebo damnet sontes, & carcere cæco,
Detq;, adimátque oculis somnos, & funere in ipso
Lumina lethæo claudat perfusa sopore.
Mox verò gratum ludum mortalibus ipse
Ostendit deus, & morem certaminis huius
Italiæ primùm docuit celebrare colonos.
Nāq; olim (vt perhibēt) dilectā Scacchida, quæ non
Inter Seriadas præstantior altera Nymphas,
Compreßit ripa errantem, & nil tale putantem,
Dum pascit niueos herbosa ad flumina olores.
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris
Amißi pretium vario ordine picturatam
Argentiq; auriq; grauem tabulam addidit, vsumq;
Edocuit. Nymphæq; etiam nunc seruat honorem,
Et nomen ludus, celebrat quem maxima Roma,
Extremæq; hominum diuersa ad littora gentes.
Omnia quæ puero quondam mihi ferre solebant
Seriades, patrij canerem dum ad flumina Serij.

FINIS.


MAR. HIERONYMI VIDAE CREMONENSIS

Bucolica.

ECLOGA I.

DAPHNIS.

Lycidas. Amyntas.



BSENTEM Daphnim Lycidas, & pulcher Amyntas
Pastores ambo, pueri ambo, ad Tybridis vndam
Flebant, & querulo mulcebant flumina cantu.
Dicite vos Musæ, & iuuenum memorate querelas.
Dicite. nam motas ipsas ad carmina cautes,
Et requiesse suos perhibent vaga flumina cursus.
Incœpit Lycidas, Lycida nam cedit Amyntas:
Has ô qui saltem voces tibi ventus ad aures
Daphni ferat, nostrũ Daphni absens nosce dolorem.
Nunc seu te immemorem nostri, pecorisq; relicti
Oblitum patria arua iuuant, & pascua tantùm
Tusca tibi cordi Latij pro pinguibus agris
Antiqui Latij, & pro flauo Tyberino
Dilecti ripas formosas Accolis Arni:
Seu tibi (quando vrgent sic diuûm tristia iussa)

Sæpe

Sæpe animo occurrit quàm pinguia liqueris arua,
Dumq́ue acrem frustrà quærens lenire dolorem
Secretos lucos solus, secreta pererras
Littora, ad hos cæli conuertis lumina tractus,
Et tacitus tecum dicis, Mea gaudia tellus
Illa habet. illa meos longè plaga seruat amores.
Daphni tuos abitus nostris in montibus Vrsi
Informes gemuere: feræ lustra alta tenentes
Audita aëreis in verticibus vlulasse.
His paßim audiri læta olim carmina in oris,
Carminaq́ue, & dulces pastorum semper amores.
Nunc circùm silet omnis ager, nunc pascua muta.
Hæc subitò liquit tecum omnis rura voluptas.
Hic aderas, aderant simul & fluuialia Nymphæ
Numina, Nympharumq́ue timor per littora Fauni:
Hinc abes, hinc absunt simul & fluuialia Nymphæ
Numina, Nympharumq́ue timor per littora Fauni.
Formosi hic tecum montes, formosaq́ue prata.
Te sine deformes montes, deformia prata.
Non horti flores apibus, non sidera rorem
Sufficiunt, gelidæ non linquunt arua pruinæ.
Vix paucas ager deserto in littore Amyntas
Ducit oues, paucas deserta in rupe capellas,
Horrentiq́ue rubo, & carice pascit acuta.
Ah puer infelix, cui tu dum pascua cara
Commendas, & oues fido, atque armenta recedens,
Et tristis, dilecte vale, vix inquis, Amynta,
Nil potuit contra præ largo reddere fletu.
Illum singultus dum non compescere longos,

Aut lacrymas valet, aprico de colle iuuencæ
Fluminis immemores, & graminis admiratæ
Indigno flentis pueri doluere dolore.
Sic Lycidas subitò, sic deinde sequutus Amyntas.
Illa luce & oues, fluuios ac pabula læta
Fugere, & saturis ipsi præsepibus vltrò
Abstinuere boues clausi fænilibus, & vos
Tardius ab misera rediistis monte capellæ.
Vt fontes sine aquis, vario vt sine gramine prata,
Vt sine Sole dies, Lunæ vt sine lumine noctes,
Hæc ita mæsta suo squalet sine Daphnide tellus.
Daphni decus ruris, pastorum Daphni voluptas,
Quæ modò surgebant tuguri tua culmina ad auras,
Tibridis in ripa nunc semistructa videntur,
Ipsa etiam absentem dominum deserta morari.
Illàc præteriens subsistit sæpe viator,
Siue viam carpit pedibus, seu puppe per vndas,
Et secum admirans, quondam hæc felicia tecta,
Felices, inquit, horti cùm Daphnis adesset:
Nunc infelices horti, infelicia tecta.
Parcite custodes pecoris, cohibete capellas,
O vos, ò cohibete & oues, hædósve petulcos,
Ne vites carpant immiti dente nouellas,
Quas posuit modò discedens hinc ordine Daphnis.
Et dixit, Tamen ista mei monimenta manebunt,
Crescetis vites: vobiscum consita crescet
Vlmus, & exilii nostri numerabitis annos.
Sic ait, & dulci sese diuellit ab ora
Inuitus, tristisq; tamen subsistit: & hæret

Hic illis, colles & respiciebat amatos,
Optabatq; oculos in cara linquere terra.
Pastores adorant, omnes de collibus illum
Spectabant mæsti procul, ac discedere flebant.
At tu viue memor saltem pulcherrime nostri,
Viue tui memor ò Lycida pulcherrime Daphni.
Forsitan &, si quis cælo Deus aspicit alto
Pastorum curas, nostri miserebitur olim
Mitior, & caris reddet te protinus oris.
Sic pueri paribus se dum solantur auenis,
Illorum sera Tibris sub nocte querelas
Miratus flauum vitreis caput extulit antris:
Et vos ex imo gemuistis Naïdes amne.

CORYDON

ECLOGA II.

HOc mihi vos etiam Nymphæ concedite carmen
Seriades, vestris veniens quod nuper ab oris
Cantabat Corydon, grata dum texit in vmbra
Fiscellam, amißi gregis immemor. ilicet illum
Cantantem nostri densa cinxere corona
Pastores admirati, Fauniq; secuti,
Et vos vicinis Dryades properastis ab antris.
Nam Satyrum bifores audentem inflare cicutas,
Ipsum dum cantu vocat in certamina Phœbum
Nunc canit, & dempta viuos cute detegit artus
Cernenti sparsæ rorabant sanguine siluæ.
Narcißi nunc formosi meditatur amorem.

Ah puer infelix, quis te nouus error adegit?
Aut nihil est quod amas, & fallax ludit imago,
Aut tibi tute ignis, teq; ardes nescius ipsum.
Tu tamen hanc tenero malè sanus pectore curam
Noctes atq; dies versas. tibi flamma medullis
Altius insedit. seq; ossibus implicat ignis.
Parcite fallaces puero iam parcite lymphæ.
Ipsæ etiam parcunt Nymphæ, quas lusit amantes.
Ipsi etiam parcunt iuuenes, quos torsit amantes
Durus, communis diuûm puer atq; hominum fax.
Illum etiam montesq; feri, desertaq; late
Fleuerunt nemora, vmbrosisq; in vallibus amnes,
Dum iacet in ripis, nec fonte recedit amato,
Et moriens cura extremum tabescit inani.
Hæc felix Corydon. dehinc addit Ariona cantu
Insignem resonant omnes & Ariona saltus,
Et nemora, & montes, atq; vmbrosæ conualles.
Vos quoq; muscosi meministis Arionis amnes.
Quæ vos Nereides tenuit mora? nam properarunt
Æquoris excitum pecus omne, armentaq; Protei,
Et curuam phocæ informes cinxere carinam,
Cùm nauta insidijs sibi fata instantia cernens
Extremum caneret tristis solatia lethi:
Qualis Mæandri quæritur moriturus ad vndam
Canus olor, qualis rauci per stagna Caystri.
Vos tamen ô tandem traxerunt carmina Nymphæ
Nereides, tutam cùm per vada salsa secaret
Supposito delphine viam, in patriamq; rediret,
Dulce etiam nunc fila mouens testudinis aureæ.

Quid caneret nisi cæruleos per cærula diuos?
Oceanum in primis, cuius sanctissima vbiq;
Iura tremunt vnda, tumidiq; sub æquore fluctus,
A quo principium deducunt omnia passim
Flumina sub terram occulto labentia tractu,
Mox eadem longo redeunt exercita cursu.
Addit vt cælum, cæliq; nitentia tecta
Contemnat, liquidasq; domos præponat Olympo,
Detentus blandis amplexibus Amphitrites.
Intereà vitrea auricomus depascitur igni
Arua die, vitreo Sol nocte expectat in antro
Hospitis Oceani mensis exceptus amicis.
Intereà roseis satura ad præsepia glauca
Sufficiunt, & flumen equis & pabula Nymphæ
Diuina, ambrosiamq;, & Pæoniam panaceam.
Cætera dehinc etiam canit alti numina ponti,
Cum Nereo, Glaucoq; tridentiferum Neptunum.
Addit Nereidas centum, centum addit amores
Nereidum. toto responsant æquora ponto.
Huc ades ô Galatea: ades huc Pisæa Arethusa,
Nerine Galatea, argentea Neptunine.
Restabat, nautam infandum quæ pœna sequuta
Dicere, quos laqueo tulerit, quos perfidus ignes:
Pergebatq; canens Corydon dum cuncta referret:
Sed non Sicanium, non ille oblitus Amyntam,
Omnes quem puerum pastores protinus, omnes
Depereunt Nymphæ. Nympharum semper amores
Ille habet, ille ipsas vrit suauo igne Napæas.
Huc ades ô formose puer. tibi carmina amantes

Grata

Grata canunt Musæ. tibi magno captus amore
Ipse suos numeros addit sua munera Apollo,
Eq; sua Viridem texit tibi fronde coronam.
Hæc Corydon Tiberi nuper mirante canebat.
Cætera pastores meminere ad flumina Mella.

NICE.

ECLOGA III.

COniugis amißi funus pulcherrima Nice
Flebat, & in solis errabat montibus ægra,
Atq; homines fugiens mæsto solatia amori
Nulla dabat, luctu sed cuncta implebat amaro,
Flens noctem, flens lucem. ipsi iam funera montes
Lugebant Dauali: Daualum omnia respondebant.
Intereà Nymphæ Damon correptus amore,
Vicina Vt paucas seruabat rupe capellas,
Omnibus ah demens siluis errabat & agris,
Atq; hæc nequicquam Vacuas iactabat ad auras,
O quis te nostris oculis pulcherrima Virgo
Obiecit deus, & Visam te protinus idem
Eripuit nobis, sæuo Vt consumerer igni?
Siue dea es nemorum, (certè dea) siue tibi altæ
Vndarũ domina parent maris æquora & amnes,
Illa meo nunquam facies de pectore abibit.
Illam Vos etiam mecum discetis amare
Intonsi montes, Vos Vmbriferæ conualles.
Siue greges inter captabo frigus & auram,
Flumina seu propter salices in Valle putabo,

Aut agitans instabo aliud quodcunq; tibi antè
Carmina pauca canam, & te pectore suspirabo,
Toto vnam te corde. prius dediscet amare
Gramina ouis, nemora alta feræ, vaga flumina pisces,
Quàm tua de nostris vellatur cura medullis.
Si nec erunt Fauni, si nec mihi Oreades vllæ,
Montibus, & solis dicam mea carmina siluis.
Ardebunt siluæ, montes ardebitis alti.
Quò fugis ah? Daualus non hæc post funera curat.
Siste gradũ, atq; oculis rursum dea reddere nostris.
O tibi si tantùm hæ siluæ, si mollia prata
Hæc placeant, libeatq; his mecum in vallibus esse,
O has felices siluas, felicia prata,
Formosas nimium siluas, formosaq; prata,
Formosas valles, sed tu formosior illis.
Coniugis hic mecum, dum carpent grata capellæ
Gramina, facta canes ingentia, vt hostibus vnus
Obstiterit sæpe, & prostratas ceperit vrbes,
Vtq; duces victos tot magnis ceperit ausis
Vna eademq; die, tecum omnia quæ modò montes.
Cantabant: ipsi Daualum omnia respondebant.
Alma suum hic tecum non dedignetur Adonim
Flere Venus, tecumq; suas sociare querelas.
Ipse autem intereà iuxta proiectus in herba
Insignem calathum tibi iunco & vimine texam,
Et totum miris pergam variare figuris.
Primus erit labor hic, primũ hic tamen argumentũ
Coniugis extincti funus miserabile funus,

Dum

Dum queritur se non bello, non fortibus armis
Oppetere, at lento paulatim cedere morbo.
Pallor erit gelido iuuenis morientis in ore,
Et sensim placida claudentur lumina morte.
Addua aquas iuxta fundet mæstissimus Vrna,
Et circunfusæ tundent sua pectora Nymphæ,
Spargentes stratis violam, mæstumq; Hyacinthum.
Exanimum circunstabunt regesq; ducesq;
Marentes, largoq; vndabunt omnia fletu.
Parte alia heroum multis comitantibus addam
Longum iter ingressam te, siquod numen eunti
Coniugis annueret cari producere fata.
Quos non intereà diuos in vota vocabis?
Quas non muneribus cumulabis grandibus aras?
Omnes, sed frustra diuos in vota vocabis:
Muneribus frustra cumulabis grandibus aras.
Ibis multa metu suspensa. è montibus altis
Occurrent Dryades, & Oreades admiratæ,
Nympharumq; tibi passim chorus omnis eunti
Floribus è varijs, viridiq; è fronde coronas
Intexent saui solatia vana doloris.
Cùm verò extinctum Daualum sæuissimus aures
Nuntius implebit. votis nihil omnibus actum,
Pallentem heu subitò faciam, ingentiq; dolore
Exanimem labi. stabunt circum ilicet omnes
Collapsam famulæ, gelidamq; à flumine lympham
Rorabunt, gelida vix tu reuocabere lympha.
Quos ah dum gemitus, quæ tum lamenta referrem.

Si possent gemitus iunco aut lamenta referri?
Crudeles diuos, crudelia fata vocares,
Crudelem terras, quòd non sponte dehisceret, & non
Te subitò orantem miserata hauriret hiatu,
Haud aliter tantum finiri posse dolorem.
Etrusci montes, testes vos omnia scitis.
Omnia vos mæste lamenta audistis, & ipsi,
Dum miseret, celsis de verticibus vlulastis.
Nam mihi cuncta senex puero prædixerat olim,
Dum moriens teneros commendat Tityrus agnos.
Sic Damon, simul ibat. eum videre vagantem,
Atq; hæc nequicquam fera sub nocte canentem
Carmina nimbosis stabulantes montibus vrsi,
Montibus, & siluis, ac littoribus desertis.
Illa autem prærupta legens atq; inuia saxa
Nunc hàc nunc illac fugere indeprensa, nec vsquam
Apparere, freti hiberna surdior vnda.
Illam vos amnes, vos ò, genus amnibus vnde,
Sistite, correptamq; domum deducite Nymphæ.
Sola dies poterit tantum lenire dolorem.

FINIS.

M. HIERONYMI VIDAE CARMINA DIVERSI GENERIS.

IO. MATTHAEO GIBERTO.

ME me rura iuuant mea,
Optatoq; diu perfruor ocio,
Per te quod peperi mihi
Giberte, ò animi sola quies mei,
Pro quo mille adeam neces.
Nunc æstus vacuum glandifera iuuat
Euitare sub ilice,
Nunc audire Noti murmura garruli
Densas per nemorum comas,
Haud longè scatebris fontis ab algidi.
Nec me desidiæ tamen,
Aut tu me argueris turpis inertiæ.
Canto nam modò carmina:
Ad præscripta modò me sapientium
Emendans animum colo.
Princeps te intereà detinet vrbium
Roma, principibus viris
Gratum, inter proceres nobilem honoribus.
Suspiras tamen & doles,

Fortunam cupiens persimilem mea,
Mecum ut saepe negotia
Vrbana ac varias sollicitudines
Detestaris, & angeris,
Felicemq́; vocas me ter & amplius.
Vt verum fatear tibi,
Permutare negem. tu tamen haec cape
Haec solatia amiculi,
Sortem aequa vt leuius mente feras tuam.
Sunt mortalibus omnia
Diuisa studia, & munera dispari
Vita, vt quisq; humeris valet,
Diuis cuiq; suum distribuentibus
AEquo iudicio omnibus.
Non fossoŕve, ouiuḿve arbiter horridus
Clauum temperet vrbium.
Non quem templa iuuant, curiáve, aut forum,
Sulcet diuite mercium
Mutator pelagus Carpathium raté.
His tu temporibus datus,
Esses vt patriae praesidium ac bonis.
Has natura tibi dedit
Arteis: hoc dederunt dij studium tibi.
Tén' dices miserum rogo?
Nec contentus eris sorte tua dolens?
Vrbs te magna Quiritium
Mirata est puerum, publica munera
Tractantem grauiter, diu:
Vix nunc quarta tibi condita Olympias,

Regum

Regum consilijs tamen
Iandudum grauibus conscius interes.
Omnes Italiæ angulos
Fecisti meritis iam memores tui.
Omnis iam tibi Gallia,
Germanusq; ferox funera nil pauens
Debet: debet atrox Getæ,
Debent Sauromatæq; & Morini vltimi,
Debent instabiles Scythæ,
Et tellus vbicunq; est habitabilis.
Sed nil est quoq;, si sapis,
Quod nostra hæc inhies vsqueadeo ocia.
Ipsi quærimus in dies
Doctrina studioq; hanc sapientiam,
Quam nec forsitan assequi
Vnquam fata dabunt, aut labor irritus.
Huius tu nihil indiges.
Fers tecum puer hanc matris ab ubere
Raro munere cælitum,
Externaq; tibi nulla opus est ope.

LEONI X. PONT. MAX.

ECquis ô lætam Leo gratus vrbem
Erigit rumor fera te parare
Barbaræ iam iam Latio imminenti
Funera genti?
Macte qui tantos animos superbus
Concipis, magnis nouâ te triumphis

Gloria inuitat, noua laurus, ò ter
Maxime regum.
O' diem illam, qua rediens in Vrbem
Arduis figes spolia ampla templis,
Quem duces omnes sacra Vaticani ad
Limina ducent.
Ante deiecti capita alta reges
Efferi incedent. minor ibit ille,
Qui modò deuicto oriente Romæ
Dira minatur.
O' Vbi hìc captas numerabis Vrbes,
Et ducum Vita exuuias carentum;
O' tuum quæ tunc meritò lacessent
Gaudia pectus?
Ergo age arrectam Ausoniam, & paratos
Publica Europæ Voca ad arma reges,
Iamq; spumosum Videam latère
Claßibus æquor.
Hoc auent omnes Itali exteriq;.
Gestiunt cunctis animi. paratur
Martis ad præclara opera & labores
Pulchra iuuentus.
Ipse ego, quanuis alia nitere
Mens erat lauro, ardeo nunc amore
Martis armorumq;: tui relinquunt
Phœbe calores.
Nunc Vocant artes aliæ. iuuet me
Iam grauem ferri strepitum, tubasq;
Horridas audire. iuuet ruenteis

Cerne

Cernere turmas.
Iam mihi densum videor per agmen
Caßide inclusus caput insuetum
Funera horrendum fera fulminanti
Spargere dextra.
Non ego pro te, laribusq́, & aris
Horream extremos penetrare ad Afros,
Non ego Xanthum galea caua potare, nec Indum.
Pulueris multum patiensq́ Solis
Ibo quò Bellona vocabit & Mars,
Hostium irrumpens cuneos aëna
Luce coruscus.
Et mihi pectus, mihi sanguis, & vis
Viuida, est præsens animus. trementi
Barbari tellure cadent mea sub
Cuspide reges.
Ante me haud alter vacuus timoris
Audeat muros superare capti
Oppidi, nemo prior obstinatas
Rumpere in arces.
Forsan & vestros aliquis triumphos
Dum canet vates Asiam Africamq́
Cedere, & victum iuga vestra ferre
Protinus orbem,
Me quoq́ heroas memorabit inter
Maximos. noscent anima in periclis
Prodigum, expertemq́ metus futura
Sæcula Vidam.

IO. MATTHAEO GIBERTO.

HOc est olorum, dulcius vt canant
Giberte semper, quos senium premit,
Illisq; solis est senectus
Vsque adeò potior iuuenta.
Non id sacratis vatibus accidit,
Placere cantu Musa quibus dedit.
His obstat vsq; obliuiosa
Consilijs melior senectus.
Vbi ligatus sangis habet gelu,
Languentq; vires, mentem aliæ ilico
Curæ fatigant. suntq; semper
Postera deteriora primis.
Natura rebus, cuiq; suum, dedit
Tempus, quod vltra non bene progredi est.
Non semper idem floret annus,
Aut folijs siluæ virescunt.
Lætis nitorem tristis hiems agris
Aufert procellis atq; gelu potens.
Nec se recognoscit sepulta, &
Sub niuibus stupet alma tellus.
Quid? qui ruenti non semel obstitit
Hosti, vt trementem destituit vigor,
Sedet sacramento solutus,
Et pueris sua facta narrat.
Tu me tamen vis versibus immori
Æuo reclamante, & iuueni aptius
Subire discrimen, meamq;
Sollicitans hiemem fatigas.

Ne coge, siqua fortè nitescimus,
Luci prori inspergere nubila.
Iam fas Camœnis abdicato
Sit mihi ponere plectra & artem.
Vos ó quibus vis & vigor integer,
Dum feruet intus laudis adhuc amor,
Perstate, certatimq; lati
Vela date egregio labori.
Mollem senectam me deceat magis
Traducere intra Socraticam domum,
Dum cogito qua sit beatis
Post cineres animis voluptas.

IO. MATTHAEO GIBERTO.

Scilicet hæc etiam nostrorum summa malorum
Defuerat Giberte, mea vt tu sola voluptas
Eriperere mihi longinquas missus in oras?
Saltem ego si tecum consors sociusq; laborum
Venissem, non infelix mihi, dijsq; viderer
Inuisus penitus. tibi si non vtilis essem
Consilijs, quando ante alios te maxima Pallas
Edocuit, mentemq; aspirat Iuppiter altam,
Attamen hæsissem lateri fidißimus vnus
Vsq; tuo, quascunq; oras tecum ire paratus.
Ipse ego prima via tentare pericula possem,
Perq; niues altas vestigia figere primus,
Quæ tutò mox tu quires seruare sequendo.
I tamen, & magnis de rebus cominus altos
Pro patria intrepidè reges affare, decusq;
Tutare Italiæ, libertatemq; tuorum,

Teq;

Teq; adeò egregijs clarum fer ad æthera factis.
Intereà solis agitans in montibus æuum
Infelix ægrum Musis solabor amorem,
Si te absente tamen venient ad carmina Musæ,
Nec mihi longè abijt tecum irreuocatus Apollo.
Nempe canam semper Medycũ facta ampla tuorũ,
Præclara decora alta domus, qua sospite nunquam
Italiam amissam libertatemq; fatebor,
Fata licet semper cœptis ingentibus obstent.
Atq; ideo Leo mortales modò liquerit auras
Ereptus medijs (sic Dij voluere) triumphis,
Inuidit libertatem fors læua ruenti
Italiæ, inuidit partum decus. omnis in illo
Spes penè extincta, & moriens secum omnia vertit.
Tu tamen intereà tanto Giberte dolori,
Tam iusto parce ô gemitu, & mortalia tecum
Versa animo, cautusq; via te crede periclis,
Nec tibi tam vilis vita sit facta cupido.
Forsitan & siqua est benefactis gratia, & vsquam
Præmia sunt laudi sua, reges aduena amicos
Inuenies, tua magna quibus notissima virtus.
Ne tamen ô dulcem Ausoniam regionibus vllis
Posthabeas, caram néve obliuiscere Romam.
Rumpe moras omnèis, & caris reddere amicis.
Ipse tuum expectans reditum his in montibus aras
Muneribus cumulò magnis, Nymphasq; precatus
Omnibus in'acto voueo de flore coronas.
O' illum mihi si concedant cernere amica
Astra diem, cùm tu extremis mihi redditus oris

Nar

Narrabis moresque hominum, diuersa locorumq́ʒ
Ingenia, atque exhausta via quæcunque pericla!
Si verò ante tuos reditus me corpore fata
Exoluent isto fert vt præsaga mihi mens,
Dum desiderio, magnóque absentis amore
Tabescens longum nequeo perferre dolorem,
Tecum erit hæc anima. & passim te amica sequetur
Perq́ʒ niues altas, perq́ʒ aspera frigora Rheni:
Sic saltem tua me tunc cernere facta iuuabit.
Tu demum rediens nostrum si fortè sepulcrum
Aspicies, præter penitus non immemor ibis.
Non lacrymas (neque enim tanti mea funera) posco.
Mi sat erit, tacito tecum si pectore dices,
Et nostri non est expers hic puluis amoris.
Tū mihi terra leuis, placida tū in morte quiescam.

GELELMI VIDAE ET LEONAE OSCASALAE PARENTVM MANIB.

Hic tamē vmbrosum nactus nemꝰ, hic loca sola,
Ne mea quis carpsit nimiùm lamēta seuerus,
Et nimiùm teneros fletus irriserit asper:
Meæum indulgebo luctu sub Thusculo alto,
Et lacrymis oculos explebo, & pectora planctu.
Luce querar, noctemq́ʒ meis ploratibus addam.
Quod solum reputans præsaga mente verebar,
Vnde meis posset fortuna illudere rebus,
Accidit. Acta ratis prope iam mea tuta tenebat
Tot pelagi è scopulis victrix, portuq́ʒ subibat.
Non ego Palladias nequicquam industrius arteis

Tentaram abstrusas iam rerum accedere causas,
Iam poteram varios cæli deprendere motus,
Et liquidos radio mundi describere tractus,
Iamq; canebam animis superās, audaxq; iuuenta,
Quæ nulli cecinere. Leo iam carmina nostra
Ipse libens relegebat, ergo illi carus, & auctus
Muneribusq; opibusq;, & honoribus insignitus.
Omnia erant mihi læta. animo nil amplius vltra
Optabam, cunctis sat erat factum vndique votis,
Et digito cæli contingere summa videbar.
Ecce repentè autem stridens insibilat Eurus.
AEquora turbantur, portuq; auellor ab ipso.
Ecce repentè ruens mihi acerbus vulnerat aures
Nuntius, atq; ambos docet amisisse parentes,
Antè quidem genitorē, ægrā subitò inde parentem.
Fulmine quo duplici afflatus iaceo. omnis abit mēs,
Omnis & exanimi fugit de corpore sensus.
Heu genitor mihi adēpte, repēs, heu mater adempta.
Non ego vos posthac, non amplius ora videbo
Cara. semel saltem ah licuisset vtrunque tueri
Ante obitus, vestraq; oculos saturare figura,
Congressuq; frui, fariq; nouissima verba.
Ah dolor, ah pietas, non flens morientia pressi
Lumina, funereum non sum comitatus honorem.
Non potui vestro vobis in tempore adesse
Gratus luce magis, vita iucundior ipsa.
Non potui vobis spectabilis affulsisse,
Cùm mihi mutato cursu fortuna veniret
Lætior, & nunquam optatos afferret honores.

Quos

Quos adij vestri tantùm memor, haud mihi parcēs.
Cui placitam musis potius traducere vitam
Fixum erat, atq; humilē rerū altas discere causas.
Vobis conspicuos vnis ingressus honores,
Subdere colla iugo potui male sueta, manusq;
Victus sponte dedi haud cnus auersatus iniquum,
Quæ mihi cūcta olim (tibi enim cōmercia diuûm)
Prædixti toties venturi præscia mater.
Vos vnos agitabam animo, vestraq; fruebar
Lætitia exultans, & gaudia vestra fouebam,
Mecum animo versans quàm vobis illa futura
Læta dies, qua me vestris amplexibus vrgens
Irruerem improuisus ad oscula vix bene vtrique
Agnitus, insolitis titulis & honoribus auctus
Scilicet, & longo tandem post tempore visus,
Dum tenuit me Roma, humili vos sede Cremona.
Vna erat hæc merces tantorum digna laborum.
Mens erat in gremijs studio iacere omnia vestris
Parta meo, & tantùm vestros exponere in vsus,
Vt fuerat par. Vos claras me scilicet arteis,
Re licet angusta, potius voluistis adire
Quàm genere indignis studijs incumbere nostro.
Atq; ideo doctas docilem misistis ad vrbes,
Quamuis in nostris lusisset lubrica rebus
Iampridem fortuna, & opes vertisset auitas,
Et res fluxa alias potius reuocaret ad artes.
Quicquid opū hinc, quicquid nobis accessit honorum
Vestrum est iure. fuisset sat mihi cernere coram
Lætos, atque meis gaudere laboribus ambos,

Vt volucrem perhibent inimicam sontibus hydris
Esse piam, memoremq; parentibus indulgere,
Inualidisq; suo venatu tendere vitam.
In tota nihil esse domo me dulce fuisset,
Et nutus seruare, & iussa capessere vestra
Subiectum, ac positus famulari fascibus vltrò.
Nil vnquam nisi quæ vestris placitura fuissent
Auribus, effari potuissem. sæpe ego ficto
Tristia celassem mentitus gaudia vultu,
Ne vos afficeret, siquid me carperet intus.
Quicquid amarũ in me latuisset, quicquid acerbũ,
Ad vos arte pia transissent dulcia tantùm.
Tædia me vestra cepissent nulla senecta,
Nec quæ multa solent vitia atq; incommoda in illa
Esse ætate, meos poterant auertere sensus.
Cùm spueret vestrûm alteruter grauis, exq; crearet
Plurimus, & rauca conspergeret omnia tussi,
Nulla horrescentis vultu asper signa dedissem
Cuncta ferens, vos ætatis nanque ante tulistis
Plura immunda meæ, cùm cultus nescius infans
Fœdarem toties in cunis humida strata.
Siqua autem vobis cassa atque incondita verba
Exciderent, quando rerum illa est immemor ætas,
Riderem mecum. omnia pro puerilibus essent
Lusibus illa mihi, ceu vos risistis & ipsi
Ad teneros lusus nati, imperfectaq; verba,
Cùm primas vix inciperem rudis edere voces.
Et quando mihi relligio sobolem abnuit, ambo
Cara fuissetis mihi pignora, dulcis vterque

Ceu

Ceu puer, in nostra qui paruus luderet aula.
Cuncta, vtcunque forent, mihi dulcia vestra fuissent.
Infelix caris quicunque parentibus audet
Dura loqui, aut aliud furijs immanibus actus
Moliri, extremas in mundi protinus oras
Ferte nefas. nostro nusquam memoretur in orbe.
Quod mare, quæ tellus portentum tale feretis?
Ferte procul nulla vnquam relligione piandum.
Scilicet ijs per quos iucunda luce fruaris,
Lucem adimas ingratus, & almi luminis vsum
Eripias, per quos almum tibi lumen obortum est?
Ah mihi ne tantum sit credere. barbara corda
Vix capiunt Graijs per ludum inuenta poëtis,
In gnatos cùm tantus amor, cùm tanta parentum
Sit pietas, quibus vt proferrent fata, subirent
Ipsi mille neces, nec quicquam est dulce peremptis
Pignoribus. mærent orbi, vitamque morantur
Inuisam, nil debentes cælestibus auris.
Iccirco vt duram natis auertere possint
Pauperiem, miseramque famem, tot adire labores
Cernimus, & certis vltrò se offerre periclis.
Non me adeò fugit quantis Pater optime curis
Anxius, aut quanto indulgebas sponte labori,
Vt mihi res tenues per tot discrimina rerum
Eriperes tantis bellorum fluctibus, vt nil
Detractum, licet irent tempora dura, periret.
Tu quoque sancta parens varijs exercita curis
Pro gnato quas non aras, quæ non sacra adibas
Templa? quibus non tunc onerabas æthera votis,

Caro cuncta timens capiti, bona cuncta precata?
Vt mihi ad ingenuas nitenti desuper arteis
Auxilium foret, & fauor Omnipotentis Olympi,
Et fors vsque comes crescenti innexa veniret
Virtuti, quæ nos ad opes efferret auitas.
Præcipuè mihi ne maculæ ob contagia turpes,
Aut animi pestes, commerciáve vlla nocerent.
Sed mihi mens puro foret vsque in corpore pura,
Ductáq; ad extremum inculpata adolesceret ætas,
Omnibus ornatum dum vis excellere rebus.
Quæ vobis meritis pro tantis mutua contra
Persoluam infelix? quæ vobis digna rependam?
Cũ mihi sint & opes, anim⁹ quoq; & ãpla volũtas,
Idq; vnum affectarem. ast ô mortalia nunquam
Gaudia plena satis, núnquam secura voluptas.
Aut aliquid cumulo semper deest, aut reuocat se
Fors infida repentè, oculósq; auertit amicos.
Fallaces hominum spes, heu nostra irrita vota.
Nil firmum satis, aut stabili munimine tutum,
Omnia in humanis rebus dubia, omnia nutant.
Vos mihi, læta forent cùm cætera, fata tulerunt,
Queis sine dulce mihi nihil est, nec amabile quicquã.
Accipite has saltem lacrymas, hæc carmina mœsta,
Quæ longum nati absentis testentur amorem.
Saluete æternùm cari, atq; valete parentes.
Vida Gelelme vale, vale Oscasala Leona.
Sit precor ô vobis requies æterna sepultis.
Sit lux, quæ vestris æternùm affulgeat vmbris.

CLEMENTI VII.
Pont. Max.

Clemens iniquis temporibus datè
Tu semper alto pectore maxima
Versas, & vrgeris regendo
Sollicitis super orbe curis.
Clades recepta nunc etiam tibi
Frustrà recursant, nec requiescere
Sinunt molesta, dum peritus
Mente caues vigili in futurum.
Quiesce tandem, & cuncta videntibus
Hæc linque diuis, viue, nec omnibus
Angare defraudans querentem
Vsqueadeo genium diebus.
Res ipse summus cælicolùm Arbiter
Nostras profundo numine temperat,
Causisq; causas vsq; nectit
Perpetua in seriem catena,
Quam nulla possit vis hominum aut deûm
Loco mouere. hinc dura necessitas
Illa illa non æquos labores,
Aut hominis bona fert inempta.
An tu illa, nostris quæ modò vidimus
Bacchata terris bella, tot vrbium
Graues ruinas, tot virorum
Funera, perpetuasq; clades.
Præsente quamuis consilio potens
Solo Latino auertere quiuerist
Deiq; decretum refringas

Duro adamante tot ante sæclis
Incisum? auorum hæc parturijt scelus,
Dilecta patrum. his nos agitant malis
Nostro & merentes crimine, illi hæc
Semina post obitus relinquunt.
Tu morte peius militia sciens
Bellum horruisti semper, & aleam
Periculosam pace certus
Cuncta pati potius manente.
Te bella circum te tamen vndique
Venere, (ineuitabile erat malum)
Longeq́ꝫ deducta haud volentem his
Motibus implicuere causa.
Peiora multò nunc quoque plurima
Nobis minantur sidera, ni Deus
Ille ipse placatus reflectat
Consilia in melius seuera.
Orandus ille est. ipse potens enim
Vnus morari quæ properant mala,
Solusq́ꝫ, quam præfixit olim,
Ipse potest abolere legem.
Nostris rogatus forsitan annuet
Votis. ab alto plurimus æthere
In nostra dilapsus benigno
Pectora numine se refundet.
Sed antè mens est cuiqꝫ latentibus
Purganda morbis. sunt quoqꝫ luridi
Mores retractandi nec vltra
Progrediendum iter institutum.

Tu sacra vero, tu pater, vt decet,
Tractabis aris praeficiens bonos.
Proculq́ sacris inquinatum
Vulgus honoribus amouebis.

PACI.

PAx alma, dulce vbique nomen gentibus,
Inter deos pulcherrima
Pulcherrimos, quàm me tui expectatio
Torquet morantis ab nimis.
Tuúmne diua viuus aduentum amplius,
Tempus videbóne aureum?
Vnquámne erit, mundum his tenebris obsitum
Tuo vt serenes lumine?
Quando expetentem me dea spe id irrita
Tanto beabis munere?
Vereor, laboriosa ne longè prius
Vincat senectus languidum,
Quàm rursus vrbes diuites conuiuijs
Ludisq́ distinerier,
Quàm rura videam canitibus latissimis
Omni sonare ab angulo,
Vnisq́ ventorum duellis aequora
Metuenda, non Martis dolis.
Vt omne telum pereat, vt chalybum genus
Haud nominetur amplius.
Vt regum auarities, & ambitio impotens
Sepulta sit sub aequore.
Absente te, vix uberes alunt agri
Nunquam colonum desidem.

Præsente Verò, nuda saxa qui colit,
Vel dormiens bonis fluit.
Tu grata Musis, tu in foro versantibus
Places, & Vrbi præsides.
Tu merce transmarina opes parantibus
Voto inuocaris publico.
Te diuites, te Vbique pauperum greges
Laboriosi prædicant.
Tibi Viri, tibi pudica mulieres
Prægestientes supplicant.
Tui senes, tui pueri amantissimi,
Tui omnis ætas appetens.
Tu, si quid est mortalibus boni Vspiam,
Id Vna nobis comparas.
Tu sanitatem gentibus, sacráq́, & opes,
Et Victum, & annonam, & merum,
Securitatem, literas, & otium,
Et nuptias, & liberos,
Vitámq́ tandem affers amica cantibus,
Aduersa Verò luctibus.
Tui simul Mars hauserit pedis sonum,
Facesset hinc celerrimus.
Simul quiescent furta, cædes, Vulnera,
Strages, ruina, incendia,
Tot orbitates, liberorum tot stupra,
Crebrisq́ raptus Virginum.
Nec audietur amplius clangor tubæ
Viros cientis ad necem,
Iuuenémq́ Vellentis tenello ab coniugis

Gremio

Gremio metu inspersum genas.
Quæ, pluráq; viri si viderent principes
Cùm bella initio cogitant,
Vel abstinerent, vel quibusuis ponerent
Mox cœpta conditionibus,
Neque eos libido, neque adeò ageret gloria.
Vt perderent cæci omnia.
Istis si ego ab malis procul tandem absiem
Tranquillitati redditus,
Videámq; pendentes aceruos arduis
Scutorum vbique postibus,
Araneorum fila quos obduxerint
Nigros vetusto in puluere,
Ensesq; rursus ferreásq; cuspides
In vomerem conflarier,
Vitam haud recusem pauperem traducere
Fodiens agrum incuruus manu,
Saltem animus ablatis mihi his terroribus
Quiesceret liberrimus.
Possem laborem versibus solarier
Cinctus olea canum caput.
Et nocte pauculos reuoluerem libros
Vel imbre detentus die,
Ò diua largitrix bonorum vna omnium,
Quo te vocabo nomine?
Quibus te honestis efferam præconijs?
Dignum vnde te verbum exprimam?
Opulenta salue. iam recurrere huc aurea,
Et nos tuo vultu bea.

TELLVRI.

Has tibi terra fabas, Albæ conterminæ muris
Dat Vida: in fœcundo tu bona conde sinu.
Has seret esuriem populi miseratus egentis,
Pallida dum capta sæuit in Vrbe fames.
Hoc ieiuna famem solabitur turba paratu,
Et teneras poterit carpere dente fabas.
Ille sua aspectans campum sublimis ab aula
Concipiet dulcem pectore lætitiam.
Hos legere, hos lectis vesci, prædamq; virentem
Vectam humero aspiciet ferre domum suturos.
Quàm iuuet his sua vastari populatibus arua,
Et messes condi in horrea vina suas?
Tu bona tu intereà Tellus ne desine iactis
Semnibus, nusquam sit prior vlla seges.

SCIPIONI VEGIO MEDICO.

Phœbo alius voti reus, herbarumq; potenti
Tura ferat nato, sacrasq; exuscitet aras.
Ipse meis Vegi semper celebrabere donis,
Semper honore meo, te numinis instar habebo.
Ipse suas arteis vltrò sua munera Apollo
Concessit tibi, nec primos habet alter honores.
Tu reuocare animas in lucem corpore functas
Faucibus ex orci, atque hominum producere fata,
Tu potes in media cymbam Stige sistere onustam,
Et vetitam nautæ senioris auertere prædam.
Quicquid ero posthac, quicquid mea cura laborum
Atque operum tentabit, erit Vegi optime munus
Artis, opisq; tuæ, tua me solertia vita

Reddidit in medio iactatum vortice lethi.
Stabam indeprenso consumptus languidus morbo
Membra lues penitus totos exederat artus.
Circùm aderant omnes ægra, mea lumina, Musa.
Atque mihi inceptam miseri solatia lethi
Tendebant frustrà palmarum è fronde coronam,
Quam mihi Idumæo sub vertice festinarant,
Dum canerem Vnigena crudelia funera regis.
Hic mea inexcitus tu limina sponte subisti,
Ipsa salus tecum pariter mihi visa subisse.
Vt vidi, vt penitus fugit de corpore languor,
Atque suum rediit membris in pristina robur?
Quo tibi, quas potero, tanto pro munere grates
Sēper agā, & tibi nunc vtcūq; hæc carmina pango.
Tu verò exigui munus ne despice amici,
Et seruasse pium non dedignabere vatem
Tot titulos inter, procerum post nomina tanta,
Pæoniis quos tu succis à morte reduxti.
Nec me post ipsos pigeat subnectere reges
Seruatos. non me tibi gloria sospite nulla est.
Si mihi opes, regumq; genus lana astra negarunt
Nascenti, at mihi casta domus, sine labe penates,
Est animus, qui vincat opes, regúmque coronas
Contemptu rerum, rectiq; insignis amore.
Forsitan ii meritò tibi debita præmia soluent
Aurum ingens, gemmasq;, & latis prædia fundis:
Ipse ego nil horum: sed, dum mihi vita manebit,
Te, munusq; tuum memor imo in pectore condens,
Seruabo vsque recens, nulloq; abolebitur æuo.

Præ

Praetereà, siquid poterunt quoque carmina nostra,
Quicquid agā, quicquid musis suadentibus edam,
Semper eris me:um tentati muneris auctor.
Auspice te iuuet incœpto me carmine regem
Cælicolum canere, & Musas super astra vocare.
Atque inter diuûm sit dulce senescere laudes.
Te sine nulla meis accedet gloria cœptis,

ROMA DISCEDENS.

Roma vale: tibi debeo plurima, qđ mihi per te
Partum est ingenuis artibus, vnde habeam,
Nec iā egeā addictus nulli. mihi id est satis abs te.
Caetera quæ poteras mihi dare, linquo alijs,
Plusq́; meis oculis absens te semper amabo,
Et procul, vt colimus numina sancta, colam.

IN QVENDAM.

Carmine quid carpis qui nūquā carmine lædit,
Cui numeri insontes, & sine felle placent?
Vnum id te cruciat quòd vulgi à moribus absim,
Hinćq; meis tendis moribus insidias,
Meq́; remordentem cuperes tua cernere contra.
Nunquàm hoc efficies. candida Musa mea est.

IN COENACVLO VILLAE
suæ Roncianæ.

Hospes si olus dapesq́; inemptas non piget
Cænare mecum, accumbe. personam exue.
Naturæ disces quantuli indigeat cibi,
Ne transmarinis sit opus apparatibus.

FINIS.

QVAE

QVAE *Vida agnouit, exploratáq; habuit, sua huc omnia ipse de scrinio suo deprompta adhuc viuẽs congeßit. Siquid fortè præterea ullo unquam tempore adiectum fuerit, adulterinum censeto ab aliquo aut maligno, aut in re aliena nimis officioso, ac diligente adinuentum, quod de Poëticis tantùm dictum volo. Nam quæ soluta oratione ad Christi rem spectantia idem auctor conscripsit, propediem se itidem superstitẽ sospitemq; in lucem editurum sperat, Deo Opt. Max. approbante atque iuuante, cui uni se suaq; omnia addixit ac consecrauit.*







